


QVÆSTIONES
Duæ:

Vna
Num in Evangelicorum religione dogmata habeantur, quæ vix ullo modo permittant, ut qui ea amplectatur, nullo in peccato perseveret?
Altera
Num in eadem religione quædam cōcedantur Christi legibus inconcessa?

contra
BALTHASAREM MEISNERUM
S. Theologiæ Doctorem & in Academia Wittebergensi Profeß. publicum,

à
IONA SCHLICHTINGIO
à Bukowiec

disputatæ.

Typis PAULI STERNACII
Anno à Christo nato M. DC. XXXVI.

Ex libris Jacobi Sieniensky a Sieno Palatinidis Podoliæ

Generis & virtutis dignitate præcellentibus Viris

DD. ADAMO ET ANDREÆ GOSŁAVIIS

Fratribus germanis.

CIrcumſpicienti mihi cujus nomen in ipſo libri iſtius limine præfulgeret, veſtrum lumen protinus oculos meos perſtrinxit, gemini fratres, lucida Eccleſiæ ſidera. Iure enim meritoq; tantum ſummis virtutibus veſtris tribuo, ut quem alii ex Magnatum titulis ſplendorem quærunt, hunc ego me ex veſtra luce conſecuturum exiſtimem. Nam tuum quidem ADAME nomen, ita jam dudum ingenii tui ſolidæq; philoſophiæ monumentis inclaruit, ut nulla doctis viris commendatior eſſe

pagina debeat, quàm ſibi quæ A-
DAMI GOSLAVII nomen præ-
ſcripſerit. Sed præter tuam tantam
eruditionem ADAME, in Equite
Polono inuſitatam, ſunt alia non
minùs in utroque veſtrûm ſuſpi-
cienda. Veſtræ maximæ virtutes,
veſtri perſpicaciſsimi ſenſus, ve-
ſtrum ſublime judicium, veſtra ſin-
gularis prudentia, veſtra ſumma
gravitas incredibili morum ſva-
vitate comitateq́; temperata, ve-
ſtra animi moderatio, totiusq́; vitæ
decor, denique tot virtutes veſtra
illa dulci facundia cumulatæ, ut u-
trique veſtrûm, & ſapere contige-
rit, & fari poſſe quæ ſentiat. Hæc
ſunt, quæ non in Eccleſia tantùm
principem vobis locum inter cæ-
teros veſtrûm ſimiles fecêre; ſed e-
tiam in Republica, inter patriæ ci-

ves tantam authoritatem & gratiam peperere, ut non tam propinquitatibus, & latiſsimè per nobilisſimas domos fuſi ſangvinis pignoribus, quàm eximiis iſtis virtutibus, earumq; apud omnes æſtimatione ſubnixi, ſæpe trepidis in rebus Ecleſiam ſublevetis, quæ etiam non aliis nunc magis, quàm vobis alumnis gaudet, præſertim cùm tot tantisq; virtutibus junctam in vobis cernat veram nec fucatam pietatem, ejusq; propagandæ indefeſſum ſtudium. Hæc ergo veſtra decora, ut apud eos quibus ſunt cognita, (ſunt autem in Eccleſia & in patria cognita omnibus) lucem Antimeiſnero meo dabunt; ſic æquum eſt, ut eam viciſsim apud illos, quibus cognita non ſunt, mea prædicatione accipiant. Sciat &

posteritas, extitisse in Ecclesia geminum par fratrum, non sangvine magis, quàm omnimoda virtute germanum, quos si oris diversitas non discrevisset, animi similitudo planè confuderat, adeò ut cùm propriæ quædam essent utriusque ex peculiari quarundam virtutum eminentia laudes, in iis non tam alter alterum, quàm uterque seipsum superâsse videretur. Eat igitur hominum per ora Antimeisnerus meus, vestro nomine præfulgens, nec sui fiducia, sed vestro favore, quem jam pridem erga se perspexit. Neque longiùs mihi quærendi eratis, cùm uterque vestrûm in illa versetur Ecclesia, cui peculiariter ministeria mea dicata sunt, alter etiam domicilium illi patrociniumqúe præbeat. Vnum illud deprecor, ne

pudori vestro gravis fuisse censeár, quòd non aliter nisi vobis conscijs virtutes vestras orbi prodere potuerim. Idq́; tantò me faciliùs impetraturum esse confido, quantò viris omni laude cumulatis, ipsa assvetudine, hebetior est laudis gloriæq́; sensus. Vale par natalibus pariter & virtutibus nobilissimum.



AD LECTOREM.



Rogredimur, Lector, in defensione libelli Fausti Socini, à Balthasare Meisnero S. Theologiæ Doctore, & in Academia Wittebergensi Professore publico, oppugnati, quo Socinus eos, qui inter Evangelicos veræ pietatis sint studiosi, ad suam invitat Ecclesiam, tali argumento, quòd cùm sine vera vitæ sanctitate, quæ in abdicatione omnis vitii consistat, nemini regnum cœlorum fas sit capeßere, Evangelica religio ita sit & sententiis & institutis comparata, ut ejusmodi pietatis studium multis ex partibus impediat. Totum hoc argumentum quinque capitibus & uno appendice pertractavit Socinus. Et primò quidem capite docet, eam, quam diximus morum sanctitatem, ad salutis adeptionem omnino re-

no requiri. qua de re peculiari cum Meiſnero diſputatione jam egimus. Hoc opere de ſecundo & tertio capite nobis cum Meiſnero inſtituta eſt diſceptatio. quorum in illo docet Socinus, Evangelica religione ea contineri dogmata, quæ vix ullo modo permittant, ut, qui ea pro veris amplectatur, omne vitium repudiet: in hoc verò planum facit, eadem religione quædam concedi, quæ Chriſti legibus inconceſſa ſint. Quod igitur ad caput illud attinet, tria iſtius generis dogmata commemorat Socinus: primum de prædeſtinatione divina: ſecundum de hominis arbitrio, atque viribus in iis, quæ ad pietatis opera pertinent: tertium de juſtificationis noſtræ ratione. quibus de rebus Evangelicorum ſententias eam habere vim demonſtrat, ut in ipſa ſtirpe veræ pietatis fructus intercipiant. Hæc dum

contra tendit Meiſnerus, effecit ut tantò diligentiùs à nobis tractarentur. Itaque habes hîc, Lector, de prædeſtinatione divina, cui tanquam ſolidiſſimo fundamento ſalus noſtra innititur, tum veræ ſententiæ explicationem atque defenſionem, tum erroneæ refutationem; peculiarem etiam iſtiusq́ loci propriam de electis, an ſuâ culpâ poſſint a Deo reprobari, diſputationem. Habes deinde tot contentionibus agitatam de humano arbitrio in rebus ad religionem ſpectantibus quæſtionem, an ſcilicet ſervum ſit, an liberum, ſeu, ut rectiùs loquamur, an ullum ſit, an nullum? nam qui quærit, an ſervum ſit nec ſui juris arbitrium, pugnantia permiſcet, nec vim vocis intelligit. arbitrium enim dum dicit, libertatem inſinuat. Habes denique diligenter expoſitam juſtificationis noſtræ rationem,

nempe quid ea ſit? quibus cauſis efficiatur? an bona opera ad illius comparationem pertineant? & ſi pertinent, an intra conatum tantùm rectè agendi ſubſiſtant? ubi ſimul nobilis ille capitis ſeptimi Epiſtolæ ad Romanos locus, collatis utrinque argumentis, explicatur. tùm an Chriſti juſtitia nobis uſpiam imputari dicatur? tandem de ipſius juſtificantis fidei natura agitur, an ſola ſeu ſine operibus juſtificet, & quatenus? Nimirum opponitur fides aut quibusvis operibus bonis ex fide profectis, aut operibus perfectis, & ad Legis normam exactis. Illis ſi opponatur, tùm aut initium tantùm juſtificationi dat, ut fit in iis, qui primùm crediderunt, ſi ſola juſtificari dicatur; aut ſi totus juſtificationis curſus & continuatio illi adſcribenda eſt, nunquam ſola, ſed cum effectis ſuis conjuncta intelligitur. At

si fides exactis, & meritoriis opponatur operibus, tùm sola semper justificat, cùm nullius tam pura sit, ut omni penitus labe vacet, justitia. Vnde nec justus ipse ex justitiæ suæ merito, sed ex fide victurus dicitur. Fides nimirum in justo pro perfecta justitia ex Dei benignitate censebitur. Igitur tot tantasq; res in capitis istius, quod apud Socinum & Meisnerum secundum est, examine disputatas, Lector, invenies. Iam quod ad caput attinet posterius, quod Socino & Meisnero tertium est, in hoc accusat Evangelicorum religionem eo nomine Socinus, quòd per eam liceat ultionem injuriæ apud Magistratum quærere, hostibus occidendis operam in bellis ultro navare, hæreticos vi & pœnis coërcere, quæ per Christi disciplinam nefas sit facere. Addidimus nos illam damnandi licentiam,

quã diversum sentientes tam facilè ab Ecclesiæ corpore separantur, nimiùm proh dolor! inter Evangelicos usitatam. Itaque hoc etiam in capite gravißimis de rebus controversiam eße facilè perspicis, Lector benevole. Quapropter ades animo, & ex rationum argumentorumq́ue contentione, utra in parte constiterit veritas, dignosce; quod te scire tam neceßarium est, quàm quo tramite ad illam æternæ felicitatis metam debeas contendere. Ipse verò Dominus noster Iesus, qui sanguinem suum tuæ impendit saluti, spiritus sui lumine mentem tuam collustret, errorumq́ue depulsa caligine, rectum sanctæ veritatis iter tibi commonstret.

Amen.

Delineatio capitis secundi.

Caput secundum tria habet membra.

- *1. de Prædestinatione*
  - *1. de Lutheranorum sententia.*
  - *2. de sententia nostra.*
  - *3. de duplici falsitate immeritò Socino objecta:*
    - *Historica.*
    - *Dogmatica.*
- *2. de Servo arbitrio*
  - *1. de sententia Lutheranorum.*
  - *2. de Socini argumentis.*
  - *3. An sententia de libero arbitrio pietatem impediat.*
- *3. de Iustificatione.*
  - *1. de Iustificationis definitione & causis.*
  - *2. de bonis operibus*
    - *1. an sint justificationis & salutis causa?*
    - *2. an bona renatorum opera tantùm intra conatum bene agendi consistant.*
  - *3. de septimo capite Epistolæ ad Romanos.*
    - *1. de scopo ac sensu Pauli.*
    - *2. de Augustini hujus loci interpretatione.*
    - *3. an ex Lutheranorũ sententia sequatur, opus ad salutem non esse, ut à pecati servitute simus immunes.*
  - *4. de imputata Christi justitia*
    - *1. an eam Scriptura asserat.*
    - *2. de Meisneri sententia.*
  - *5. de fide justificante.*
    - *1. quædam in Evangelicorum sententia probat Socinus, quædam improbat.*
    - *2. suam sententiam explicat, quæ à Meisneri vindicatur impetitionibus.*

Caput III.

In Evangelicorum religionē quædam concedi, quæ cum Christi præceptis pugnant, ubi agitur

- 1. de vindicta per Magistratum,
- 2. de cæde in vi repellenda, ubi
  - 1. de argumētis Meisneri ratione defēsionis
    - privatæ,
    - publicæ, quæ fit per bella.
  - 2. de argumētis Socini.
- 3. de Hæreticorum persecutione.
- 4. de conclusione istius capitis, in qua
  - De licentia & abusu damnandi, & ab Ecclesiæ corpore sejungendi, in Ecclesiis Evangelicis.
  - De vitiis in Ecclesiis Evangelicis usitatis.
  - De secessu ab Ecclesia vitiis corrupta.

DISPVTATIO
Quæstionis,

Num in eorum, qui Evangelici vulgò appellantur, religione dogmata & ſententiæ habeantur, quæ vix ullo modo permittant, ut qui eas ſervet, in nullo peccato maneat?

J*Acto hoc fundamento, quod peculiari quæſtione jam à nobis diſputatum eſt,* neceſſarium prorſus eſſe homini Chriſtiano, ad Regnum Dei poſſidendum, ne ullius peccati conſuetudine teneatur, adeò ut is, ſi eum mortis vel Chriſti adventus deprehendat, antequam conſuetudinem peccati, virtutis & rectè agendi conſuetudine tollat, ordinaria vi Novi Fœderis, quicquid eum tandem peccatorum ſuorum pœniteat, ſervari, & Regnum cœlorum adipiſci nequeat: *Iacto, inquam, hoc fundamento, ſequitur, ut oſtendamus, religione Evangelica tales contineri ſententias, quæ pietatem iſtam & depoſitionem peccatorum vehementer impediant, &, ut Socinus aßeruit,* vix ullo modo permittant, ut, qui eas ſervet, in nullo peccato maneat, *ſeu, nullius peccati uſu ſit infectus.*

Vbi primùm ridiculus eſt Meiſnerus, cùm ait: Socinum trepidare, nec ſatis eſſe certum de ſuâ iſta aſſertione, imò de cauſa ſua deſperare, *propterea quòd non aßerat, dogmata iſta* nullo modo *id permittere; ſed quòd ea* vix ullo modo *iſtud*

 permit-

permittere doceat. Atqui non tuum est, Meisnere, præscribere Adversario quomodo loqui, aut quid asserere debeat. Num *istud parvum aut exiguum est, quod Socinus asserit, nec tanti momenti, ut propterea Evangelica ista religio deserenda sit?* Non difficultatem, *inquis*, à peccatis cavendi, sed impossibilitatem probare debuit: cùm propter carnis infirmitatem, & scandalorum hostiumq; multitudinem omnino difficile id esse concedamus. *Nec Socinus tam ineptus fuit, Meisnere, ut de ista difficultate loqueretur; cùm propter hanc causam non magis in vestra, quàm in nostra religione difficile sit, peccatorum jugum excutere: sed loquitur de difficultate, eaq; summa, ex ipsis Evangelicæ religionis mysteriis & sententiis manante.* Nam *si ob solam carnis infirmitatem, & scandalorum hostiumq; multitudinem, ut tu loqueris, adeò difficile est peccata deponere: quanta laborū erit inexsuperabilis moles, si cum carne conspiret ipsa religio, quæ peccatis amovendis, non promovendis, servire debebat? Quodsi ergo talis est Evangelica religio, num parvo argumento Socinus eam deserendam esse docuit?*

Vt verò eam talem esse demonstraret, tria ex pluribus aliis istius religionis dogmata in medium attulit: Vnum de prædestinatione: *alterum* de servo arbitrio: *tertium* de Iustificatione nostra coram Deo. *Ex quibus apertè deducit, quàm difficile, imò ferè impossibile sit, ut is, qui dogmata Evangelicorum his de rebus imbibit, omni studio Deo obedire,*

bedire,

bedire, & cuncta peccata vitare conetur, eorumq́ jugum hac ratione penitus excutiat. Meiſnerus ergò caput hoc in tria diviſit membra: In quorum primò agit de prædeſtinatione divina; In altero de ſervo arbitrio; In tertio de Iuſtificatione. Hunc Meiſneri ordinem & nos ſequemur.

Membrum primum.

AN doctrina Evangelicorum de prædeſtinatione divina, ſtudium obediendi Deo, & omnia peccata diligenter cavendi impediat, & vix ullo modo permittat, ut ii, qui ei firmiter aſſentitur, omnis peccati habitum deponat & excutiat?

I. De ſententia Lutheranorum.

HIc primùm reprehendit Socinum Meiſnerus, quòd Lutheranorum de divina prædeſtinatione ſententiam omittat, & Calvinianorum tantùm opinionem recitet: Id quod, *inquit*, non eſt ſatis candidè agere: *& paulò pòſt iterum conqueritur:* Noluit nos à Calvinianis diſtingvere, ſed ſub generali Evangelicorum titulo noſtram quoque doctrinam ſuſpectam reddere cogitavit: id quod non eſt pii & ingenui diſputatoris: *quo etiam nomine Socino in margine iſtius loci* fraudem *objicit. Iam antè oſtendimus, Socinum per* Evangelicos vulgò dictos *eos intelligere Evangelicos, qui in Polonia & Lithvania ſic vulgò nominantur. Iſti autem alii non ſunt, quàm quos Meiſnerus & alii Calvinianos vocant. Nec enim Evangelicorum no-*

men perinde apud nos, ac in Germania, commune est utrùque, & Lutheranis, & Calvinianis. Quocirca, cùm Socinus hunc libellum scriberet, vix credo Lutheranorum illi in mentem venit, nedum ut ipsorum sententias & dogmata commemorare debuerit. Hinc videre potest Meisnerus, quàm & ipse se supervacuo implicuerit bello, nec provocatus descenderit in arenam; & quàm immeritò Socino fraudem, *quodq́;* non candidè, nec, ut pium & ingenuum disputatorem decebat, egerit, *objiciat? Itaque non Socinus, cujus viri candidissimum fuit pectus, hîc fraudulentus est, sed Meisnerus ignarus & imperitus. Poteramus jam hoc loco scribendi labore defungi, præsertim cùm Meisnerus fateatur, Calvinianorum (liceat enim mihi jam hoc nomine uti) de divina prædestinatione sententiam, contra quam solam Socinus disputavit, talem esse, ut in hominibus omne studium piè vivendi penitus extingvat: Verùm quia suam quoque, quæ Lutheranorum est, ea de re sententiam produxit in proscenium, necessitatemq́; nobis secum & cum Lutheranis disputandi imposuit, age videamus, an ista Lutheranorum de divina prædestinatione opinio multò sit hac in parte Calvinianorum sententiâ melior.*

Brevissimis se sententiam Lutheranam expositurum dicit Meisnerus, sed eam latissimè persequitur, & nescio quem divinorum decretorum ordinem, seu potiùs plurimorum errorum confusionem proponit, quorum quisq́;, ne actum agamus, suis locis confutabitur.

tabitur. Duo verò ſunt in Lutheranorum de prædeſtinatione ſententia, quæ homines à pietatis ſtudio, & peccatorum depoſitione avocare & abducere queant: Vnum, quòd eos omnes ad ſalutem prædeſtinatos dicant, quicunque, idq; vel in extremo vitæ tempore tantùm, Chriſti meritum firma fide apprehenderint, & ſic pœnitentiam egerint; adeò ut negent, imò & contrà diſputent, quemadmodum paulò pòſt Meiſnerum facere videbimus, in divina prædeſtinatione habitam fuiſſe ſanctitatis vitæ ullam rationem. Alterum, quòd eos omnes in individuo, qui damnandi, & qui ſalvandi ſint, infallibiliter à Deo præviſos eſſe affirment. Nam quod ad prius attinet, ſi ad ſalutem comparandam non eſt quicquam opus, ut ego ſanctè & piè vivam, omnes peccatorum habitus deponam, omnibusq; virtutibus præditus ſim, ſed ſufficit, ut ego Chriſti meritum firma fide apprehendam, idq; etiam in extremo tantùm vitæ tempore, & tùm pœnitentiam agam, ac peccâſſe me doleam, ſanè non eſt, cur me macerem, à voluptatibus abſtineam, perſecutionem patiar. Satius eſt me calcando roſas, quàm ſpinas, in regnum cœlorum ingredi. Quicquid hic contrà diſputaveris Meiſnere, nihil efficies. Difficile eſt loquî, *dixit ille,* ad ventrem auribus carentem. *Dulciùs & ſuaviùs caro & peccatum canit, quàm Meiſnerus perorat, qui hîc per aliquot paginas concionatur, non diſputat. Sed omnia fruſtra Meiſnere, ſi mihi impunè peccare liceat, ea lege, ut tantùm in extremo vitæ tempore ad Chriſti meritum firma fide confugiam.*

giam. Quod ad secundum attinet, annon, si Deus me in extremo vitæ tempore firmam fidem habiturum vel non habiturum, proinde vel salvandum vel damnandum esse infallibiliter prævidit, prorsus necessarium erit, ut, si prævidit Deus infallibiliter meam finalem fidem, eamq́ secuturam salutem, ego fidem istam ac salutem habeam? quid igitur attinet, ut fidei istius pariter & salutis adeptionem ad meam propriam privatamq́ curam & cogitationem revocem? Si verò infallibiliter prævidit, me finaliter crediturum non esse, ideoq́ damnandum esse, quicquid nunc fecero, quantocunque studio virtutem sectatus fuero, necesse est, ut ego tandem & fide ista & salute excidam, proindeq́ non est, cur carni meæ vim faciam, & cupiditatibus non indulgeam. Infallibilem Dei præscientiam nec vitiis nec virtutibus mutare possum.

Quocirca, Meisnere, nihil vos juvat, quòd cum Calvinianis non agnoscatis absolutum illud & immutabile Dei decretum de unoquoque hominum vel salvando vel damnando, sed conditionatum, quominus vestra opinio pietatis studium inhibere dicatur, si in ista conditione non includitur vera vitæ probitas aut improbitas, imò potiùs excluditur, & si, licèt vel maximè includeretur, nihilominus jam ab æterno certum & necessariũ ac immutabile prorsus est, quòd individuum servari, ac cõditionem istam implere, quòd item damnari, & conditionem istam minimè implere debeat. Itaq; ridiculus es Meisnere, cùm a tua sẽten-

tia

tia amoliri vis, quòd licentiam peccandi non inducat, eò quòd electionem & reprobationem non ſtatuatis abſolutam, ſed conditionatam, in prævisione fidei ac incredulitatis fundatam. *Non vides, iſtam prævisionem & præſcientiam infallibilem tam nocere pietatis ſtudio, quàm abſolutam electionem & reprobationem?*

Ais, invertenda eſſe potiùs argumenta, & ita concludendum: Si electus ſum, nonniſi ſecundùm prævisionem perſeverantis fidei electus ſum. Annitor ergo ut retineam fidem & bonam conſcientiam, quò juſtitiæ coronam reportem. Si reprobatus eſſe & damnari debeo, utique non ex abſoluto Dei decreto, ſed tantùm propter incredulitatem & impœnitentiam reprobari, & damnari poſſum. Diligenter ergo verbum Dei audiam, ut inde fides oriatur in corde meo, & ſic æternam damnationem effugiam. *Atqui Meiſnere, ſi infallibiliter Deus prævidit, me in fine vitæ fidem habiturum ac bonam conſcientiam, neceſſariò id futurum eſt; proinde non eſt, cur nunc ea de re ſolicitus ſim: Sin prævidit infallibiliter, me in fine vitæ cariturum eſſe fide, mutari id nequit, & ſupervacuum omnino eſt, ut nunc verbum Dei audiam, & fidei ac pietati ſtudeam. Sed, Meiſnere, quomodo hîc* bonæ conſcientiæ *meminiſti in conditione electionis ad ſalutem? Num igitur bonâ conſcientiâ opus eſt ad ſalutem? Num fortè tui oblitus es, qui paulò pòſt hanc ſententiam,*

quæ nostra est, nunc desperationis, nunc Pharisaicæ gloriationis causam esse aßeris? Fallor, an bona conscientia apud te non in immunitate à vitiis omnibus, sed in certa impunitatis fiducia ex Christi meritis orta consistit? Rem acu me tetigiße credo, Meisnere. Quàm vos interdum vestrarum opinionum pudet: & idcircò earum turpitudinem pulchra quadam verborum specie occulere soletis. Toties perseverantis fidei *mentionem hîc facit Meisnerus: qui ipsius sensum penitus non calleret, crederet, eum intelligere fidem quandam magnificam, constantem, invictam, longo tempore durantem, omnibus virtutibus ornatam ac cumulatam. Non ita est. Fiduciam intelligit in Christi satisfactione & meritis,* extremo vitæ tempore *seu* circa vitæ terminum, *ut illius utar verbis,* in homine existentem. *Ait enim expreßis verbis infrà pag. 70.* Si quis ultimo vitæ tempore credat, veramq; pœnitentiam agat, certò salvabitur, quomodocunque vixerit anteà. *Agnoscis tua verba, Meisnere, & tamen vestrâ sententiâ studium pietatis non extingvitur, sed fovetur scilicet. Sanè, si hac conditione omnes Lutherani sunt electi ad sempiternam salutem, paucißimi illorum erunt, qui non salventur. Ferè enim omnes cum ista* finali, *ut tu eam ipse vocas, fide moriuntur. Quomodo igitur verum erit, quod & Christus docuit,* multos esse vocatos, paucos verò electos! *quomodo & tu paulò antè* paucos gratiam oblatam accepturos, & in Christum redemptorem perseveranter credituros esse, *dixisti?*

pag. 71. *At*

At inquis: Deus in æterna prædeſtinatione fidem reſpexit, ideoq; electos in tempore credere, & fidem bonis operibus teſtatam facere oportet. *O homines inconſtantes, & nunquam bona fide pietatis ac bonorum operum neceſſitatem profitentes! Cur igitur infrà contrarium planè ſcripſiſti?* Hic, *inquis*, quæritur, quid Deus in æterna electione & reprobatione conſideraverit? Non ſanè fidem aut impœnitentiam temporalem, ſed potiùs finalem. Ideoq; eum elegit, quem finaliter pœnitentiam acturum prævidit: & rurſus eum reprobavit, quem finaliter non crediturum prænovit; licèt ille ad tempus peſſimè vixerit, hic optimè. *Quo in loco diſputas, non omnem qui in tempore juſtus eſt, & fidem bonis operibus teſtatam facit, electum eſſe; nec, qui in tempore impius eſt, reprobatum eſſe: ſed eum, qui in fine vitæ credit, electum, qui non credit, reprobatum eſſe. Vides igitur judicio tuo,* non oportere *electos* in tempore credere, & fidem bonis operibus teſtatam facere: *ſed ſatis eſſe, ſi ultimo vitæ tempore credant, id eſt, talem fidem habeant, quæ bonis operibus deſtituta ſit. Itaq; falſum erit, quod hîc ſequitur:* Qui verò nõ credunt, & credere nolunt, *(nempe ante extremum vitæ tempus)* eorum fides ab æterno prævideri haud potuit, & per conſequẽs prædeſtinati non ſunt. *Sufficit enim eos credere extremo vitæ tempore. Sed etiamſi* electos *oporteret in tempore credere, & ita credere, ut bonis operibus*

ac vera vitæ justitia, fidem suam testatam facerent, (quod vos nunquam bona fide concessuri estis, qui pietatem ac bona opera ab electionis ac reprobationis consilio & decreto quàm longissimè arcetis, adeoq; veremini, ne vobis necessitas piè & sanctè vivendi imponatur) non tamen quisquam pietati & sanctimoniæ vitæ studeret, qui sciret, Deum jam infallibiliter suam aut salutem & pietatem, aut damnationem & improbitatem prævidisse. Infallabilis enim ista præscientia tam infert necessitatem, quàm absolutum Dei decretum. Necessitate autem istâ positâ, omne pietatis ac bonorum operum studium tollitur. Si enim est in fatis, ut ego piè vivam, & vitam æternam adipiscar, vel ut sim improbus, & in æternum peream; mutari istud nullo pacto potest: proinde non est, cur ego mea sponte sim vel de salute adipiscenda, vel de effugienda damnatione solicitus. Fata viam invenient. Si in peccatis hæsero, apparet, Deum sic futurum infallibiliter prævidisse, proinde nullo modo fieri aliter potuisse. Sin prævidit infallibiliter, me piè victurum esse, quicquid ego nunc carni indulsero, sequetur tandem ista, vel me invito, pietas.

Electio, *inquis,* facta est ut sancti essemus & irreprehensibiles, *Eph. 1. 4. Rectè. Hinc igitur apparet, electionem esse sub cõditione sanctæ ac irreprehensibilis vitæ* coram Deo, *ut addit Apostolus; nec esse absolutè necessarium, sed à mea quoq; voluntate pendere, ut hæc conditio mihi insit, vel ut non insit. nam alioquin quam habebit vim electio, ut nos ad san-*

ad sanctæ & irreprehensibilis vitæ studium excitet?

Quia *electi, inquis,* sunt ii tantùm, qui perseverant, propterea Deus assiduè invocandus est, ut opus bonum in nobis perficiat. Perseverant, *inquis, id est, in extremo vitæ credunt, etiamsi antea non crediderint, & pessimè vixerint. Quocirca non est opus rogare Deum, ut fides nostra & pietas ad extremum usq; duret, sed ut tantùm in extremo vitæ tempore nobis insit. Imò quid rogare est opus, si Deus id infallibiliter futurum prævidit, ita ut aliter fieri non possit? quis ea petit a Deo, quæ necessariò eveniunt, seu non evenire nullo pacto possunt?*

Sed gloriandi, *inquis,* & sese efferendi occasio omnis, prædestinatione ex sola Dei gratia, non propter nostra merita, excluditur, secundùm illud Apostoli *Rom. 11. 20* Noli altum sapere, sed time. *Atqui & nos prædestinationem ex sola Dei gratia agnoscimus. Nec enim quævis bona opera, imò nulla bona opera prædestinationem istam electionemq; ad vitam æternam merentur.* Non *est verendum, ne operibus nostris, præsertim iis, quibus Christiana religio contenta est, & de gratia divina quidquam decedat, & gloriationi ullus relinquatur locus. qua de re alibi dicendum erit. Si verò omnis sanctè vivendi conditio, a prædestinationis & electionis divinæ decreto sejungatur, jam quidem prædestinatio & electio ista omnem gloriandi occasionem tollet: sed simul etiam cum gloriationis vitio tollet omnes virtutes, & pietatem, seu unicam piè vivendi*

causam.

causam. Quanto rectiùs de divina prædestinatione sentiunt, qui solam quidem Dei gratiam illius veram esse causam asserunt, non tamen sine conditione emendandæ, & inposterum ex Dei voluntate traducendæ vitæ, quantum diligenti studio, divina ope adjutus, consequi possis. Hac enim sententia, ut divina gratia intacta & illibata prorsus relinquitur, sic non solùm omnis gloriatio, & animi elatio, sed etiam omnia alia vitia penitus tolluntur, & istorum loco omnis generis virtutes & rectè facta inseruntur.

Apostolicum illud dictum, partim nihil ad rem facit, partim Meisnero contrarium est. Nihil facit ad rem, cùm Apostolus hîc non loquatur de gloriatione aut elatione, quâ quis coram Deo ex bonis operibus ac meritis suis sese jactat, sed quâ, ob divinum aliquod beneficium, alios præ se contemnit, quemadmodum subjecta materia, Iudæorum rejectorum, & Gentium in ipsorum locum electarum, docet. Contrarium autem Meisnero est, tum quòd ex ista Meisneriana electione facillimè talis gloriatio & animi insolentia, aliorumq́ contemtus nasci queat: Si quis enim credat, se nominatim ad salutem esse electum, & suam finalem fidem *a Deo infallibiliter esse præ-[illegible]m, quomodo non facilè animo efferetur, præsertim cùm nec superbiam istam nocere sibi posse videat?*
✻ 22. *Tum quòd Apostolus electo metuere jubet, ne exscindantur: Meisnerus non jubet, utpote qui electum, reprobum fieri, propter infallibilem Dei præsensionem, nullo pacto posse putet.*

De Au-

De Augustini dicto, quod hic citat Meisnerus, lib: 2. de bon. persev. cap. 17. præscientiam ac prædestinationem cum studio virtutis cōciliantis, quid sentiendum sit, ex superioribus patet. Planè sic est, Augustine: si divina prædestinatione castus sum futurus, operam non dabo, ut castus sim, sed istius prædestinationis vim & effectum expectabo. Prædestinatio quidem ista ad bona opera, si eßet, non tolleret bona opera: sed istius prædestinationis opinio omnem bonorum operum curam cogitationemq́; voluntariam tollit. Gloriationem autem, quòd castus sim, & piè vivam, non tantùm excludit donum absq; ullo studio & opera; sed etiam donum cum studio ac opera, qualia ferè sunt omnia Dei dona, non innata, sed acquisita. Cæterùm Augustinus in hoc dicto expreßè aßerit, Deum prædestinare homines non tantùm ad vitam æternam, quod solum volunt Lutherani, sed etiam ad bona opera, seu vitæ æternæ consequendæ media, ut volunt Calviniani. Vnde apparet, & Augustinum cum Calvinianis facere, quod infra negat Meisnerus; & Meisnerum inconstanter Calvinianis objicere, quòd eorum prædestinatione tollatur omne bonorum operum studium: quandoquidem hæc Augustini verba ideo citat, ut prædestinationem istam cum bonorum operum studio conciliari poße ostendat.

Reliqua Meisneriana concio, quæ sequitur, per ea, quæ diximus, facilè refutatur. Ecce electus es, *inquit,* & non vives piè, justè, castè? *Primò, quis mihi dicet, me electum eße, & non rejectum? quid si rejectus*

rejectus sum, cur me nihil profutura virtute fatigem? Sed esto, electus sum; perire igitur nō poßum; cur pietati, justitiæ, castitati dem operam? cùm nec hac conditione electus sim, nec si eßem, infallibilis Dei præsensio, quâ me talem futurum eße novit, ideoq; elegit, etiam sine ullo meo privato studio ac opera, falli poßit? Electus es, & amabis voluptates, divitias, gloriam? *Quidni? malo enim utraq;, & cœlesti, & terrena felicitate potiri.* Quare superbis ob merita, cùm electio facta sit ex gratia? *Atqui facta est ex conditione* fidei perseverantis, bonæ conscientiæ, sanctæ vitæ. *Hæc enim Meisnerus identidem inculcat. Quodsi ista Dei gratiam tollunt, & gloriandi occasionem suppeditant, i Meisnere approbatum Calvinianam prædestinationem absolutam, quâ ad vitam pariter & fidem homines prædestinati eße dicuntur.*

pag. 51, 53. Quia, *inquis*, à Deo gratis prædestinati sumus ad vitam, ergo corde diligamus, firmiter credamus, ore celebremus, manibus bene operemur, adeoq; electionem per nostra opera firmam testatamq; faciamus. *Si gratis, id est, sine ulla conditione, quid attinet istas conditiones implere? si istis conditionibus, ipsæ nobis ultrò inerunt, si immutabiliter prædestinati ad salutem sumus? Quid audio, Meisnere? Vis tu, ut electionem nostram per bona opera firmam faciamus? Ergo, nisi bona opera accedant, non erit firma, & mutari poterit? O magnam veritatis vim, quæ etiam invitis testimonium*

sui

ſui extorquet? Teſtatam autem facere electionem quid attinet, dummodo reipſâ electus ſis? Quanquam ne teſtatam quidem electionem facit is apud Meiſnerum, qui piè vivit, & bonis operibus abundat: ſed ille demum, qui in fide Lutherana moritur. Electus es, *inquis*, ergo pati, precari, laudare, & gratias agere debes. *Quid ſi impatiens, ſi in precibus & gratiis agendis negligens fuero? num propterea electus eſſe deſinam, ſi electus ſum? ſi non electus, numne idcirco electus fiam?*

Agit nunc de Calvinianorum ſententia Meiſnerus, & ſuo calculo comprobat, firmiſſimis argumentis confectam eſſe à Socino ipſorum de divina prædeſtinatione ſententiam: Ideoq; ipſos monet, ut ab hac opinione diſcedant, & Deo tandem dent gloriam, ac errorem fateantur. Alios monere ſcimus, Meiſnere, ut errores agnoſcant: ſed præſtaret, ut illis exemplo præiremus. Idem facite vos ipſi: date gloriam Deo, & agnoſcite veſtros graviſſimos errores, in quibus adhuc verſamini, & propter quos blaſphematur, *ut tuis verbis utar*, nomen Domini inter populos, & tota Evangelicorum doctrina redditur ſuſpecta: *propter quos Pontificii non tantùm ab erroribus ſuis non recedunt, ſed etiam plurimi eorum, qui receſſerant, iterum ad eos revertuntur: ita manebit Deo ſuus honor, & Chriſtianæ fidei puritas: ita non dabitur ſcandalum adverſariis, non impedietur ipſorum converſio: adeoq; gaudium erit coram angelis Dei, quorum lætitia eſt errantium pœnitentia.*

II. De

II. De sententia nostra in articulo Prædestinationis.

DE *nostra sententia in hoc prædestinationis divinæ articulo acturus, primùm eam proponit: deinde, eâ pietatis studium non promoveri, ostendere conatur. Proponit eam non rectè. Nec enim nos dicimus, Deum certa individua ab æterno prædestinâsse ad vitam, certa reprobâsse, idq; ideo, quòd illa quidem piè victura, & libero arbitrio rectè usura, hæc verò non usura præviderit. Utrumque istorum, & prædestinationem reprobationemq; in singulari seu individuo factam, & præsensionem istam, utpote utramque pietatis studio infestam, & S. L. contrariam rejicimus. Sed id tantùm asserimus, Deum eos omnes, quicunque ipsius præceptis pro virili ad finem usque paruerint, ad vitam æternam prædestinâsse; eos verò, qui non paruerint, reprobâsse. Ut verò quispiam Deo hac ratione obediat vel non obediat, cuique liberum esse dicimus, nec quenquam à Deo, antequam esset, vel prædestinatum, vel etiam infallibiliter prævisum ad obedientiam vel inobedientiam esse contendimus. Itaque electio & reprobatio in genere prorsus est certa & immutabilis: in individuo autem mutabilis est, utpote cùm ex electorum, vel etiam ex reprobatorum numero esse, cuiq; à Deo liberum sit relictum.*

*Hæc sententia quomodo pietati noceat, ostende Meisnere. Orditur nobis iterum concionem, & vi-*tam humanam *comparat* navigationi. In qua

naviga-

navigatione duos ſcopulos vitandos eſſe monet: Vnum timorem & deſperationem: Alterum tumorem & gloriationem. Noſtram verò religionem anſam dare tum deſperationi, tum gloriationi; idq; vel ex hoc unico de prædeſtinatione articulo patere *dicit. Si agnoſceret Meiſnerus, in hac navigatione noſtra longè plures occurrere ſcopulos, quàm iſtos duos, multò feliciùs & ipſe fortaſſis, & alii navigarent. Verùm quia iſtos tantùm duos ſcopulos vident, propterea non cavent alios non minùs periculoſos. Quot ſunt vitia, Meiſnere, tot ſunt ſcopuli. Hos omnes vitare & effugere debet, quiſquis ad illam æternæ felicitatis ſtationem navigat. Deſperatio ſi oriatur ex animo malè ſibi conſcio, ac multis vitiis polluto, quamdiu iſta vitia virtutibus nõ excutiuntur, meritiſſima eſt; nec qui in eam incidit. Deum offendit, ſed potiùs, quia Deum offendit, in eam incidit. Talis deſperatio non peccatum eſt, ſed pœna. Hujus deſperationis, ſi cui cauſa eſt noſtra ſententia, non id fit ſententiæ ipſius vitio, ſed vitiis illius, qui meritò deſperat. Hanc deſperationem parit univerſa Chriſtiana religio, quæ docet, neminem ſine ſanctimonia Deum viſurum: non ingreßurum in illam cœleſtem Ieroſolymam quicquam pollutum, aut faciens abominationem & mendacium: excludendos eße canes, veneficos, ſcortatores, homicidas, idololatras, mendaces omnes, &c. Imò quæcunq; doctrina homines iſtis & aliis vitiis pollutos, nec mores ſuos mutantes, ſolatur, & ſpe bona implet, fore, ut nihilominus*

æternam felicitatem consequantur, erronea est, perniciosa est, & homines in alium desperationi contrarium, h. e. in securitatis vanæq; fiduciæ scopulum infigit. Et talis est tum vestra Religio universa, tum hæc de divina prædestinatione sententia.

Omne, *inquis*, dogma scripturæ consentaneum parit consolationem. *Rom: 15. 4. Sed cui? Sanè nō in peccatis hærēti, dummodo meritum Christi apprehendat; sed sese ad Deum convertenti, sed charitatem, patientiam, spem, quarum rerum ibidem Apostolus meminit, habenti. Spem autem istam quicunq; habet, ille seipsum purificat, sicut & Deus purus est, 1 Ioh: 3. 3. Quocirca eo ipso summopere laudanda est sententia nostra, quòd iis, qui peccato serviunt, dum tales sunt, salutis nullam spem faciat: Contrà, eos, qui piè vivunt, nec ulli peccato mancipati sunt, tantum abest, ut sententia nostra ad desperationem adducat, ut eos in spem certam ac solidam erigat æternæ salutis. Nec enim in electione divina requiri putamus perfectam & omnibus numeris absolutam obedientiam, seu, ne unquam peccemus, aut tentemur, quemadmodum tu loqueris; sed eam obedientiam, qualem fides in Christum, & spes immortalis vitæ in unoquoq; producere potest. Potest autem eam, ne ullius peccati consuetudine teneamur, ac ut totis viribus bona opera sectemur, & vitemus mala. Hoc qui facit, nostrâ sententiâ, in spem certissimam salutis erigitur: qui non facit, quandiu talis est, meritò ad desperationem adigitur.*

Perse-

Perfectio præceptorum, iræ divinæ gravitas, piorum infirmitas ac peccata, *non quidem* quotidiana, *ut tu vis, sed tamen intervenientia, spem æternæ salutis excutere illis nō poßunt; cùm sciant, Deum summo jure non usurum, (quod David in judicium intrare vocat Psal: 130. 3: 143. 3. quæ loca hîc citâsti,) sed paternâ benignitate omnibus & præteritis peccatis, & præsentibus erroribus ac infirmitatibus veniam daturum eße.* Misericordia, *inquit Iacobus*, gloriatur adversus judicium. *Ideo & pii, quia misericordiæ & charitatis erga proximum sunt pleni, a Deo misericordiam expectant.* Perfecta sunt præcepta: *At nos non sumus sub lege, quæ perfectam illorum observationem requirebat, sed sub gratiâ, quæ fide per charitatem efficaci, seu bonis operibus animatâ, contenta est.* Gravis est ira Dei; *sed adversus incredulos, & in peccatis manentes.* Infirmi sumus: *sed in Christo Iesu, qui nos corroborat, omnia poßumus.* sed labimur: *at, ne unquam labamur, contendimus;* Accusat Diabolus: *sed Deus est qui justificat, Christus est qui pro nobis interpellat. Quodsi tamen quispiam, qui Deo ex animo obedit, adeò parvo sit animo, ut de sua salute, videns quantum adhuc sibi ad perfectionem desit, dubitet, is propterea Deo minùs gratus non erit. Multò beatior est ille, qui de sua salute injuriâ dubitat, quàm qui nimiùm securus est. Dum verò ais,* non esse infrequens, ut sanctissimi in Ecclesia tententur, & dubii fiant de salute sua, ob sensum peccatorũ

& iræ divinæ, ob perfectionem præceptorum, & accusationem Diaboli, *imprudens sententiam nostram approbas. Si enim de salute sua ob peccatorum suorum sensum dubitant, apparet, electionis hanc esse conditionem, ut peccatis careamus.* Nam *si non est, sed tantùm ut meritum Christi firma fide apprehendamus, non est, cur unquam propter peccatorum nostrorum sensum, &c. de salute nostra dubii simus. Apparet, Meisnere, quàm bellè ista meriti apprehensio vulneratæ conscientiæ medeatur.*

Ad alterum navigationis istius nostræ scopulum quod attinet, gloriationem *nempe* Pharisaicam, *hunc similiter longè declinat, quicunque sententiam nostram sequitur.* Nam *si ille demum est electus, qui omnibus vitiis caret, etiam gloriationis isto, & superbiæ adeò fœdo vitio carere debet.* Num *putas, eum verè justum & pium esse, qui Pharisæum illum superbum & gloriabundum imitatur? Sanè ridiculi estis, cùm putatis hominem, qui verè justus sit, & bonis operibus præditus, gloriabundum esse solere; quasi humilitas, et coram Deo ac hominibus dejectio, nō sit ex bonis operibꝰ, & quidē præcipuis, adeò ut qui hac virtute destitutus sit, vix ullâ præditus esse queat. Humilitas enim fundamētum est reliquarum omnium virtutum. Deinde gloriatio illa Pharisaica non in ipsa rei veritate, seu in vera vitæ justitia fundata erat, sed in falsa justitiæ opinione, quâ tumebat: qui ideo, quòd careret quibusdam enormibus vitiis, rapacitate, injustitiâ, adulterio, (quanquam ne istis quidem*

fortè

fortè carebat omnibus, quemadmodum Phariſæis alibi Chriſtus objicit,) & quòd externa quædam opera faceret, omnibus vitiis carere ſibi viſus eſt, cùm tamen plurimis mancipatus eſſet. Hujus autem tumoris, & falſæ opinionis, num ſententia noſtra, quâ non fucatam, ſed veram, non in quibusdam, ſed in omnibus virtutibus ſitam juſtitiam in electione à Deo requiri dicimus, ullam dare poteſt cauſam, & juſtam occaſionem? Præterea quomodo gloriari poterit is, qui ſciet, non operum ſuorum ullo merito ſe electum eſſe, & æternæ ſaluti deſtinatum, ſed ſolâ divinâ gratiâ, licèt non ſine bonis operibus? qui ſciet, opera ſua, etiamſi perfectiſſima eſſent, infinito tamen intervallo à vitæ æternæ præſtantia abeſſe? qui ſciet, quantum perfectioni operum ſuorum deſit; ita ut niſi Dei ſumma miſericordia & clementia accederet, meritiſſimò damnari poſſet? qui ſciet, divinâ gratiâ ſe ad bona opera excitatum, & in iis perficiendis adjutum fuiſſe? Quomodo talis propter bona opera efferri & gloriari poterit?

At inquis: Quantum noſtris operibus adſcribimus, tantum divinæ gratiæ detrahimus, adeoq; illam pro unica & ſolitaria noſtræ ſalutis cauſa non agnoſcimus. *Non eſt hoc ſimpliciter dicendum, Meiſnere; ſed ſi quippiam bonis noſtris operibus attribueremus per ſe, non propter divinam gratiam. Opera noſtra omnem ſuum valorem à gratia accipiunt, & tantum valent noſtra opera, quantum ea valere vult Dei gratia. Quid? qui ideo bonis operibus*

vibus omnem in negotio salutis vim adimunt, ne gratiæ divinæ quidquam detrahant, eo ipso divinam gratiã imminuunt; cujus tanta magnitudo est, ut omnem omnium operum dignitatem penitus obruat. Num ideo quicquam divinæ gratiæ detrahitur, quòd fidei nostræ salus adscribitur? Non puto. nempe quia fides non sua dignitate & merito, sed propter Dei gratiam, salutem parit. Sic quia nostra opera, similiter nõ sua propria dignitate ac merito, sed propter divinam gratiam salutis sunt causa, ideo per ea divinæ gratiæ ne tantillum quidem abscedit. Nam si dicas, fidem eße Dei donum, dicam & ego, opera nostra bona non minùs eße Dei donum, atteſtante Apostolo, qui nos non solùm ratione fidei, sed etiam ratione bonorum operum, Dei opus eße dicit, conditos *nimirum* in Christo Iesu ad bona opera, quæ præparaverit, ut in iis ambulemus, *id est, ita nos ad studium bonorum operum per Christi disciplinam formaverit & imbuerit, ut pietatis viam multis antehac difficultatibus impeditam, planam & expeditam nobis reddiderit. Si dicas, fidem eße tale donum, ad quod nos nihil planè contulerimus, vel voluntatis propriæ vel operæ, sed illam nobis sic a Deo infundi, quemadmodum in vasculum aliquod liquorem infundimus: non minùs istud falsum est de fide, quàm de bonis operibus. Fides enim nostra tùm, cùm Deus occasionem & causam credendi nobis suppeditat, voluntarium est opus. Ideoq́, qui non credunt graviter & reprehenduntur, & puniuntur. Qui verò credunt, laudantur, &*

præmiis

præmiū maximū à Deo afficiuntur. At quomodo quis puniri justè poßet ideo tantùm, quòd ei Deus quidpiam dare noluerit? Omnem & hominum religionem, & Dei justitiam penitus evertunt, qui fidem talè Dei donum eße statuunt. Egregia vero electionis conditio: Eum eligo ad vitam, cui fidem infundere voluero: eum in æternum puniam, cui fidem infundere noluero. Et quid attinet hanc conditionem inculcare hominibus, si neq; credere poßint, licèt maximè velint, neq; non credere, licèt maximè nolint? An talis electio non æquipollet prorsus absolutæ & inconditionatæ prædestinationi? Tantum ergo abest, hominem, qui operum suorum vilitatem & indignitatem, si cum justificatione, inprimis autem cum æterna vita conferantur, noverit, (noße autem quisq; Christianus debet) industriæ suæ, *ut tu loqueris,* suis laboribus præcipuam partem adscripturum, *ut potiùs nullam, si divina gratia absit, adscripturus sit;* ideoq; non in seipso, *quemadmodum tu putas, nec in recto proprii arbitrii usu, sed in sola divina gratia spem omnem ponet.*

Testimoniū Pauli, quo dicit, Abrahamum, si ex operib⁹ justificatus sit, habere de quo glorietur, *dupliciter ad rem non facit. Primò, quòd non dicat Paulus, eum, qui ex operibus justificatur, confestim hac neceßariò gloriaturum eße: sed tantùm illum habiturum gloriandi causam & occasionem. Iam verò non omne id vitiosum est, & fugiendum, quod gloriationi causam suppeditat. Gloriatio enim duplex est:*

Vna est recta, sancta: altera turpis, & vitiosa. Illa est, cùm in Deo gloriamur, id est, felicitatem quidem nostram & dignitatem deprædicamus, sed eam in solidum divinæ gratiæ ac bonitati attribuimus. Hoc modo gloriati sunt sæpe sancti, gloriatus est sæpè Apostolus Paulus: hoc modo gloriari omnes Christiani nō tantùm poßumus, sed etiam debemus. Tali gloriationi ansam & occasionem præbent omnia divina in nos collata beneficia, præsertim ea, quæ Deus per Christum in nos contulit. Num *ista vestra electio, qualem vos fingitis, occasionem tali gloriationi non præbet? Quid? nec ea quidem continuò sunt rejicienda, quæ vitiosæ gloriationi materiam subministrant. Vix enim unquam homines gloriantur, nisi propter res naturâ suâ bonas ac præstantes. Quia verò sic gloriantur, ut eas Deo acceptas non referant, sed suis vel meritis vel viribus attribuant, ideoq́ alios, qui iis sunt destituti, contemnant, vel etiam eas plus justo æstiment, id non rerum ipsarum vitio fit, sed eorum, qui eas possident.* Num *res ipsæ tollendæ sunt propter earum abusum? Paulus dicit se, si quisquam, habere causam gloriandi propter res carnales, quas etiam statim enumerat.* Num *ergo res istæ per se & suâ naturâ erant vitiosæ? Itaq́, etiamsi id verum eßet, quod tu hîc aßeris, sententiam nostram de electione ansam & occasionem hominibus dare vel desperandi, vel gloriandi: non tamen ideo sequeretur, sententiam nostram eße rejiciendam; utpote cùm ista suâ naturâ & per se ex sententia nostra non fluant; sed, si fluunt,*

Philip. 3, 3, 4, 5.

fluunt

fluunt ex accidenti, & hominum ipſorum culpâ. Si Abrahamus ex operibus juſtificatus fuiſſet, & gloriatus fuiſſet in Deo, id eſt, opera iſta ſua Deo accepta tuliſſet, nec alios, qui ea non haberent, præ ſe contemſiſſet, nec ea tanti duxiſſet, ut propter ea Deum quicquam ſibi debere exiſtimaſſet, nedum vitam ſempiternam, certè nihil ea in re peccâſſet. Si verò ideo in faſtum & ſuperbiam præcipitem dediſſet animum, jam id ipſius, non operum vitio, eveniſſet. Secundò, Paulus in his verbis non loquitur de operibus fidei, ſeu de talibus operibus, quæ nullo ſuo vero proprioq́ merito pariunt juſtificationem: ſed de talibus, quæ gratiam in juſtificando excludunt, & ſuo merito juſtificationem ſibi vindicant; qualia ſunt opera perfecta, exacta, & talia, ut eorum ratione habita nemo, niſi ſumma cum injuria, juſtificatione privari queat. De talibus autem Apoſtolum loqui patet, tum quòd inde, quia Abrahamo gratis juſtificatio contigerit, cõcludat, eum ex operibus juſtificatum non eſſe: tum quòd operanti, ſeu opera habenti, dicat mercedem, id eſt, juſtificationem non imputari ex gratia, ſed ex debito dari; tum deniq; quòd credẽtem in Deum nõ operari dicat; quæ omnia nonniſi ratione perfectorum, & omnibus numeris abſolutorum operum dici poſſunt: patet etiam ex eo, quòd alioquin Abrahamus ex operibus fuerit juſtificatus a Deo, & amicus ejus appellatus, teſte Iacobo cap.2. Opera igitur perfecta, & quæ ſuo merito juſtificationem pariunt, gloriationem parere poſſunt, teſte Apoſtolo. Sed opera, qualia requi-

rit & quibus contenta est fides, qualiaq; Deus in electione & reprobatione hominum spectat, cùm sint multis ex partibus imperfecta, quomodo gloriationi occasionem & ansam præbebunt?

Vestra de electione sententia, etiamsi gloriationi Pharisaicæ ansam non præberet, & hunc scopulum vitare doceret, in alium tamen, huic ex adverso situm, scopulum impellit, qui est Publicanica illa, ut sic dicam, humilitas, cùm quis illâ tantùm contentus est, & in ea sola desidet. Nec enim sola humilitas, & scelerum suorum agnitio, atque ad Dei misericordiam perfugium sufficit. Et si publicanus iste humilis & abjectus in iisdem vitiis & peccatis hæsit, nec vitam correxit, in posterum non minùs, quàm superbus

Luc. 18. 14. Pharisæus, damnatus est. Ideoq; Christus non simpliciter Publicanum justificatum esse asseruit, sed comparatè, præ Pharisæo, seu magis, quàm Pharisæum. nempe quia Pharisæus fortè tam malus erat moribus, quàm publicanus, eo verò multò deterior, quòd hic sua peccata agnosceret, & propter illa coram Deo sese abjiceret, neminem contemneret, ille suæ pietatis falsa opinione tumens, non tantùm homines, sed & Deum ipsum quodammodo despicere visus est. Non publicanica ista humilitas, Meisnere, est illa, quæ nos Deo prorsus gratos efficit, cùm scilicet nos humiliamus ideo, quòd publicani simus, id est, in variis peccatis hæreamus; sed cùm nos humiliamus, & coram Deo abjicimus, etiamsi omnibus virtutibus ornati simus: Has non nostræ industriæ, non propriis viribus,

sed ipsi

sed ipsi Deo attribuimus; neminem præ nobis contemnimus, imò quemvis sic honoramus, ac si nos viliores, ille præstantior esset, nihil nobis propter eas arrogamus: justificatione, multò verò magis æterna salute, nos prorsus indignos ducimus: quantum nobis adhuc desit, optimè novimus. Hæc humilitas, Meisnere, Deo gratissima est; & talem nos docuit Christus, cùm jussit, ut postquam omnia nobis præcepta fecerimus, dicamus, nos esse servos inutiles, quia ea fecerimus, quæ facere debebamus. *Ad hanc humilitatem omnes ducit, ut universa nostra Religio, sic inprimis de electione sententia.* Luc. 17. 10.

Iam videre potes, per sententiam nostram non solùm istos duos à te monstratos, sed etiam alios omnes in hoc vitæ nostræ pelago periculosissimos scopulos evitari. Evitatur & desperatio immerita, & illi opposita vana fiducia. Evitatur superba gloriatio, evitatur & inanis humiliatio. Evitantur deniq; omnia vitia: & inoffenso pietatis cursu, aspirante divinâ gratiâ, ad æternæ felicitatis portum fidei nostræ navicula provehitur. At verò, qui vestram sententiam sequuntur, fieri vix potest, quin in aliquem istorum scopulorum incidant, & salutis suæ naufragium patiantur.

Verùm quia tu, ut video, gloriationis & desperationis scopulos unicè horres, & satis habes ab utroque istorum deflectere; age ostendamus, nulla tempestate magis, quàm istâ vestrâ opinione, hominem in istos scopulos abripi. Aut enim quispiam electum se

vel re-

vel reprobatum novit, aut non novit. Si novit se electum, quàm facilè animo efferetur & insolescet, cæterosq́ contemnet, qui sciat ne superbiam quidem sibi ad salutem obfuturam? Si novit se reprobatum, quomodo non desperabit, quomodo non omni solatio privabitur, qui sciat nullis machinis se poße servari? Si verò neutrum novit, annon in perpetua anxietate & animi angustiis versabitur, ignarus, an sit ex electorum numero, an verò ex reprobatorum; an Deus suam præviderit finalem fidem, an præviderit impœnitentiam?

III. De duplici falsitate, quam Meisnerus immiscuisse Socinum dicit in ista prædestinationis materia.

A*It Socinum duplicem falsitatem immiscuiße in hac quæstione, alteram historicam, alteram dogmaticam. Illam eße, quòd scripserit Socinus,* dogma istud de absoluto prædestinationis decreto potissimùm haustum esse ex libris Aurelii Augustini. *Hîc Meisnerus dicit,* falsum esse, Augustinum ex professo defendisse absolutum hoc decretum, quomodo id Calviniani describunt. *At neq; hoc affirmavit Socinus: sed tantùm ex libris ejus hoc dogma haustum eße, idq́ non simpliciter, sed* potissimùm, *aßeruit. Iam verò hauriri ex alicujus scriptis dogma quodpiam potest, licèt ipse illud* ex professo non defendat: *sufficit si hoc ipsum faciat, quod Augustinum feciße Meisnerus hîc agnoscit,*

agnoſcit, id eſt, ſi durioribus locutionibus utatur, ſi ipſe ſit dubius, *& plerumq; tamen in aliquam ſententiam inclinet, licèt interdum vi veritatis ab ea revocetur, & aliquid proferat, quod cum reliquis non conſentiat. Quid Auguſtinus in iſtis verbis dicit, quæ citat Meiſnerus, ut ipſum purget, quod hodie non diceret quivis Calvinianus? Eſt enim iſtud prædeſtinationis dogma adeò horrendum, ut homines nullo modo audeant ea palàm & apertè proloqui, quæ ex ipſo neceſſariò fluunt, ſed in omnes partes ſeſe torqueant, ut illud quàm molliſſimè proferant. Quodſi liberet colligere Auguſtini dicta, agnoſceret quivis, rem ſic ſe habere, quemadmodum non ſolùm Socinus aſſerit, ſed vix quiſquam eſt, qui non agnoſcat, præter ſolum Meiſnerum.* Hoc unum, *quod ſuperiùs ipſe pag. 52. ex Auguſtino citavit, hominem à Deo prædeſtinatum eſſe ad bona opera, apertum eſt iſtius rei teſtimonium, agnoviſſe ipſum abſolutum hoc prædeſtinationis decretum. Sive enim dicas, ideo prædeſtinâſſe Deum quoſdam homines ad ſalutem, quia eos prædeſtinavit ad bona opera; ſive eum prædeſtinâſſe ipſos ad bona opera, quia prædeſtinaverit ad ſalutem; res tandem eò recidit, homines quoſdam ideo tantùm prædeſtinatos eſſe ad ſalutem, alios verò repudiatos, quia Deus ſic voluerit; quod ipſiſſimum eſt dogma Calviniſticum. Verùm non eſt, cur hac de re nunc litigemus.* Nihil *enim noſtrâ refert, quorum partibus Auguſtinus annumerandus ſit.*

Dogmaticam falſitatem dicit eſſe Meiſnerus eam,

quòd

quòd Socinus affirmet, posse perire eos, quos Deus saluti destinaverat, idq; ipsorum culpâ; & vicissim servari, quos Deus perdere decreverat, idq; ob ipsorum pœnitentiam, *id est, generatim loquendo, neminem sic nominatim eligi, quin perire possit; & vicissim neminem sic nominatim reprobari, quin servari possit, si ille credere desinat, hic incipiat. Hoc dogma, quo nihil verius, & ad pietatem promovendam accommodatius esse potest, Meisnerus erroneum esse dicit, & Scripturis contrarium. Origo & fons istius erroris Meisneriani nullus alius est, quàm illa infallibilis præscientia Dei, quâ Deum præscivisse infallibiliter dicit, quis in fide moriturus, quisvé non moriturus sit, & secundùm hanc conditionem Deum nominatim illos elegisse, hos reprobâsse, ut ita, quemadmodum infallibilis est Dei præscientia, sic etiam infallibilis sit ista nominatim facta electio & rejectio. Vides jam Meisnere, quantum possit ista infallibilis Dei præscientia, & quò erumpat? Quid juvat, quòd non absolutam, sed conditionatam prædestinationem agnoscatis, si nihilominus iam certum, & ab omni æternitate fixum ac determinatum est, quinam conditionem istam impleturi, & qui non impleturi sint? Num hæc sententia minùs nos vel securos, vel desperantes de salute, proinde in pietatis studio inertes reddet, quàm illa? Num minùs Socini argumentum, quod attulit, & quod tu ipse approbâsti, militat contra istam infallibilitatem præscientiæ, quàm absolutæ voluntati nixam prædestinationem,*

nempe

nempe velle Deum & curare, ut vivant illi ipſi, qui pereunt? At quomodo & velle,& curare poßet,ut vivant illi,quos nominatim & immutabiliter, ob certò prævisam eorum incredulitatem, in damnatorum numerum retulit? Et,ſi ſæpè pereunt illi, quos Deus vivere velit & curat, apparet, voluntatem Dei in ſervandis hominibus, (generatim loquendo) iſti infallibili præſcientiæ non niti. Præterea,ſi,ut univerſa Scriptura teſtatur, Electio facta eſt ſecundùm veram vitæ juſtitiam & pietatem, *id eſt, ea conditione, ut ſimus inculpati & irreprehenſibiles coram Deo, ſeu ab omni peccati habitu prorſus immunes: tam mutari poterit electio cuiusque hominis, quàm iſta vitæ pietas. Hanc autem ſemper mutari poße, & Socinus paulò poſt ex Scriptura docet, & negare Meiſnerus non audet. Teſtimonia Scripturæ, quibus ſententiam ſuam confirmare nititur Meiſnerus,adeò nihil ad rem faciunt, ut vel hinc appareat, quàm falſum hoc dogma ſit.*

Salvabitur, *inquit,* omnis populus, qui inventus fuerit ſcriptus in libro, *Dan. 12.1. Addit Meiſnerus:* nimirum vitæ, *vel* electionis æternæ. *Hic locus non docet,electos non poße deſinere eſſe electos,ſed tantùm,quamdiu electi manent, id eſt, in libro vitæ ſcripti ſunt,nō perituros. Nunc enim de eo quæritur, annon poſſit quispiam expungi è libro vitæ. Ex quo ſanè qui expungitur, ſcriptus in eo non ampliùs reperitur. Expungi autem hominem poße è libro vitæ,vel Moſes docuit,qui id à Deo, ſi aliter Iſraëlitis* Exod. 32. 32.

Apoc. 22. 19. cap. 3. 5. *è litis parcere nollet, postulavit. Verbis illis D. Iohannis quid clarius?* Qui abstulerit è sermonibus libri hujus, auferet & Deus partem ipsius ex libro vitæ, & ex civitate illa sancta. Qui vicerit, *inquit Christus*, non delebo nomen ejus ex libro vitæ. *Apostolus cooperariorum suorum in Evangelio nomina in libro vitæ scripta esse asseruit, Philip: 4. 3. è quorum numero Demam fuisse docet Philem:ver.24. & tamen hunc alibi se deseruisse, & hoc seculum dilexisse, scribit, 2 Tim: 4. 10.* Num *putas, istius nomen è libro vitæ, nisi resipuisset, expungendum nō fuisse? Itaq; hoc tuum testimonium novum nobis & quidem firmissimum contra te argumentum suppeditat. Si enim ex libro vitæ quispiam expungi potest, etiam electus esse desinere potest, ac proinde perire.*

Quos præscivit, *(interjicit Meisnerus,* finaliter credituros,) eos & prædestinavit, & vocavit, & justificavit, & glorificavit. *Rom: 8. 29, At quis te docuit, Meisnere, post illa verba Apostoli,* quos præscivit, *addere de tuo,* finaliter credituros? *Vides ergo, te nō niti Apostoli testimonio, sed cōjecturâ tuâ. Verbum* cognoscendi *hoc loco, quemadmodum & multis aliis, approbationem significat; &* præcognoscere *præapprobationem: quo sensu etiā utitur Paulus hac voce c. 11. 2. Et sic rectè procedit argumētum, seu sorites Pauli: Qui Deum diligunt, sunt ab ipso jam antè approbati: qui sunt præapprobati, sunt & ab ipso ad æternam felicitatem prædestinati, (quod ille*

conformati-

conformationem imagini filii Dei vocat,) qui verò ſunt prædeſtinati, iis omnia cooperantur in bonum. Igitur diligentibus Deum, non finaliter demum credituris, ut vult Meiſnerus, omnia cooperantur in bonum. Poſtquam autem, quale conſilium & propoſitum Deus de illis fecerit, expoſuit, nempe, quòd eos jam antè approbatos ad gloriam ſempiternam prædeſtinaverit, etiam oſtendit, quibus illos gradibus eò perducat. Nempe, *quòd eos primò* vocet *ad ſalutem; (& hoc eſt* ſecundùm propoſitum (*ſcil.* Dei,) vocatum eſſe; *quibus verbis univerſam hanc ſuam argumentationem veluti brevi compendio incluſit v. 28.)* vocatos *deinde, poſtquam ſcilicet vocanti Deo parent, & ipſum ex animo diligunt,* juſtificet, juſtificatos *autem* glorificet, *id eſt, filio ſuo Ieſu Chriſto conformes in gloria, quemadmodum etiam conformes fuerant in vitâ, efficiat. Paulus igitur non de certis hominum individuis, ſed de certo hominum genere, nempe de iis, qui Deum diligunt, loquitur, quos nos, in genere loquendo, nullo modo perire poſſe, ſed neceſſariò glorificandos eſſe, non tantùm concedimus, ſed etiam contendimus.*

Firmum ſtat fundamentum Dei, novit Dominus qui ſunt ſui. *2. Tim: 2. 19. Atqui non id nunc quæritur, an Dominus ſuos nôrit; (quis enim id negaret?) ſed an ii, qui Domini ſunt, Dominum deſerere non poſſint?*

Electos finaliter ſeduci eſt impoſſibile. *Hæc verba diſtincto charactere notata citat Mei-*

fuerus ex Matth: cap. 24. 24. Mar: 13. 22. Audax es nimis, Meisnere, qui nobis conjecturas tuas pro verbis scripturæ obtrudas. Christus dicit, dabunt signa magna, & prodigia, (*Pseudochristi & pseudoprophetæ,*) ita ut seducant, si possibile, & electos. *Ubi hic est mentio finalis seductionis? annon simpliciter de seductione loquitur: sive ea finalis sit, sive minùs? Etsi electi ante vitæ finem seduci poßunt, cur non etiam in vitæ fine? Præterea nihil minùs his verbis significatur, quàm electos seduci absolutè eße impoßibile. Christus enim, cùm dicit,* si possibile est, *tantùm limitat dictum suum de seductione electorum: interim non definit, num electos seducere sit vel possibile, vel etiam absolutè impoßibile; sed illud in ambiguo relinquit. quo ipso satis indicat, non eße simpliciter & absolutè impoßibile electos seducere; sed tantùm vel arduum id eße & difficile, vel, si impoßibile sit, secundùm quid tantùm, & ex accidenti eße impoßibile. v. c. cùm Christus rogat patrem,* si possibile, transeat à me calix iste, *nũ significare voluit, istud simpliciter & absolutè fuiße impoßibile? cur ergò id nõ solùm rogavit, sed etiam impetravit? per calicis enim istius translationem non mortem ipsam deprecatus est, sed animi terrorem & anxietatem, quæ intus eum affligebat.* Nam *per calicem, quo nobis hauriendum aliquid propinatur, eleganter internæ afflictiones significantur. Ideò Christus ipse alibi, cùm vellet & externas & internas afflictiones exprimere, illas quidem baptismatis, quo exteriùs perluimur, has verò calicis*

rò calicis, quem bibimus, nomine significavit. Similiter cùm Paulus jubet, ut cum omnibus pacem colamus, si possibile, *num istud impossibile prorsus esse indicat? cur ergo præcepit? aut cum Lucas de Paulo scribit, Actor: 20. 16.* illum festinâsse, ut, si possibile illi essèt, die Pentecostes esset Ierosolymis, *num istud Paulo simpliciter erat impossibile? quid ergo festinabat? quod etiam, credo, consecutus est. Quoties nos ipsi in communi sermone dicere solemus*; si possibile est, velim te hoc *vel* illud facere? *nec tamen istius rei, quam cupimus, absolutam impossibilitatem notamus, imò eo ipso, quòd petimus, possibilem eam per se esse ostendimus. Si quis dicat*, Christum & Apostolos tanta daturos fuisse signa & prodigia, ut etiam pessimos & contumacissimos homines, si possibile sit, conversuri essent, *num hoc dicens significabit, impossibile istud penitùs esse? Similiter ergo cùm Christus de pseudochristis loquitur*, eos, si possibile, *seducturos ipsos electos, nequaquam innuit, istud simpliciter esse impossibile, imò innuit non esse: sed tantùm intervenire aliquid posse, quod seductionem istam impediat, impossibilemq́; reddat. Si enim electi adversus istos pseudochristos & pseudoprophetas bene sese muniant, & sibi solicitè caveant, fit illis impossibile electos seducere. Cur enim alioquin Christus moneret electos, ut sibi à seductoribus istis caveant, eorumq́; verbis ne credant? quid? hæc ipsa verba, de miraculis ab istis hominibus edendis, num alio fine protulit, quàm ut electos suos cautiores efficeret?*

Agit etiam rationibus Meisnerus, & ait 1. *ex nostra sententia sequi*, electionem non factam fuisse ab æterno, contrà quàm dicatur *Ephes: 1. 4. 2. Tim: 1. 9. 2.* Electorum numerum non esse certum & infallibilem, sed subinde mutabilem, prout mutantur homines; quod contrariari *dicit* dictis. *Luc: 10. 20. 12. 7. Iohan: 10, 14. 13. 18. 2. Tim: 2. 19. Quod ad prius attinet, non sequitur ex nostra sententia, electionem non factam esse ante mundi jacta fundamenta, vel tempora secularia (quæ scilicet à mundo condito fluere cœperunt,) quemadmodum Paulus loquitur; sed tantùm sequitur, talem electionem, qualem Meisnerus intelligit, non esse factam. Paulus enim priore loco, à Meisnero citato, dicit*, Deum elegisse nos ante jacta mundi fundamenta, *non quòd jam tum revera nos elegerit, sed quòd eligere decreverit ac constituerit; quemadmodum statim seipsum explicans addit:* Prædestinans nos in adoptionem *&c. eo ipso enim, dum nos prædestinavit, ut filii Dei evaderemus, nos elegit. At prædestinatio decretum jam ante factum significat. Posterior etiam locus à Meisnero adductus istum egregiè explicat; in quo Deus* nos servâsse, & vocatione sancta vocâsse *dicitur*, secundùm proprium suum propositum & gratiam nobis datam in Christo Iesu ante tempora secularia. *Propositum enim istud Dei, & gratia nobis data ante tempora secularia, quid aliud est, quàm decretum Dei de nobis eligendis, & in filios adoptandis, ac immortali-*

mortalitate donandis? Quam gratiam etiam nunc manifeſtatam eſſe dicit, per apparitionem Servatoris noſtri Ieſu Chriſti, ſeu per ipſius Evangelium. At quid aliud nobis manifeſtavit Chriſtus, quàm Dei de ſalute noſtra decreta? Et quemadmodum vocatio re ipſâ ante mundum conditum facta non eſt, ſic nec electio. Vocatio enim electionem neceſſariò præcedere debet, cùm inter vocatos inſtituatur electio, Matth: 22. Hinc apparet, electionem reipſa non ab æterno, quemadmodum vult Meiſnerus, ſed in tempore fieri. Porrò decretum de eligendis hominibus ante ſecula factum, non certa aliqua individua nominatim concernit, ſed in genere omnes eos, quicunque vocanti ad ſalutem Deo credunt & obtemperant, ſeu, ut Apoſtolus ipſe hîc loquitur, Sancti & inculpati coram Deo ſunt. *Quia enim decretum electionis in hunc finem factum eſt, hinc apparet, ea conditione homines in electorum numerum aſciri, ſi ſanctos ſe præſtent & inculpatos. Hac enim demum ratione ex electionis iſto medio finis hîc conſequitur. Et ſanè ſi Deus certa individua nominatim ab æterno elegiſſet, alia verò, & quidem longè plura repudiâſſet, non potuiſſet Paulus in genere de nobis dicere, quòd Deus nos elegerit, & prædeſtinârit in filiorum adoptionem: per iſtud enim pronomen Chriſtianos in genere intelligit. At verò ſi cuivis Chriſtianorum aditus ad electionem patet, & nemo niſi volens ab ea excluditur, jure optimo dixit Paulus, Deum Chriſtianos in*

 genere

genere eligere decrevisse, & ad salutem prædestinâsse. Hinc Petrus monet, ut studeamus firmam reddere vocationem & electionem nostram: innuens, electos quidem nos esse, sed electionem istam nostrâ culpâ fieri posse irritam, sic, ut in nobis effectum suum habitura non sit, nisi illâ virtutum catenâ, quam v. 5, 6, 7, connectit, ornati simus.

2\. Pet. 1. 10.

Quod ad alterum attinet, electorum numerum non fore certum & infallibilem, sed, prout mutantur homines, mutabilem: hoc ipsissima est veritas. Dicta porrò scripturæ, quæ in contrarium citas, adeò nihil ad rem faciunt, ut illa tantùm recitâsse sufficiat. Quod tu fortassis animadvertens, ipsa dicta commemorare noluisti, sed tantùm eorum loca notasti. Quid enim ad rem facit, quòd Christus dicat, discipulorum suorum, quos ad prædicandum miserat, nomina scripta esse in cælis? Luc: 10. 20. Num hinc consequitur, omnium aliorum, quicunque unquam credituri, & in fide usque ad mortem constanter futuri erant, in cœlis similiter descripta esse nomina, & eorum, quorum sunt scripta, sic esse scripta, ut inde expungi nequeant?

Quid item ad rem facit, quòd Christi fidelium capilli in capite numerati sint? Luc: 12. 7. Num si capilli fidelium jam reipsa existentes numerati sunt, etiam omnes fideles nondum reipsa existentes, nec necessariò extituri, numerati sunt? ut omittam locutionem hanc proverbialem esse, nec aliud quidquam, quàm singularem Dei curam & providentiam circa

fideles

fideles denotare: non verò propriè dictam pilorum numerationem. Adde, quòd non de eo quæratur, an fideles ſint numerati, ſed an numerus iſte creſcere & decreſcere, ac ſubinde mutari, prout homines mutantur, nequeat? Et ſi à pilis argumenta ducenda ſunt, colligemus hinc, non minùs numerum electorum mutari poſſe, quàm pilorum. Itaq; vides Meiſnere, hoc tuum argumentum à pilis ductum, ne pili quidem pendendum eſſe.

Ioan: 10. 14. dicit Chriſtus, Ego ſum Paſtor ille bonus, & cognoſco mea, & cognoſcor a meis: *quod dictum tertio loco citas, cui ſimile eſt id, quod ultimo loco iterum adducis, 2. Tim: 2, 19.* Novit Dominus, qui ſunt ſui. *Sed num hinc ſequitur, eorum, qui Chriſti ſunt certum eſſe nec mutabilem numerum? Paſtor, à quo hîc ſimilitudinem ſumit Chriſtus, novit oviculas ſuas, & tamen earum numerus ſubinde mutari poteſt. num Chriſtus ſuos noſcere deſinet, etiamſi nunc hic, qui Chriſti erat, Chriſti eſſe deſinat, nunc qui non erat, ipſius eſſe incipiat? Cognitio rem ſequitur, non res cognitionem. Sed Meiſnerus vult, ut cognitio ipſa rem antecedat, id eſt, ut Chriſtus ab æterno cognitos ac deſcriptos habeat omnes ſuos, quod nec in utroq; iſtorum locorum, nec in ullo alio dicitur. Num ergo & illi, qui Chriſti ſunt, Chriſtum ab æterno cognitum habent? In priori enim loco non minùs Chriſtus à ſuis ſe cognoſci, quàm ſua ſe cognoſcere teſtatur.* Num illi, *qui ad tempus Chriſto viva & firma fide adhærent, quamdiu tales*

 ſunt,

ſunt, ipſius verè non ſunt? quodſi ſunt, annon mutabilis erit numerus eorum qui Chriſti ſunt?

Vnus ſupereſt locus Iohan. 13.18. cùm Chriſtus ad diſcipulos ſuos, quorum pedes laverat, inquit: Non de omnibus vobis loquor, *(nempe beatos illos eſſe, ſi ipſius exemplum imitati, alii aliorum pedes laverint, & humilitate vera præditi fuerint,)* Ego enim novi, quos elegerim; ſed ut Scriptura impleatur, Qui manducat mecum panem, ſuſtulit adverſum me calcem. *Quis hîc non videt, Chriſtum de ſolis diſcipulis ſuis, quorum pedes laverat, loqui, è quorum numero dicit ſe ſcire quos elegerit, & quem non elegerit, nempe Iudam proditorem? Cur igitur Meiſnerus iſta Chriſti verba,* novi quos elegerim, *trahit non ſolùm ad omnes, qui unquam fuerant, vel ſunt, ſed etiam qui futuri ſunt Chriſti diſcipuli? Num Chriſtus etiam iſtos undecim elegerat, antequam illos vocâſſet, & illi vocanti paruiſſent? Num ita elegerat, ut electione excidere non poſſent? Cur ergo, dato illis ſummæ humilitatis & exemplo & præcepto, dicit verſu præcedenti:* Si hæc ſcitis, beati eſtis, ſi facitis iſta? *Iſtud enim ſi, oſtendit, ipſorum electionem & ſalutem à conditione certa illis impoſita pependiſſe. Vbi autem talis conditio eſt, ibi homines iſto bono, quod ſub conditione vel habent vel habituri ſunt, excidere ſemper poſſunt.*

His locis prolatis, Meiſnerus, veluti re optimè geſtâ, audacter diſtingvit, inter electionem temporalem ad gratiam, & inter electionem æternam

ternam ad gloriam. Per illam, *inquit*, venimus in conſortium Eccleſiæ militantis; per hanc venimus in conſortium Eccleſiæ triumphantis: illam mutabilem eſſe dicit, quia fiat ſecundùm fidem præſentem, quæ amitti rurſus poteſt; hanc immutabilem, quia facta ſit ab æterno ſecundùm præviſionem fidei ultimæ, ſeu finalis, quæ iterum amitti non poteſt. *Primùm ex te quæro Meiſnere, quid per gratiam iſtam intelligas, cùm dicis, homines temporaliter eligi ad gratiam? Ad quam gratiam? ad Evangelicam, opinor. At Evangelica gratia quid aliud, quæſo, continet, quàm remiſſionem peccatorum, & vitam æternam, ſeu Dei gloriam? Quocirca qui ad gratiam eligitur Meiſnere, ſimul etiam eligitur ad gloriam. Cùm homines in Novo Fœdere* electi *ſimpliciter vocantur, nunquam alia electio ſignificatur, quâm ea, quæ eſt ad vitam & gloriam cœleſtem; licèt, nunc minùs perfecta & laxior, nunc magis perfecta & ſtrictior. Hinc Petrus in Epiſtola ſua catholica, Chriſtianos, ad quos ſcribit, in genere* electos *eſſe dicit, non tantùm* in obedientiam, *ſed ſimul etiam* in aſperſionem ſangvinis Ieſu Chriſti: *qua in re peccatorum remiſſio, ſangvine Chriſti parta, proinde & ſalus æterna continetur. Quocirca cùm Meiſnerus fateatur, electionem quandam eſſe mutabilem, electio autem omnis ſimul ſit ad vitam, relinquitur, ut electio ad vitam ſit mutabilis, utq́; electi ad vitam, electi eſſe deſinere, & ſic perire poſſint.*

Porrò quàm ille immutabilem vocat, quæ facta sit ab æterno secundùm prævisionem fidei ultimæ seu finalis, quæ iterum amitti nequeat, *nulla est, nec ullum ejus documentum ex Scriptura afferre potest Meisnerus. Et ipsa sana ratio hanc electionem repudiat. Sequeretur enim, Deum elegiße, & ad vitam æternam destináße homines propter ultimum illud, quod unà cum vita hominis extingvitur, fidei momentum. Hoc enim tantùm mutari non potest. Nam quamdiu vita durat fidem mutari posse, & Scripturæ testimoniis docebit mox Socinus, & Meisnerus agnoscit. Quid autem absurdius, & magis Scripturæ ac pietati adversum est, quàm Dei electionem adeò in angustum cogere, & planè ad nihilum, ut sic dicam, redigere. Iam verò si electio fit à Deo secundùm veram vitæ pietatem & justitiam, quemadmodum & scriptura universa, & ipsa recta ratio testatur, neceße est, ut fateris Meisnere, mutabilem illam eße, si fateris, ipsam pietatem & justitiam mutari, seu amitti ab unoquoque poße, quam confessionem velis nolis exprimet tibi mox Scripturæ dictis Socinus. Num illa electio, per quam venimus* in consortium Ecclesiæ militantis, *ut tu loqueris, facta est secundùm fidem magis operosam & diuturniorem; electio autem, quâ in consortium Ecclesiæ triumphantis pervenitur, facta est secundùm fidem momentaneam? Istud autem prorsus mirum est, Meisnere, eße in consortio Ecclesiæ militantis, nec tamen revera pertinere ad consortium Ecclesiæ triumphantis, quamdiu*

tu, quamdiu milites, & strenuè in vitia depugnes. Quid ergo attinet adeò duram exercere militiam, si triumphus etiam non militantibus conceditur; militantibus autem plurimis, etiam quamdiu militant, jus ad eum accessusq́; æterno Dei decreto negatur?

Tandem respondere conatur ad testimonia scripturæ a Socino allata, quibus probat, posse perire eos, quos Deus saluti destinaverat, idq́; ipsorum culpa: & vicissim servari, quos Deus perdere decreverat, idq́; ob ipsorum pœnitentiam: *Primum testimonium sumptum est ex Ezech. 33. cap. à v. 13. usq; ad 17. ubi dicitur, quemadmodum ipse Meisnerus citat*, justum, si fiat impius, damnatum iri, & impium, si talis esse desinat, & convertatur, salvatum iri. *Unde consequitur, cùm omnem justum Deus servare, & omnem impium damnare decreverit, justus autem possit fieri impius, & impius possit fieri justus; posse perire eos, quos Deus servare: & servari, quos perdere decreverat.*

Ad hoc Testimonium respondet Meisnerus, Deum homines nec elegisse, nec reprobásse, nisi secundùm justitiam & injustitiam finalem, non temporalem. Quæro, quid per justitiam istam finalem intelligas? Si veram vitæ sanctitatem, quâ fiat, ut nulli peccato mancipatus sis, ad finem usque vitæ durantem; concedo. Sed quomodo probabis, istam justitiam non semper fuisse mutabilem? Annon semper justus eam, si libeat, deserere potest? Cur ergo justi toties & tam graviter à Spiritu Sancto monentur, ut diligenter sibi caveant.

veant, ne à juſtitia ſua & pietate unquam degenerent? Cur Deus hîc apud Ezechielem dicit, Iuſtus ſi fiat impius? *Annon apertè ſignificat juſtum fieri poſſe impium? At inquis,* Ezechiel loquitur de temporali juſtitia, quæ eſt mutabilis, non de finali, quæ eſt immutabilis. *Imò verò Ezechiel loquitur de finali juſtitia & injuſtitia, nam quomodo alioquin & juſtum victurum, & impium moriturum aſſereret?* Num qui ad tempus tantùm, non verò ad vitæ finem juſtus fuit, vivet, & qui impius fuit morietur? *Annon manifeſtè tibi ipſi contrarius es Meiſnere, qui aliquem ob temporalem juſtitiam ſalvari, & ob temporalem injuſtitiam damnari negas, & tamen Ezechielem, juſto vitam, impio mortem deſtinantem, de temporali juſtitia, ac injuſtitia loqui aſſeris? Patet ergo, finalem iſtam juſtitiam & injuſtitiam, (generatim loquendo) proinde & electionem ac reprobationem ſemper fuiſſe mutabilem. Si verò per finalem juſtitiam & injuſtitiam intelligis eam tantùm, quæ in ultimo vitæ momento, ſeu, ut paulò pòſt ipſe loqueris,* circa vitæ terminum *in homine exiſtit, & unà cum vita abrumpitur; eam quidem nos immutabilem, propter mortis interventum, fatemur: Sed ſecundùm hanc momentaneam juſtitiam electionem factam eſſe negamus; qua de re ſuperiùs jam egimus. quid, quod momentaneum iſtud quidpiam, nullo modo juſtitia appellari poteſt, quæ omnes virtutes, & plurima rectè facta complectitur: hinc & Meiſnerus illud multò libentiùs fidem, pœnitentiam, vel*

am, vel impœnitentiam finalem vocat. Denique etiamſi tandem electio vel reprobatio ſecundùm iſtud ultimum pœnitentiæ vel impœnitentiæ momentum eſſet facta; mutabilis tamen eſſet: cùm iſtud ab hominis libera voluntate totum pendeat, ad Deum in extremo vitæ tempore vel converti, vel averti: quidquid autem à libera hominis voluntate pendet, incertum eſt, nec præſciri infallibiliter ſuâ naturâ poteſt.

Secundo loco affert Socinus Apoſtoli teſtimonium, ex cap. 11. ad Rom: qui docet, tum inſitos olivæ ramos, ac propterea participandæ ejus radici & pinguedini in perpetuum propter fidem deſtinatos, poſſe propter infidelitatem excindi: tum viciſſim, jam propter infidelitatem exciſos denuo propter fidem inſeri. Ad hoc teſtimonium ita reſpondet Meiſnerus, ut ſatis habeat dicere, Paulum hîc non loqui primò de electione ad vitam, & Eccleſiam triumphantem, ſed potiùs de electione temporali ad gratiam, & vocatione ad Eccleſiam militantem. *Apparet, Meiſnerum hîc non habuiſſe quod reſponderet. Quid enim? Etiamſi Paulus in his verbis* primò *non ageret de electione ad vitam, & Eccleſiam triumphantem, annon ſufficit, ſi agat* ſecundariò, *& ex conſequenti? Et ſanè ſi agit de adjunctione ad veram Eccleſiam & populum Dei, & ab eo excluſione, quod ſatetur & urget Meiſnerus, neceſſariò etiam ſimul agit de electione ad ſalutem, & ab ea rejectione. Niſi enim Eccleſiæ Dei inſeri ſecum*

trahat

trahat æternam salutem, & vicissim ex illa excindi, æternum interitum, nihil refert, sive Ecclesiæ sit insertus, sive ex ea excisus; nec Gentes in oleam insertæ habebant, cur sese adeò efferrent, ac gloriarentur, nec Iudæi ab ea defracti, cur animum tantoperè dejicerent. Quodsi verò necessarium est, si velis in societatem triumphantis Ecclesiæ admitti, ut priùs sis in contubernio Ecclesiæ militantis, hoc autem, ut ipse fateris, mutabile est, relinquitur, ut simul etiam fatearis, triumphanti Ecclesiæ conjungi esse mutabile.

Verùm tu nihil pensi habes, sive quis renascatur, & Ecclesiæ inseratur, sive iterū ex ea excindatur: fatale illud tuum electionis nominatim factæ decretum per obstantia quæq; viam & exitum sibi aperiet: Ais enim: possunt excindi renati, certò tamen salvantur omnes electi. Possunt inseri excisi, certò tamen damnantur omnes reprobati. *Quid hoc aliud est, quàm si diceres: nihil refert, sive renascaris, sive non renascaris, sive inseraris in Ecclesiam, sive ab ea excindaris. Sursum deorsum vertantur ista: si electus es, necessariò salvaberis; si reprobatus, necessariò damnabere? Ideo subjicis:* Vocatio & regeneratio sunt quidem mutabilia, æternum autem Dei decretum manet immutabile. *Annon manifestè regenerationem, sive adsit, sive absit, in electionis isto decreto minimè spectari asseris? Vbi ergo est illud, quod Christus tanta cum asseveratione dixit:* Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit, non potest videre regnum Dei? *O egregios*

Iohan. 3. 3.

pietatis

pietatis & regenerationis promotores, qui pietatem quidem & regenerationem mutabilia; electionem autem & reprobationem cujusvis, ab æterno fixam & immotam esse statuitis!

Sed præterea falsum est, Apostolum hîc non agere primò & præcipuè de salute & damnatione. Inseri enim radici sanctæ, hoc est, Patriarchis illis, Abrahamo, Isaaco, Iacobo, & cum iis prorsus coalescere, ac pingvedinis istius oleæ spiritualis, quæ verus est Dei populus, hoc est, divinæ gratiæ participem fieri, quid aliud est, quàm unà cum illis ad eandem felicitatem pertinere? quàm in censum filiorum ac seminis Abrahæ admitti? At verò qui semen Abrahæ sunt, etiam sunt eorundem bonorum, quæ Abrahamo Deus promisit ac destinavit, unà cum Abrahamo hæredes. Galat. 3. 29. Ex radice etiam, vel ex olea excindi, quid aliud est Apostolo, quàm penitus à Dei gratia excludi, & damnari? Nam pro eo, quod antea dixerat, Iudæos incredulos à Deo rejectos ac repudiatos fuisse, ver. 5. 15. justificatione excidisse, induratos fuisse, ver. 7. 25. & seqq. prolapsos fuisse ver. 11. (prolabi autem Apostolo est in æternam damnationem incidere: casum enim istum ibidem saluti opponit) nunc ait, illos ex radice illa sancta & olea esse effractos, & excisos. Hinc istud Dei summam severitatem nominat ver. 22, quemadmodum etiam ejus contrarium summam benignitatem & misericordiam. Quid plura? pro eo, quod dixit ver. 24. Iudæos iterum in propriam oleam insertum iri, ver. 26. & seqq. dicit illos

cit illos servatum, & ipsorũ peccata penitus ablatum iri. Nihil igitur hoc loco apertius est, Meisnere, ad demonstrandum, illos, qui divina benignitate ad sempiternam illam felicitatem electi ac destinati sunt, perire, & hac divinâ gratiâ, suâ culpâ, penitus excidere; vicissimq́; eos, qui à Deo rejecti ac repudiati fuerant, iterum ad gratiam, si in incredulitate manere nolint, redire posse. Quæ de æterno isto electionis ac reprobationis nominatim, secundùm infallibilem præscientiam, facto decreto addis, nihil aliud sunt, quàm mera principii petitio. Istud enim decretum, utpote Scripturæ & pietati penitus adversum, & quidem propter hanc ipsam nunc expositam rationem, prorsus rejicimus. Quare non erat, cur illi decreti istius immutabilitatem tacitè opponeres. Quid hoc aliud est, quàm armis jam ereptis pugnare velle?

Illud insuper miror, Meisnere, quòd finalem tantùm & extremam fidem, vel incredulitatem, seu, ad quam partem homo circa vitæ terminum sese sit conversurus, *Deum infallibiliter prævidere, & secundùm hanc infallibilem præscientiam de unoquoque decretum ab æterno fecisse statuas. Cur enim non etiam infallibiliter prævideri constantem & duraturam fidem vel infidelitatem, justitiam vel injustitiam, & secundùm hanc potiùs, quàm illam decretum de unoquoque fecerit? Nempe coëgit te huc confugere Scripturæ autoritas, quæ justum quamdiu vivit à justitia recedere posse statuit: ac proinde, cùm ista justitia mutabilis suâ naturâ sit, vidisti, credo, illi*

nec

nec præscientiam infallibilem, nec electionem immutabilem rectè applicari posse; ideoq́ in ultimo vitæ pariter & fidei momento, Dei & præscientiam, & electionem, res tantas, defigere coactus es. Nec animadvertis, unâ eâdemq́ operâ utramque infallibiliter vel posse, vel non posse præsciri. Nam si Deus fidem, quæ ante vitæ finem in homine reperitur, infallibiliter non præscit; quomodo eam infallibiliter præscire dicendus erit, quæ cum vita finitur: cùm non minùs ista, quàm illa sit incerta, mihiq́ semper, non tantùm antè, sed & circa vitæ terminum liberum sit non credere? Quodsi hæc libertas atque incertitudo ultimæ fidei non obstat infallibili præscientiæ, & electioni immutabili; ne longioris quidem fidei instabilitas illi obstabit, & sic potiùs secundùm hanc, quàm secundùm illam electio facta fuisse dicenda erat. Quodsi longioris & permanentis fidei perpetua instabilitas, quamdiu vita durat, præscientiam infallibilem, & electionem immutabilem non admittit; ne istius quidem in extremo vitæ existentis fidei mutabilitas eandem admittet. Et sic Meisnerus, ne in ultimo quidem vitæ momento electionis constantiam & firmitatem inveniet.

Tertio loco profert Socinus Pauli ipsius, qui procul dubio ad vitam æternam electus erat, de se testimonium, cùm 1. Cor. 9. in fine inquit: Ego corpus meum in servitutem redigo, ne, cùm aliis prædicaverim, ipse reprobus fiam. *Ex quo dicto apertissimè constat, Paulum, qui ad vitam æternam*

electus fuerat, potuisse fieri reprobum. Quodsi Paulus ipse reprobus fieri potuit, quantò magis cæteri?

Ad hoc dictum triplicem affert responsionem Meisnerus: medicos imitatus, qui cùm certum & efficax remedium non habent, varia adhibent. Primò dicit, hoc dictum tantùm opponi absoluto decreto, quo statuitur, electum certò salvari, quidquid etiam agat. *Atqui, te idem statuere, paulò antè vidimus, qui, quidquid tandem interveniat, electum perire, rejectum salvari, nullo modo posse, asseras Aliud enim est dicere, electum certò servari, quidquid etiam agat: aliud est dicere, in electione nullam habitam fuisse rationem actionum humanarum. Illud non minùs tu, quàm cæteri, affirmas: hoc affirmare, videri quidem non vis; revera tamen, saltem istarum actionum, de quibus hic loquitur Paulus, rationem in electione habitam fuisse negas. An enim illi tantùm apud te electi sunt, qui omnibus omnia fiunt, ab omnibus abstinent, corpus suum contundunt, & in servitutem redigunt; quod hic se facere, & quidem propter evitandam reprobationem, affirmat Apostolus? Cur labore non necessario fatigabatur Apostolus, si sufficiebat circa vitæ terminum ad pœnitentiam & fidem sese convertere? itaque vides, istud Apostoli dictum non minùs ultimariæ illi, quàm nulli pœnitentiæ & pietati adversari. Sed ad propositum veniamus. Dico, hoc Pauli dictum non tantùm opponi tali decreto, quo statuitur, hominem servari, quidquid etiam agat, sed etiam opponi immutabili*

mutabili cujusvis hominis electioni vel reprobationi. Qui enim dicit: hoc vel illud facio, ne fiam reprobus, significat se fieri posse reprobum. At fieri posse reprobum, & immutabiliter esse electum, inter se pugnant, & sese invicem tollunt.

Idcirco Meisnerus, hac responsione non contentus, addit secundam, nempe, vocabulum ἀδόκιμος non semper significare reprobationem æternam, sed sæpius ἀχρηςίαν, vel inutilitatem quandam, aut rem nullius usus, corruptam, depravatam, improbandam denotare ac proinde & hoc loco, cùm Apostolus dicit, ne reprobus fiam, idem esse, ac si diceret, ne luxuriosè vivendo, Spiritum sanctum expellam, & sic inutilis mihi, aliisq; malo exemplo fiam. Iam verò, *inquit,* ex renato & probato viro, qualis fuit Apostolus, fieri posse ἀδόκιμον & inutilem, quis negaret? *Non sic effugies Meisnere. Nam ut nunc paululum demus, reprobum hoc loco significare improbum & depravatum; quæro, num, si Apostolus ad mortem usque inutilis & improbus fuisset, nihilominus damnatus non fuisset?* Non *audebis, opinor, istud dicere.* Num *verò talis ad mortem esse non potuit? Si potuit, igitur & damnari potuit; si non potuit, ergo sibi metuere non debuit: imò quomodo verum erit simpliciter, quod tu ipse negare non audes, ex renato & probato viro fieri posse ἀδόκιμον & improbum? Frustra igitur, Meisnere, in voce*

ἀδόκιμος, *præſidium quæris, ſi & Apoſtolus ad mortem depravatis ac corruptis moribus eſſe potuit, & talis manens ſalvari non debuit. Cave verò dixeris, ſatis futurum fuiſſe, ſi Apoſtolus in fine vitæ pœnitentiam egiſſet. Ipſe enim Apoſtolus iſti* Evangelio *non credidit, qui tanto ſtudio & ardore pietatis certamen & ipſe certavit, & omnes, ſi coronam illam incorruptibilem aſſequi velint, certare juſſit. Deinde iſta ipſa finalis pœnitentia non minùs, quàm reliqua pietas abeſſe & adeſſe potuit.*

Porrò vocabulum ἀδόκιμος, *cùm ſimpliciter in* Novo *Fœdere de aliquo uſurpatur, ut hoc loco, non ſolet aliter, quàm* rejectum, repudiatum *ſignificare. Locus Rom. 1. 28. quem primò adducis,* tradidit eos Deus in reprobam mentem, *non obſtat: cùm non ſimpliciter hîc de homine, ſed de mente vox iſta uſurpetur. Vt omittam, quòd reproba mens, rectiſſimè hoc loco ſignificet mentem, quæ nulli rectè judicanti probetur, ſed ab eo rejiciatur, ac damnetur. Alter locus Heb. 6. 8.* cùm terra proferens ſpinas ἀδόκιμος *dicitur, ſententiam noſtram confirmat. Vocabulum enim* ἀδόκιμος, *non terræ iſtius inutilitatem, ſed infelicitatem ſignificat, quòd ſcilicet planè rejici ac repudiari ſoleat: quemadmodum & adjuncta verba,* Maledictioni vicina, cujus finis in combuſtionem, *indicant, & ſimilitudinis iſtius, à terra ſpinas & tribulos proferente ductæ, apodoſis prorſus requirit. Denique locus 2. Cor.*

13. 7.

13. 7. ſimiliter pro nobis facit: Deum oramus, ut nihil mali faciatis: non ut nos δόκιμοι appareamus, ſed ut vos, quod bonum eſt, faciatis, nos autem tanquam ἀδόκιμοι ſimus. *Quis enim, qui ſuperiora legit, non videt, eodem ſenſu hîc Paulum accipere vocem ἀδόκιμοι, quo illam accepit præcedentibus verſiculis, cùm ait:* An ignoratis vos ipſos, quòd Ieſus Chriſtus in vobis eſt? niſi fortè ἀδόκιμοι eſtis: ſperamus autem vos cogniturος quòd nos non ſimus ἀδόκιμοι. *quibus verbis ſtatim ſubjungit iſta, quæ citat Meiſnerus. Nihil autem manifeſtius eſt, quàm ἀδοκίμους in his, quæ citavimus, verbis, ſignificare homines à Deo vel Chriſto rejectos ac repudiatos.*

Sed etiamſi hæc eßet frequens vocis ἀδόκιμος ſignificatio, quam vult Meiſnerus; huic tamen loco non conveniret. Omnes enim loci hujus circumſtantiæ iſtam, quam nos dicimus, ſignificationem requirunt. Nam hæc verba, ne ipſe ἀδόκιμος fiam, *manifeſtè reſpondent ſuperioribus,* ut particeps fiam Evangelii, *ver. 23. id eſt, iſtius felicitatis, quam aliis annuntio:* Sic currite, ut accipiatis brabeum, *ver. 24.* ut accipiamus coronam incorruptibilem. *ver. 25. Oppoſitio etiam ipſa, quæ eſt inter hæc, æternam felicitatem aliis prædicare, & tamen eâ excidere, quam verba ipſa,* Ne, quum aliis prædicaverim, ipſe reprobus fiam, *præ ſe ferunt; idem exigit. Adde, quòd ineptum & tautologicum hoc loco ſen-*

co sensum, ista, quam vult Meisnerus, significatio efficeret: Contundo corpus meum, & in servitutem redigo, id est, ab omni vitio & corruptela abstineo, ne fiam res nullius usus, corrupta, ac depravata. Isto vero sensu nihil aptius esse potest; contundo corpus meum, ac omnis generis pietati mancipo, ne, cùm aliis æternæ felicitatis nuntium attulerim, ipse felicitate ista excidam. Hinc etiam ipse de se alibi: Non quod jam acceperim, aut jam consummatus sim, sed persequor, si & apprehendam. *&c,* Fratres, ego meipsum non puto apprehendisse. Vnum autem, *(scilicet facio)* eorum, quæ à tergo sunt, obliviscens, ad ea verò, quæ ante me sunt, me extendens, ad scopum tendo, ad brabeum supernæ vocationis Dei in Christo Iesu, *Philip. 3. 12. 13, 14. Annon hîc quoque apertè ostendit Paulus, longè se abfuisse ab ea opinione, ut crederet, se perire, & salute excidere non posse? Non enim id dicit se nondum reipsâ vitam æternam adeptum esse: Nam hoc dicere ineptum prorsus fuisset; Cui enim id ignotum esse poterat? Sed quod in eo se versari statu non crederet, ut certò ac immutabiliter servandus esset; ideò toto pectore se Christianæ pietati incumbere dicit, ne salute excidat, sed illud immortalis vitæ brabeum apprehendat. Nec antè Paulus de salute sua planè certus esse cœpit, quàm cùm videret, se jam ad mortem usque bonum certamen certâsse & cursum consummâsse, ac fidem servâsse. Tum demum dixit, repositam esse sibi justitiæ coronam, certòq; sibi*

à Domino

à Domino, justo judice, in illo die reddendam. Quodsi ergo Paulus, qui proculdubio electus fuit, perire, & salute suâ, antequam cursum suum consummâsset, & fidem plenè servâsset, excidere potuit; multò sanè magis reliqui electi omnes similiter perire, & salute sua excidere suâ culpâ possunt.

Addit tertiam responsionem Meisnerus, si fortè hunc cuneum pellere possit. Ait, electionem in se, & quò ad Deum, esse immutabilem. Sed nos de ea certos non esse absolutè, sed tantùm hypotheticè, si maneamus in fide, caritate, temperantia *&c. Primùm mirè inconstans es Meisnere. Nunc enim statuis, Deum eos elegisse, quos finaliter & circa vitæ terminum pœnitentiam acturos prævideret, licèt antea pessimè vixerint, pag. 71. 73: Nunc ais,* opus esse, ut maneamus in fide, charitate, temperantia: & nisi hæc conditio impleatur, salvari nos non posse. *Istis enim virtutibus prædictum esse, longè plus includit, quàm circa vitæ terminum pœnitentiam agere, & Christi meritum apprehendere. Si ergo hac conditione electi sumus, sanè electio mutabilis erit: cùm, ut antea ostendimus, semper à fide, charitate, temperantia recedere possimus. Deinde si electio & reprobatio in se est immutabilis, ut ais, cur ergo Paulus ostendit, se & electum, & reprobum esse potuisse: electum, si maneret in fide, charitate, & temperantia; reprobum, si non maneret? Non enim dicit Apostolus: Castigo corpus meum, ut certò sciam, me esse electum, non verò reprobum.*

probum; ſed ut electus ſim, & reprobus non fiam. Proinde nihil eſt, & contradictionem involvit id, quod addis: Quemvis Chriſtianum cum Paulo dicere debere: Caſtigabo corpus meum, ne fiam vel ſim reprobus, & damner: Quia ſcio, quòd ſub hac conditione Deus ab æterno elegerit, ut in Chriſtum credamus perſeveranter. Hoc igitur à me ni fiat, reprobum me eſſe, non electum conſequitur. *Quomodo enim ego caſtigabo corpus meum, ne fiam reprobus, ſi jam ab æterno immutabiliter vel electus, vel reprobatus ſum? Nam ſi electus ſum, reprobus fieri non poßum: ſi reprobatus ſum, quidquid tandem fecero, damnationem effugere non poßum. Si electio vel reprobatio à mea voluntate penderet, rectißimè id, quod vult Meiſnerus, diceretur; ſed quia pendet à præſcientia prorſus infallibili, quæ à mea voluntate nullo pacto dependet, ſed potiùs mea voluntas ab illa; propterea nihil relinquitur, quàm ut ego me fatis, & infallibili divinæ præſcientiæ permittam. Si prævidit Deus, me corpus meum caſtigaturum, caſtigabo; ſi prævidit, me non caſtigaturum, non caſtigabo; ſi me ab æterno immutabiliter elegit, perire non poßum; ſi reprobavit, ſalvari nequeo.*

Iſtud autem planè ridiculum eſt, quod veluti quartæ reſponſionis loco, in omnes ſeſe partes vertens addit Meiſnerus, Paulum potuiſſe fieri reprobum, ſi conſideretur ante æternum electionis decretum, & ante præviſam à Deo finalem fidem,

dem. Eſt igitur, *inquit*, poſſibilitas reprobationis à priori, de quo Paulus loquitur; ſed impoſſibilitas eſt à poſteriori, poſt ſemel factum electionis decretum, de quo nos loquimur. *Primùm implicat contradictionem*, aliquid conſiderari ante æternum electionis decretum. *Æterno enim electionis decreto nihil prius fingi ac cogitari poteſt; alioquin æternum non eſset. Vnde etiam patet, quàm inepta ſit iſta à priori & poſteriori diſtinctio. Deinde in eo principium petit, cum pro conceſso ſumit, de Paulo factum fuiſse æternum electionis immutabilis decretum. Iſtud enim decretum nos nunc everſum imus. Tertiò iterum contradictionem involvit, cùm ſtatuit, Paulum in tempore, & poſito jam æterno iſto electionis decreto, poſſibilitatem reprobationis ſuæ aſserere potuiſse. Quomodo enim Paulus poſse ſe reprobum fieri aſserere potuit, ſi jam æternum electionis decretum interceſſit? Imò ſi nullum unquam tempus fuit, quo decretum iſtud non extiterit? multò etiam ineptius adhuc eſset, non ſolùm aſserere, te poſse fieri reprobum; ſed etiam, ne reprobus fias, magnos labores exantlare, & corpus caſtigare ac ſubjugare: cùm tamen reprobus fieri, etiamſi maximè velis, nullo pacto poſſis. Paulus de eo loquitur, quod erat; non quod ante æternitatem, id eſt, nunquam eſse poterat. Et tamen concludens addis:* Atq; ſic iſta non pugnant invicem, ſed potiùs ſubordinata ſunt, & amicè conſpirant. *Non pugnant invicem, ſed amice conſpirant;* Poſſe

 fieri

fieri reprobum; & tamen nullo pacto fieri posse? Posse fieri reprobum in tempore; & tamen æterno et immortali decreto ad salutem electum esse? Non posse fieri ullo pacto reprobum; & tamen, ne reprobus fias, omnibus viribus anniti, & maximas perferre molestias? *Non vereris, Meisnere, apertæ veritati adeò refragari, ut nescio quibus tenebris temet involvere malis, quam permittere, ut tibi veritatis lux aliqua ex parte affulgeat.*

Membrum II.

An doctrina de servo arbitrio verum pietatis studium, & ab omnis peccati habitu immunitatem impediat?

IN *hac quæstione primùm Meisnerus suam confessionem de humano arbitrio exponit. Deinde ad argumenta Socini, quibus probavit, servo arbitrio pietatis & Deo obediendi studium everti, respondere conatur. Tertiò, nostram sententiam potiùs de libero arbitrio peccandi occasionem suppeditare, asserit.*

I. De sententia Lutheranorum.

PEr arbitrium, *inquit*, non intelligimus hominis voluntatem, vel naturalem & indifferentem volendi facultatem. *Quid ergo intelligis?* distinctam à voluntate δύναμιν, vel vim rectam eligendi bonum, & rejiciendi malum. *Iterum quæro, quid per istam* vim rectam *intelligas?*

gas? Eam proculdubio, quâ nonniſi bonum eligamus, & rejiciamus malum. Atqui nos de tali vi non quærimus, quam nec ante, nec poſt lapſum homini ineſſe ultrò concedimus. Nos talem vim intelligimus, quæ libera eſſe poſſit, non quæ ſit, vel vitii, vel etiam honeſtatis ſerva. Et contradictionem implicat: vis iſta recta eligendi bonum, & rejiciendi malum. *Si enim eligit bonum, & rejicit malum, libera eſt: In omni enim electione libertas eſt; ſi verò libera eſt, ſoli bono mancipata non eſt. Quocirca per* arbitrium, *cùm quærimus, an ſit liberum, nihil aliud intelligi debet, quàm ipſa hominis voluntas, ſeu nolendi & volendi innata facultas.*

Libertatem arbitrii concedit Meiſnerus, in actibus moralibus; *ſed negat* in ſpiritualibus, ante factam converſionem. *Verùm ipſa converſio proculdubio eſt actus ſpiritualis. Quæro igitur, num mihi liberum ſit velle vel nolle ad Deum converti? Si liberum eſt, ergo etiam ante converſionem in rebus ſpiritualibus libertas arbitrii concedenda eſt; ſi liberum non eſt, quomodo Deus homines, quia ſeſe ad illum convertere nolint, juſtè punire poteſt? Sed de converſione paulò pòſt plura. Nunc breviter examinemus ea, quæ Meiſnerus de homine non renato, ſeu non converſo dicit, ut probet, eum in ſpiritualibus actibus non habere liberum arbitrium.*

Homo, *inquit,* non renatus, peccato penitus eſt corruptus, ita ut nihil ſit niſi caro. *Ioh. 3. 6. Nego, omnem non renatum ita eſſe corruptum, ut*

libertatem arbitrii amiserit. In actibus quidem moralibus, teipso fatente, non amisit: at in actibus spiritualibus, id est, in habenda Deo fide, agenda pœnitentia, cur amisiße censendus sit? Hominem autem non renatum nil nisi carnem eße, non dicitur loco assignato. Est enim & anima rationalis, cui naturaliter competit voluntas: voluntas autem verè voluntas non est, si libera non est. Et in hoc maximè ab appetitu distingvitur. Etsi nihil nisi caro eßet, ne in moralibus quidem libertatem arbitrii haberet. Dicit quidem Christus loco notato, Quod natum est ex carne, caro est: *sed etiam statim dicit,* quod natum est ex spiritu, spiritus est. *Num verò etiam nil nisi spiritus est? Atqui infrà ipse dicis,* in nobis, *licèt renati seu ex spiritu nati simus,* remanere carnem quamdiu vivimus, quæ resistit spiritui, & repugnat legi mentis, habens, *inquis,* intellectum in divinis mysteriis cœcum. *Quid tum? Cœcitas ista intellectûs, in divinis mysteriis cognoscendis, nō tollit liberum arbitrium; sed tantùm illius usum aliqua ex parte impedit. Ignoti enim nulla cupido. Verùm si intellectus vel per spiritum sanctum, vel per Dei verbum illuminetur, tum statim homo arbitrio suo vel uti, vel abuti potest, id est, vel credere, vel non credere.*

Quanquam etiam cœcitas ista intellectûs aliquando est voluntaria & affectata. de qua cœcitate agitur in prioribus duobus à te citatis locis, 1. Cor. 2. 14, & Eph. 4. 18. In quorum priori dicit Apostolus,
Hominem

Hominem animalem non capere ea, quæ sunt spiritûs Dei. Stultitia enim ipsi sunt, & non potest cognoscere, quia spiritualiter dijudicantur. *quibus tamen verbis non tam id dicitur, quòd animalis homo prorsus non percipiat ea, quæ sunt spiritus Dei: quomodo enim illa pro stultitia ducere posset? quàm quòd ea non approbet, iis non acquiescat, quin potiùs illa subsannet, & irrideat. Hoc autem facit propter suam, ut ita dicam, animalitatem & carnalitatem, id est, propterea, quòd nil nisi vitam hanc præsentem, & quæ ad terram pertinent, spectet ac spiret. Intus apparens, ut dici solet, prohibet alienum. Quia animum suum in rebus terrenis planè demersum habet, propterea cœlestia repudiat. Quodsi verò mentem paululum attollere & ab hac vita rebusq; terrenis avocare & abducere vellet, facilè Dei mysteria capere, & approbare posset. Vnde etiam, quia id non faciat, magno se crimine obstringit. Homo non renatus haud ita cæcus est, ut etiamsi maximè velit, doctrinæ Christi mysteria sibi proposita & explicata videre nequeat, nisi Deus non tantùm veritatis lumine illi affulgeat, sed etiam novos quosdam oculos mentis, miraculosa ratione, intus in illo creet. Homo intellectu præditus in divinis mysteriis ita cæcus est, quemadmodum is, qui oculos quidem habet, sed in tenebris sedet: amove tenebras, & lucem infer; videbit. Oculi hominis sunt intellectûs, lux est Christi doctrina. Quodsi hac luce, & quidem sensim prudenterq; illatâ, homo Dei mysteria non cognoscit,*

gnoscit; oculos suos petulanter vel clausit, vel rerum carnalium & terrenarum coloribus, ut sic dicam, infecit. Ad quam cæcitatem etiam pertinet alter locus, Ephes. 4. 18. cùm de gentibus Evangelio refractariis Apostolus dicit, quòd obtenebratæ sint intellectu, abalienatæ existentes à vita Dei, propter ignorantiam existentem in ipsis, propter duritiem cordis ipsorum. *En causam istius ignorantiæ, cæcitatis, ac tenebrarum;* duritiem *nempe, hoc est, contumaciam & obstinationem* cordis ipsorum. *ideo etiam Deus non tantùm eos punit, qui agnita & suscepta veritate secundùm illam non vivunt, sed & eos non minùs, qui eam agnoscere ac recipere nolunt, Ioh. 3. 29.*

Tertius locus Ephes. cap. 5. ver. 8. cùm Apostolus de Christianis hominibus dicit, quòd fuerint tenebræ, nunc autem sint lux in Domino, *quemadmodum ostendit, homines in ignorantia rerum divinarum versari, antequam à Domino Evangelica luce collustrentur; sic vicissim ostendit, postquam lux Evangelii exorta est, homines propriâ culpâ & voluntate in ignorantiæ tenebris desidêre. Subjungit enim versu 14. admonitionem ad eos, qui adhuc vitiorum somno, imò & morte sepulti jacent:* Surge qui dormis, & resurge à mortuis, & illucescet tibi Christus. *Iam verò si illucescente Evangelio, in mea potestate prorsus non est somnum ignorantiæ ac peccatorum excutere, frustranea est, imo & inepta planè ista admonitio.*

Quòd

Quòd homo non renatus voluntatem habeat à Deo aversam, *istud non arguit, illum liberum arbitrium non habere: cùm hoc ipsum, quòd voluntatem à Deo averterit, liberè facere potuerit, & proculdubio fecerit. Præterea, num is, qui voluntatem ab aliquo aversam habet, idcirco non potest illam ad eum convertere? Quodsi liberum mihi est, ut amem hominem, quem oderim; cur non æquè liberum sit, imò magis, ipsum Deum? voluntariam autem prorsus & liberam eße aversionem hominis à Deo, indicat locus, quem primò citas, Genes. 6. 5. & seqq. Nam quomodo alioquin Deum pœnituißet, quòd hominem condiderit? quomodo illum diluvio extinxißet, si voluntatem non liberè ac petulanter à Deo avertißet?*

Hinc consequi ais, nullum hominem seipsum ad Deum ex propriis viribus posse convertere; *ad cujus rei confirmationem aliquot præterea scripturæ loca citas. Neq; hoc libertatem arbitrii in hominis ad Deum conversione tollit. Multa nos propriis viribus facere non poßumus, & tamen ea liberè, alienis adjuti viribus, facimus. Deus auxilio suo in nobis excitat & voluntatem, ut ad ipsum converti velimus; liberè tamen velle poßumus, ac nolle poßemus: & excitata voluntate vires subministrat; viribus tamen istis & uti, & non uti, nobis eße potest integrum. Ideo & Paulus Philippenses monet, ut officium vel propter id ipsum faciant*, quòd Deus in illis operetur & velle, & perficere. *Unde sanè consequitur, Deum non prorsus neceßariò, ac sine nobis*

utrumq;

utrumq; in nobis producere, alioqui monitioni Apostolicæ nullus eßet locus. Hinc etiam Petrus 2. Epistola cap: 1. v. 5. cùm dixißet, Deum omnia sua ex parte fecisse, quæ pertineant ad nostram & felicitatem & pietatem, nos monet, ut nostra quoq; ex parte omne studium ad id conferamus, & virtutem virtuti superaddamus. Nempe *nascimur sine ulla nostra opera & voluntate; sed non renascimur.* Nemo *coactus, velit nolit, Deo & credit, & obedit.* Ita *Deus salutis nostræ negotium partitus est, ut nos quidem sine eo nihil possimus, & ille sine nobis nihil velit. Alioqui nostra ad Deum conversio, non virtus eßet, sed necessitas. Istud docent loci a te citati.*

Ioh: 6. 44. dicit Christus. Nemo potest ad me venire, nisi Pater meus traxerit eum. *Sed quomodo Pater trahit? num invitum ac reluctantem? nequaquam.* Nam *alioquin, quomodo & isti laudari poßent, qui trahuntur, & illi, qui non trahuntur, reprehendi ac puniri? sed ut Christus sequenti versu statim explicat,* audientem á Patre & discentem. *Pater ergo docendo trahit homines ad Christum: qui discit, id est, Patri docenti aßentitur, trahitur; qui non aßentitur, non trahitur. Volentes ergo trahit Pater, euntes, non jacentes.*

Capite deinde 15. 4. 5. dicit Christus discipulis suis: Manete in me, & ego in vobis. Quemadmodum palmes non potest fructum ferre a seipso, nisi maneat in vite; sic neq; vos, nisi maneatis in me. Ego sum vitis, vos estis palmites: qui ma-

qui manet in me, & ego in illo, hic fert fructũ multum. Quia sine me nihil potestis facere. *Hic primum videmus, liberè nos manere in Christo, id est, illi firma fide adhærere, & cum illo sic coalescere spiritu, quemadmodum palmes adnascitur viti. Nisi enim id liberè faceremus, sed necessariò, nullus esset isti admonitioni locus: nec etiam pœnæ, quæ gravissima in eos, qui non manserint in Christo, v. 6. constituitur. Deinde videmus, Christum cum vite, nos cum surculis conferri: & surculus quidem, seu palmes, vim omnem succumq́; habet a vite: interim tamen & succum ipse a vite trahit, & in producendis uvis non otiatur. Sic & nos vires quidem, & spiritualem succum à Christo habemus: cæterùm & succum hunc per fidem ipsi trahimus, & operam ac studium ad producendos bonorum operum fructus, afferre debemus. Alioquin, si nobis planè otiosis & nihil agentibus, Christus in nobis bonorum operum fructus producit, cur nos tam graviter monet, ut fructus istos, & quidem ubertim producamus, ver. 8. ut ipsius præcepta servemus, ver. 10. Cur iis, qui fructum non ferunt, excisionem, id est, pœnam gravissimam denunciat, versu 2? iis verò, qui fructum tulerint, præmium maximum pollicetur, ver. 7?*

Tertius locus à te adducitur ex 1. Cor. 12. 3. quæ nihil ad rem facit. Cùm enim Apostolus dicit, neminem posse dicere Dominum Iesum, nisi in spiritu sancto. *Non quemvis hominem istud dicentem intelligit; alioquin enim communi experientiâ refu-*

 taretur;

taretur: Sed hominem spiritu aliquo vel præditum, vel saltem præditum se esse dicentem, quemadmodum ex initio capitis statim patet, in quo de spiritualibus, *id est, spiritu præditis hominibus agere se velle monet Apostolus. Tradit ergo in istis verbis regulam, quâ quis Spiritum Dei à spiritu erroneo possit dignoscere. Si Iesum anathema esse dicit, spiritus est erroneus; si dominum illum dicit, spiritus est sanctus: quam regulam etiam Divus Iohan. cap. 4. Epistolæ suæ proposuit ver. 1, 2, 3. Sed etiamsi denique ad id, ut Iesum Dominum dicamus, spiritus sancti requireretur opera, non tamen sequeretur, istud non liberè à nobis dici. Spiritui enim sancto & obsequi, & resistere, eumq́ vel in nobis fovere, vel contristari & expellere possumus: ideoq́ ut illud faciamus, hoc fugiamus, tam diligenter monemur. Quartus deniq́ locus, cùm 2. Cor. 3, 5. Paulus dicit,* non quòd apti vel sufficientes simus, ex nobis cogitare quid, tanquam ex nobis, sed aptitudo, *vel* sufficientia nostra est ex Deo; *non liberum arbitrium, sed aptitudinem & vires, easq́ sufficientes sine Dei auxilio in nobis esse negat, Paulusq́ illic non ratione conversionis, sed ratione muneris Apostolici de se jam renato loquitur.*

Ex his jam patet, quomodo sit intelligendum, quod subjicit Meisnerus, soli Deo id omne *(nempe quod ad eum convertamur)* ferri debere acceptum. *Si enim hæc verba ita accipiantur, ac si homo nihil planè in sua ad Deum conversione faciat,*

& sit

& sit veluti truncus ac stipes, falsum id omnino est. Quod enim verbi divini prædicationi aures, lectioni oculos, mentem considerationi, animum assensui, os professioni, manus & reliqua corporis membra executioni commodemus, nostra libera voluntate fieri dicimus. Verùm quatenus hæc omnia nullo pacto facere possemus, nisi Deus & naturæ facultatem, nisi aures, oculos, intellectum, voluntatem, os, manus, & reliqua membra nobis dedisset, & præterea nisi nos vocâsset, ac ad se invitâsset, verbum suum nobis prædicari, illudq́ omnibus modis confirmari curâsset; hactenus conversionem nostram soli Deo in solidum attribuere debemus. Hac sententia & divinæ gratiæ, & nostræ virtuti locus relinquitur.

Neq; *diversum suadent, quos citas, loci. Primus Ierem: 17.14.* Sana me Domine, & sanabor, salvum me fac, & salvus ero, *non agit de conversione; sed de salute. Verba enim ista sunt ipsius prophetæ, qui conversione non habebat opus, & qui statim addit,* quoniam laus mea tu es; *quod eorum est, qui jam ad Deum conversi sunt. Et licèt de conversione ageret, nihil tamen contra nos faceret, qui Deum a conversione nostra non tantùm non excludimus, sed illi maximas ac potissimas partes tribuimus. Idem dicimus de altero ejusdem prophetæ loco cap: 31.18.* Castigasti me, & castigatus sum, ut vitulus, non assuetus ferre jugum. Converti fac me, & convertar, quia tu Dominus Deus meus. Postquam enim conversus sum, pœnitebit me. *Videntur enim po-*

nim potiùs hæc verba agere de reductione & restitutione Israëlitarum, post exilium cladem\'q; acceptam, quàm de eorum ad Deum conversione; quemadmodum apparet, tum ex iis quæ proximè præcedunt, tum ex eo, quòd iste, qui hæc loquens inducitur, jam ad Deum sese converterit, utpote qui eum appellet Dominum Deum suum. Sed etiamsi de Israëlitarum conversione ad Deum agerent; non agunt tamen de tali, quæ sine ulla hominis ipsius cooperatione fiat: quin potiùs, cùm hîc dicatur Deus homines castigando ad frugem reducere, manifestum est, homines ab eo ad conversionem non necessitate aliqua cogi, sed liberè volentes impelli.

Tertius locus citatur à te ex cap:32.v.39. dabo eis cor unum, & viam unam, ut timeant me omnibus diebus. *Rectè: dat Deus hominibus ista; sed volentibus, & liberè accipientibus. Dat Deus hominibus cor unum, & viam unam, cùm illis ejus rei justissimas causas occasionesq; suppeditat; non verò quòd eos obtorto collo ad officium trahat. Hoc pacto etiam donat fidem, donat ut pro Christo patiamur, Philip: 1.29. Cùm Deus afflictiones pro Christo immittit, donat nobis patientiam pro Christo. at quomodo? num sine nostra libera voluntate? num non possemus patientiæ jugum detrectare? Sic donat & fidem, dum nobis verbi sui præconium mittit:* fides enim est ex auditu, auditus per verbum Dei. *at num fides ex auditu necessariò fluit? num non poteramus nolle credere? hoc modo dicitur etiam Deus pœnitentiam*

dare.

dare. Idem dicimus ad ſimilem locum Ezech: 11.19.& 36, 26. Vnde apud eundem Ezechielem cap: 18. v.30. & ſeq. ipſe Deus populum monet, ut ſibi faciat cor novum, & Spiritum novum. Convertimini, *inquit*, ab omnibus prævaricationibus veſtris. projicite a vobis omnes prævaricationes veſtras, & facite vobis cor novum, & Spiritum novum, & quare moriemini domus Iſraël?

Philip: 1. v. 6. dicitur Deus inchoâſſe in nobis opus bonum, & perfecturus eſſe uſq; ad diem Ieſu Chriſti. *Sed num dicitur illud in nobis inchoaſſe ſine nobis, ſine ulla noſtra voluntate & opera? imò quemadmodum iſtud opus (quod eſt fides, charitas, omnis generis juſtitia) perfecturus non eſt ſine noſtra συνεργίᾳ; quemadmodum ipſe Meiſnerus paulò pòſt agnoſcit; ſic nec inchoâſſe illud dicendus eſt: & ſi perfectio iſtius operis noſtram voluntatem & cooperationem non excludit, ne inchoatio quidem excludere cenſeri debet. Quibus enim artibus iſtud bonum opus conſervatur & augetur, iidem & acquiritur ac comparatur. De ultimo, quem adducis, loco ejusdem Epiſtolæ cap: 2. 13. paulò ante egimus.*

Ait porrò, in hominis converſione duo conſideranda eſſe. 1. Mediorum divinitus ordinatorum uſurpationem. 2. Ipſam converſionis efficientiam. Ibi ſe, *inquit*, homo poteſt activè habere, templum accedere, verbum Dei legere, audire: hîc autem ſe tantùm paſſivè habet, inſtar ægroti, qui pharmacis uti poteſt, vim

autem iis addere, vel sanitatem sibi ex propriis viribus restituere nō potest. In priori ergo dicit, se concedere homini non renato liberum arbitrium, in posteriori non item. *Hîc primùm vide, quàm injuriâ dixeris, Socinum non candidè vestram sententiam referre, quòd dicat, Evangelicos statuere hominis arbitrium in iis, quæ ad salutem æternam pertinent, nullam prorsus libertatem habere. Qui etiamsi vestram, non illorum, qui absolutam prædestinationem urgent, sententiam retulißet, jure istud potuißet dicere. Si enim in ipsa conversionis ad Deum efficientia homo nihil agit, sed tantùm patitur, nec ullas vires ullamvé libertatem arbitrii habet, sed quidquid hîc vult & facit, neceßariò facit, quidquid non vult, nec facit, neceßariò nec vult, nec facit; nullam sanè in iis, quæ ad salutem pertinent, libertatem habet, cùm conversio non tantùm ad salutem pertineat, sed omnem nostri officii rationem complectatur.*

Deinde, si concedis non renato liberum arbitrium, quod attinet ad usum mediorum divinitus ordinatorum, ita ut possit velle & nolle iis uti; simul illi liberum arbitrium concedis, ratione ipsius conversionis, ita ut possit & velle, & nolle ad Deum converti. Nam, ut in exemplo ægroti a te allato maneamus, qui vult uti pharmacis, ille sanitatem vult & appetit; sic qui vult uti mediis ad conversionem ordinatis, conversionem omnino vult & appetit. Itaq; non renato hanc saltem libertatem relinquere debes, ut

possit

possit & velle, & nolle ad Deum converti. Ulteriùs, ponamus eum in isto medicamentorum spiritualium usu, seu curatione: hîc tu eum, quod attinet ad conversionis efficientiam, ut ipse loqueris, nullas vires, nullam arbitrii libertatem habere dicis, qua in re multò illi minùs largiris, quam cuivis ægroto. Æger enim non tantùm id ad sanitatem confert, quòd medicamentis velit uti & utatur; sed etiam ipsius ægri natura unà cum illis operatur, imò hæc maximè operatur, & principalis est sanitatis causa, medicamenta tantùm illam adjuvant: unde tritum est illud medicorum: medicum naturæ esse ministrum, non dominum. Similiter ergo & is, qui spiritualiter ægrotat, hoc est, animum a Deo aversum habet, non tantùm id ad spiritualem sanitatem confert, ut pharmaco isto spirituali liberè utatur, id est, verbum Dei audiat; sed etiam ut illud auribus & animo haustum concoquat ac digerat, hoc est, consideret, perpendat, trutinet, sine quo pharmacum istud spirituale nullam vim habet: deinde ut verbo divino assentiatur, & obedire in animum inducat, qua in re sanitas ista & ad Deum conversio consistit. Utrumq; autem a libera ejus voluntate proficiscitur. Nam si verbum Dei perpendere ipsiq; assentiri nolle poterat, certè libera voluntate utrumq; fecit. Si enim necessariò voluisset, nolle non potuisset. Ponimus autem, ipsum nolle potuisse. Nisi enim hoc ponamus, nec ille, qui ad Deum convertitur, ullam virtutem præstat, nec qui non convertitur, ullum crimen committit, ac proinde nec illo

divina gratia, nec hic pœna ullâ dignus est. Et sanè nisi in nostra potestate ac libera voluntate positum esset, ad Deum converti, postquam Deus nos converti curat, nullus esset locus illis monitionibus, quibus homines, ut sese ad Deum convertant, toties monentur.

In eo igitur ægrotus & non conversus sunt similes, quòd uterq; medicamentorum operationem adjuvare debeat, sine qua cooperatione medicamenta nullam vim sint habitura. 2. quòd uterq; impedire possit, si velit, vim & operationem medicamentorum: ille, si verbi causâ diætam non observet: hic, si vitiis indulgeat. In eo verò sunt dissimiles, quòd ægrotus, hausto pharmaco, naturâ cooperetur, non voluntate: non conversus autem voluntate, non naturâ. Hinc fit, ut ægrotus, sive sanitatem recuperet, non laudetur, sive non recuperet non reprehendatur, aut puniatur; sed omnis culpa vel imbecillitati naturæ, vel remediorum inefficacitati adscribatur. Cùm verò non conversus, hausto divini verbi pharmaco, sanitatem animi adipiscitur, laudatur: cùm non adipiscitur, vituperio & pœnâ dignus judicatur. Nempe quia in illius potestate & voluntate erat, converti & non converti. Nam nisi utrumq; in illius potestate fuisset, nec conversio virtuti, sed soli remediorum efficacitati; nec aversio vitio, sed soli remediorum inefficacitati tribuenda esset. Nihil autem iniquius est, quam aliquem idcirco punire, quòd nullâ ipsius culpâ remedium fuerit inefficax: quemadmodum etiam nihil ineptius

ptius eſt, quàm eum præmio, & quidem ingenti, afficere: cujus nulla virtute factum eſt, ut remedium eſſet efficax. Qui dicit, hominem ratione efficientiæ converſionis tantùm paſſivè ſe habere, non verò etiam activè, quemadmodum lignum, ex quo fit ſtatua; is nullum in converſione virtuti, & in averſione peccato relinquit locum, ac proinde præmium tollit & pœnam. Neq; verò Deo quidquam adimitur, quòd in ipſius converſionis efficientia partem demus hominis liberæ voluntati & labori: quin potiùs & Dei ipſius potentia hac ratione fit illuſtrior, quòd eum, cui liberum alioquin erat ſeſe ad ipſum non convertere, nihilominus tamen ad ſe converterit; & ejus, qui ſeſe ad Deum non convertit, ſcelus ac malitia, quòd cùm ſeſe ad Deum convertere potuerit, iſtud tamen facere renuerit.

Tertio loco ais, Hominem non renatum habere liberum arbitrium circa electionem vel fugam hujus vel illius vitii, vel peccati ſpeciatim conſiderati: ſed ab omni prorſus ἀνομίας, quamdiu non regeneretur, immunem eſſe non poſſe. *Cùm dicis, hominem nondum regenitum habere liberum arbitrium circa electionem vel ſugam ſpeciatim conſiderati peccati; quæro, quomodo peccatum iſtud ſpeciatim ſumtum intelligas, num quaſdam tantùm peccati ſpecies, num omnes? ſi omnes, nulla cauſa eſt, cur libero arbitrio reſpectu cujusvis ſpeciei conceſſo, non illud etiam concedas reſpectu peccati in genere. Qui enim ab omni peccati ſpecie*

abſtinere à peccato in univerſum. Quid enim aliud eſt genus, quàm omnes ſpecies ſimul ſumtæ? Si verò quasdam tantùm ſpecies intelligis, quæro, cur potiùs in iſtis tantùm liberum arbitrium concedas, quàm in aliis? ſi homo ut hîc ipſe fateris, poteſt ſcortationem, ebrietatem, homicidia fugere, & illa non neceſſariò, ſed liberè perpetrat, cur non etiam liberè unum tantùm Deum colat, ab idololatria abſtineat, nomen Dei in vanum non aſſumat, & reliqua divinæ legis præcepta obſervet, vel non obſervet? Dicis, hominẽ non renatum errare in myſteriis. *Sed aut illa Deus illi revelare voluit, aut noluit. Si voluit, liberè errat, & peccat: ſi noluit, non errat propter defectum liberi arbitrii, ſed virium. Impoſſibile enim eſt homini Dei myſteria cognoſcere, niſi illi revelata fuerint. Atq; hæc etiam eſt cauſa, cur homines non tantùm non renati, ſed etiam renati, ab omni peccati actu non ſunt liberi. Non enim id ideo fit, quòd liberum arbitrium non habeant, vel non poſſint nolle, quin potiùs nolentes aliquando peccant; ſed quòd tantas non habeant vires, ut prorſus ab omni peccati actu ſint immunes.*

Quarto loco hominis ſtatum accuratè diſcernere jubes. Ais, hominem ex ſtatu culpæ in ſtatum gratiæ tranſlatum, id eſt, regeneratum habere libertatem arbitrii, hoc eſt vires diligendi Deum, & obſervandi legem, licèt non prorſus cõſummatas, ſed inchoatas, quas a Spiritu ſancto per verbum gratioſè infuſas & excitatas, *dicis.*

dicis. Ideo etiam renato συνέργειαν concedis. *Num homo non renatus*, &, *ut tu loqueris*, in statu culpæ positus *libertatem arbitrii habeat in ipsa ad Deum conversione*, *jam disputavimus*, & *habere ostendimus*. *Nec quidquam obest*, quòd, *ut hîc dicis*, vigeat tum in mente ignorantia & cœcitas. *Hæc enim vel affectata est, vel non affectata. Si illa, à libera voluntate proficiscitur. Si ista, non tollit arbitrii libertatem, sed libertatis usum*. In voluntate aversio, & ad malum inclinatio: *sed libera, non necessaria*. In appetitu contumacia: *sed rationis ac voluntatis imperio expugnabilis. Bonum tamen est, quòd homini, non quidem ulla sua virtute, & libera voluntate, sed necessitate quadam renato, liberum arbitriū, vires observandi legem*, συνέργειαν *tribuas. At miser ille, qui nullâ culpâ, nec liberâ voluntate, sed necessitate manet irregenitus, quid mali idcirco meruit, quòd Deus illi nec liberum arbitrium dederit, ut saltem velle, nec vires, ut sese ad ipsum convertere, eumq́; diligere posset? quæ culpa illius est, quòd non habeat id, quod nec à se ipso habere potuit, nec Deus illi dare voluit?*

Quod verò attinet ad refictum istumhominem, libertatem in eo arbitrii per vires diligendi Deum, & observandi legem explicas. Atqui aliud est libertas arbitrii, quæ in eo consistit, ut possis aliquid & velle, & nolle; aliud sunt vires, quæ faciunt, ut id, quod vis, exequi, & quod non vis, evitare queas. Itaq; apparet, te per liberum arbitrium intelligere voluntatem, tan-

tem, tantùm ad honeſta & recta determinatam, & ſic ne in renato quidem liberum arbitrium agnoſcere, ſed ſervum: licèt in non renato, ſervum vitii; in renato ſervum virtutis. Renatus ergo non poterit unquam peccare velle: quemadmodum non renatus apud te non poteſt peccare nolle. Quod ſi ita eſt, non poterit renatus à carne abduci, ad vomitum redire, & peccato ſeſe mancipare: iſtud enim fieri non poteſt, non conſentiente voluntate. Cur ergo paulò pòſt id fieri poſſe dicis? ideoq́; tot adhortationes in ſcripturis extare, ut in fide ſtemus, & Diabolo reſiſtamus? Quid opus eſt iſtis admonitionibus illi, qui non poteſt non velle bonum, & malum non nolle? ſeu, qui voluntatem tantùm ad recta ac Deo placentia habet adſtrictam?

Ais, vires iſtas à Spiritu ſancto per verbum gratioſè infundi & excitari. *Quomodo accipis iſtud verbum* gratioſè? *ſi ita ut ſignificet*, nullo noſtro merito, *concedo; ſi vero ita, ut ſignificet*, nullâ noſtrâ operâ & ſtudio accedente, *nego. Hac enim ratione excuſandi eſſent omnes illi, qui verbum quidem, ex quo vires iſtæ naſcuntur, habent; vires autem non habent. Deinde quòd vires iſtas* inchoatas tantùm *appelles, valde mihi ſuſpectum eſt; imo & falſum eſt. Tantas enim vires homo renatus habet, ut mundum, Diabolum vincere, non peccare, carnem cum omnibus affectibus & cupiditatibus crucifigere poſſit. Quo etiam tollitur ratio, quam affers ad probandas iſtas inchoatas tantùm in renatis vires,*
nempe

nempe quòd caro in nobis maneat, quæ ſpiritui reſiſtit, Gal: 5.17. & repugnat legi mentis, Rom: 7.23. Nam ſi de reſiſtentia & repugnantia non irrita, ſed efficaci loquamur, verum iſtud eſt de carne non crucifixa, nec mortificata; at falſum eſt de mortificata: Mortificari autem per ſpiritum & poteſt, & debet. Qui enim Chriſti ſunt, carnem crucifixerunt cum cupiditatibus & affectibus, *Gal. 5.24.* In carne non ſunt, ſed in ſpiritu, *Rom: 8.9.* In illis corpus mortuum eſt propter peccatum, ſpiritus autem vita propter juſtitiam *v. 10. At verò ubi caro mortificata eſt, ibi maximæ ſunt vires ad omnis generis bona opera perficienda, non inchoatæ. Voluiſti, Meiſnere, ſub iſtis* inchoatis viribus *latere, & illi veſtræ inchoatæ pietati, quæ in irrito pie vivendi conatu tota poſita eſt, tacitè viam ſternere.*

His expoſitis conatur oſtendere Meiſnerus, iſtam de arbitrio humano ſententiam non tantùm bona opera non impedire, ſed etiam ad vitiorum fugam, &ad perpetuum pietatis virtutisq; exercitium inſtigare.

1. Ad excutiendam ſecuritatem. *Quo pacto?* Quia qui ſciat, in ſuis non eſſe viribus ad Deum ſe convertere, non putabit, ſe adhuc ſatis maturè poſſe ad Deum converti, & pœnitentiam agere. Sed ſemper Deum invocabit, ut quod noſtris viribus deeſt, ipſe largiatur. *Aut intelligis hominem converſum, aut non converſum. Si non converſum, quomodo iſte poterit Deum invocare,*

invocare, qui nullas vires, nullam arbitrii libertatem habet in spiritualibus, qui nonnisi Deum offendere potest? Si conversum, quomodo sibi jam metuere poterit, ut non convertatur, & pœnitentiam agat? quomodo securus non erit, si ejus voluntas nonnisi in bonum & rectum ferri potest? si vires nullo suo labore & studio quæsitas, sed planè gratiose infusas habet? si sine ipso solus Deus omnia in ipso perficit? Quanto magis, Meisnere, securitatem excutit id, si quis sentiat, nec sine divino auxilio ac gratia se posse ad Deum & converti, & conversum in eo statu perseverare, nec sine proprio studio ac labore. Hinc enim fiet, ut & Deum ardenter oret, & ipse diligenter laboret. Idq́, tantò magis, si conversionem & pœnitentiam non in eo tantùm sitam esse sciet, ut ob commissa peccata doleat, & Christi meritum apprehendat; quemadmodum tu putas; sed ut peccatis mortuus justitiæ vivat, ac nullius peccati habitu laboret. Istam enim pœnitentiam de die in diem differre non licet. Maturè resipiscat oportet, qui omnis peccati habitum excutere volet. Vnius enim diei hoc opus non est. Vita autem semper infida est, & singulis momentis finiri potest.

2. Ad tollendam desidiam. *Hoc verò quo pacto?* Quia non convertimur ἐνθουσιαςικῶς, sed ἀκουςικῶς, per auditum verbi & usurpationem legitimorum mediorum, è quibus fides gignitur, & quæ usurpare vel rejicere in nostra est potestate. *Bene res habet; facilè concedimus, eatenus in*

mus in salutis nostræ negotio desidiam tolli, quatenus sese extendit liberum arbitrium. Sed ubi illud finitur, ibi desidia incipit. Finitur autem vestrâ sententiâ ibi, ubi maximè deberet incipere. Nempe in ipsa conversionis efficientia, ut tu loqueris. Quid enim prodest, quòd libertatem arbitrii, & vires etiam largiaris ad audiendum verbum, & usurpationem mediorum, si eas, quod attinet ad ipsum conversionis effectum, eripis; & non solùm meæ potestatis non facis, ut me ad Deum reipsa convertam, sed etiam ut id facere saltem velim? An non ut ægrotus (hac enim similitudine ipse uteris) post haustum pharmacum, sic ego post auditum verbum & usurpata media, quietus & otiosus expectabo Spiritus sancti adventum & operationem? Neq; *solùm ante Spiritus S. adventum deses & otiosus ero, sed etiam postea. Quid enim attinet, meipsum quidquam laborare & conari, si Spiritus sanctus & voluntatem meam ad bonum blandâ quadam necessitate sic inclinat, ut non possim malum velle; & sine ulla mea opera ac studio vires mihi infundit novas, quibus peccatum superare possim, atq; adeo superem?* Ego *igitur quiescam: Spiritui sancto cuncta permittam.*

3. Ad veram humilitatem. Quia *inquit* evanescet animi elatio, si servitus arbitrii nostri diligenter consideretur, quippe per quam fœditas & deformitas naturæ satis luculenter ante oculos ponitur. *Si, Meisnere, humiles esse non possumus cum libero arbitrio, & liberum arbitrium*

trium excitat superbiam, cur liberum arbitrium renatis concedis, qui maximè debent esse humiles? cur illud concedis in futuro glorificationis statu, in quo nos non tantùm liberos fore dicis, sed & liberrimos? num verò in illo statu licebit nobis esse superbis? Non est *necesse, Meisnere, ut à servitute arbitrii arcessamus humilitatis causas. Sunt alia innumera, quæ nostrum fastum retundere possunt: & hoc inprimis, quòd, licet liberum arbitrium à Deo nobis concessum habeamus, nihilominus illo non rectè usi, sed abusi fuerimus, ac proinde in æterni interitus reatum inciderimus. Hoc est, hoc, Meisnere, quod nos penitus coram Deo dejicere potest: cùm contrà servum arbitrium spiritus hîc quosdam, & excusationes nobis suggerere facilè posset. Non debemus, Meisnere, propter humilitatem divina dona tollere; sed utraq; conjungere: dona sine humilitate in superbiam abeunt; humilitas sine donis, vilitas est, non humilitas. Quanto rectiùs isti, quorum dicta hîc citas: non enim nos, ut humilitatem discamus, ad servum arbitrium remittunt; sed autorem omnium donorum ostendunt Deum. Sic Cyprianus:* In nullo igitur gloriandum, quia nihil nostrum est. *Sic Apostolus:* Quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? *Sic Hugo:* mala mea purè mala sunt, & mea sunt: *quod pugnat cum servo arbitrio:* bona autem mea, nec purè bona sunt, nec mea sunt: *quod pugnat cum superbia.*

[Margin: lib. 2. ad Quirin. 1. Cor. 4. 7.]

4. Ac

4. Ad devotam orationem. Quia nunquam adeò devotæ sunt preces, si nobis ipsis blandimur, & facultatem benè agendi attribuimus. *At quomodo non solùm orare, sed & devotè orare possumus, si non tantùm orare, sed & velle orare in nostra non est potestate? num* oratio devota *non pertinet ad hemisphærium superius, seu actus spirituales, (ut superiùs es locutus) in quibus nullam arbitrii libertatem conceditis. Dices, te loqui de oratione post conversionem. Si de hac loqueris, jam necesse est ut fatearis, nec libertatem arbitrii, nec facultatem bene agendi, quam quis habeat, impedire devotam orationem. Vtrumque enim homini post conversionem concedis. non ergo devotas preces id impedit, quòd quispiam facultatem bene agendi se putet, habere; sed si tantam, ut divino auxilio & ope ad bene agendum nō indigeat. Quin potiùs, ea ut perficiamus, petere & orare nō solemus, ad quæ peragenda nullā facultatem nec vires habemus. Et quemadmodum propter humilitatem nō debere divina dona excludi diximus: sic nec propter devotam orationem noster proprius labor, atq; conatus excluditur. Pulchrè enim devotæ orationi & indefesso labori inter se cōvenit. Adest Deus orantibus; sed & laborantibus. Dictum Augustini à te citatum, cùm ait,* Prorsus non oramus, sed orare nos fingimus, si nos ipsos, nec ipsum putamus facere quæ oramus; *non sic debet intelligi, ut omnem nostram operam & laborem excludat: sed tantùm ut Dei auxilium &*

opem includat. Alioquin falsò hoc diceretur, eum prorsus non orare, sed orare se fingere, qui putet, ad aliquid perficiendum & suum requiri laborem, & divinam opem. Ne longiùs abeamus, panem quotidianum quis ita a Deo petit, ut ad eum obtinendum laborem suum non requiri existimet?

5. Ad debitam gratiarum actionem. Quia quantum nostris viribus tribuitur, tantum Deo ejusq; præconio derogatur. *Falsum hoc est, si istas ipsas vires Deo tribuamus. Neq; ideò non gratias agemus Deo, quòd malum nolimus, bonum velimus, quia liberè & illud nolumus, & hoc volumus: cùm hoc ipsum quòd liberè velimus & nolimus, à Deo habeamus. Imò quantò quis plura & majora Dei in se agnoscit beneficia, tantò magis ad gratiarum actionem accenditur. At posse bonum velle, & posse malum nolle, unum est ex maximis, quæ Deus in humanum genus conferre potuerit, beneficiis. Hoc beneficium quia non agnoscunt qui servum arbitrium defendunt, propterea debitas gratiarum actiones Deo reddere non possunt. Neq; id solùm, quòd bonum velle, & malum nolle possimus, nos ad gratiarum actionem impellit; sed etiam hoc, quòd bonum nolle, & malum velle possimus. Nam & nobis hac ratione exercendæ virtutis datur occasio, & divina tanto magis declaratur gratia, quòd nos in malum prolabi, & bonum deserere non sinat.* In infirmitate enim nostra, *ut verba Pauli huc accommodemus,* virtus Dei perficitur. *Atqui multò infirmiores sumus, si velle*

peccare

peccare possimus, quàm si non possimus. Si Deus sine ulla nostra voluntate & opera nos ad se convertit; habent quidem, qui convertuntur, pro quo gratias agant: sed qui non convertuntur, sanè non habent. At verò si omnes Deo ad se vocanti parere & obedire possunt, idq́ in illorum manu positum est; habent omnes, pro quo adeò benignum Dominum venerentur ac celebrent. Non ergo nostra libera voluntas, & aliquæ etiam nostræ in amando Deo vires gloriam ipsius obscurant debitamq́ gratiarum actionem ullo modo impediunt: quin potiùs & illam illustrant, & hanc promovent. Sed hoc utriq; rei officere meritò videretur, si id, quod bonum & Deo verè gratum est, sine ipsius & impulsu, velle, & auxilio perficere possemus: non verò si nos & impellenti Deo liberè pareamus, & operanti ac adjuvanti manus nostras, & naturales, quas tamen ab ipso quoq; accepimus, vires commodemus. Et hactenus verum est dictum Augustini à te citatum: Prorsus non agimus gratias Deo, sed agere nos fingimus, si unde illi gratias agimus, ipsum facere non putamus.

6. Ad solicitam & indefessam industriam. *Atqui hunc fructum secundo loco jam indicaveras. Videamus tamẽ, quo alio argumento hîc utaris.* Quia enim, *inquis*, ex gratia renovamur, utiq; eò magis debemus esse providi, ne illam perdamus, & iterum peccando amittamus. *At verò quid nostrâ solicitâ & indefessâ industriâ ad piè vivendum est opus, si Spiritus sancti, & divinæ gratiæ, quâ re-*

novamur, tanta vis est, ut nostra voluntate & viribus, quæ nullæ sunt, non indigeat? An ista divina gratia non omnia perficiet in nobis sine nobis? an ex voluntate, ac viribus nobis cœlitus infusis, non sponte sequetur solicita ista & indefeßa piè vivendi industria? Vbi nulla est nostra voluntas, nullæ nostræ vires; certè nec industriæ nostræ ullus relictus est locus. Tantùm *ergo abest, ut nos ista sententia ad solicitam & indefeßam industriam excitet, ut potiùs nos ab omni industria & labore avocet, & illam cœlitus, sine ulla nostra opera ac studio, infusam voluntatem, vires ac industriam expectare jubeat.* Debemus, *inquis,* esse providi, ne gratiam istam perdamus. *Num ergo nobis ipsis quoq; aliquas partes, aliquam voluntatem, & vires in piè vivendo à gratiâ istâ distinctas tribuis? Si tribuis; jam non solus Spiritus sanctus & divina gratia in nobis omnia faciet. Si non tribuis; num ista divina gratia seipsam, ut sic dicam, destituet? & ut vel maximè destitueret, frustra tamen nos ad solicitudinem & curam ejus retinendæ hortaris, si nos hîc nil nisi truncus, ac stipes & lignum nervis alienis mobile sumus. Annon tum demum soliciti erimus, ne Dei gratiam & Spiritum sanctum peccando amittamus,* ut illi cooperemur, & de die in diem, *ut ipse loqueris,* renovemur; *si credamus, & nos sine Spiritu sancto ac Dei gratia piè vivere, deq; die in diem renovari non poße: & vicißim, Dei gratiam, sine nostra propria voluntate ac studio, in nobis planè otiosam ac inutilem fore?*

7. Ad

7. Ad veram conſolationem. Quia, *inquit*, non ex noſtris viribus ſalutem acquirendam, ſed ex Dei gratia conferendam audimus. *&c.* Deus qui dedit velle, dabit & perficere. Hinc Aug: lib: de dog. Eccl. ſcribit: Tutiores vivimus ſi totum Deo damus, non autem ſi nos illi ex parte, ac nobis ex parte committimus. *Primùm iſte fructus pugnat cum ſuperiori. Nam ſi ſolicitam & indefeßam induſtriam ad piè vivendum adhibere debemus, ne divinam gratiam amittamus, & ſic ſalute excidamus; quomodo ita ex Dei gratia ſalus conferetur, ut ſolus Deus omnia, quæ ad eam adipiſcendam pertinent in nobis ſine nobis peragat? quomodo non etiam ex noſtra voluntate, ſtudio & induſtria, proinde & viribus ſalus pendebit? quomodo non etiam nobis pars aliqua in ejus acquiſitione erit relicta? Satis ſuperq́, Meiſnere, in eo conſolationis habemus, quòd Deus auxilio ſuo nunquam nos velit deſtituere, & quod noſtris viribus deeſt, ſua ope abundè ſupplere. Sic de conſolatione ſentire debemus, ne ignaviæ & deſidiæ locum demus. Et ille demum ſe Deo, ut oportet, committit, qui quantum in ſe eſt, cuncta providet, & facit: alioquin non tutior vivet, ſed ſuâ culpâ miſerè peribit.*

II. De Argumentis Socini, quibus probat, per doctrinam de ſervitute arbitrii ſtudium pietatis everti.

OMissis iis, quæ parum ad rem propositam faciunt, quale est, quid Romanæ Ecclesiæ Scholæ, quid Augustinus, quid alii quidam Pontificii Theologi senserint; accedamus ad rem ipsam. Ubi iterum invehitur in Socinum Meisnerus, quòd dicat, Evangelicos, propter absolutum prædestinationis decretum, negare liberum arbitrium in rebus ad salutem pertinentibus. Si Calviniani, *inquit*, id faciunt, cur omnibus hoc crimen Evangelicis objicit? *Quia per Evangelicos solos Calvinianos intellexit, propter caußam jam sæpiùs indicatam. Unde apparet, Socinum non disputare contra sententiam Lutheranorum, quam de servo arbitrio habent, quemadmodum eam explicuit Meisnerus; sed tantùm contrà sententiam hanc, quæ neceßariò fluit ex illa absoluta prædestinatione. quòd scilicet quidquid homo in rebus ad salutem pertinentibus velit, neceßariò velit, quidquid nolit, neceßariò nolit. Meisnerus autem longè aliter servum istud arbitrium intelligit & explicat.* Credimus, *inquit*, quòd homo in sui conversione se tantùm passivè habeat, omnibusq; viribus semetipsum cõvertendi destitutus sit: quam ἀδυναμίαν per servitutem arbitrii, vel per servum arbitrium intellectam volumus. *Hoc modo explicatum* servum arbitrium *Socinus hìc revera non oppugnat. Nihil enim minùs servum arbitrium significat, quàm id, quod Meisnerus vult. Qui per* arbitrium *vires intelligit, per* servum *nullum? annon ipse arbitrium suprà definivisti*

per

per δύναμιν? Servum ergo arbitrium erit δύναμις ἀδύνατος? Arbitrium, Meisnere, non sunt vires: sed est ipsum velle & nolle, eligere aliquid & repudiare. Hoc liberum *dicimus, cùm æquè licet aliquid & velle & nolle, eligere & repudiare;* servum, *cum nonnisi alterutrum licet.*

Hoc modo sumtum arbitrium, Meisnerus non servum, sed potiùs vel nullum revera, in rebus quibusdam, vel magna ex parte liberum, unà nobiscum agnoscit: & hinc fit, ut Socini rationes ipsi videantur planè infirmæ, & hiulcæ. In illis enim, qui Barbari sunt, & extra Ecclesiam vivunt, arbitrium, quantum attinet ad pietatem & conversionem, neq; servum est, neq; liberum, sed potiùs actu nullum. Quidquid enim non est in mente, neq; esse potest in consilio & voluntate. Quia Deum & ipsius voluntatem ignorant, propterea ad Deum converti, neque nolle, neq; velle dicendi sunt. Arbitrii aliqua in re vel libertas, vel servitus tum locum habet, cùm ista res cognosci, deq; ea deliberatio institui potest. In iis verò, qui Deum cognitum habent, & ante, & post conversionem, liberum velle & nolle Meisnerus agnoscit. Ante conversionem quidem, quatenus conversionem & salutem desiderare possunt, & spernere, mediis uti velle & nolle, Spiritui sancto, conversionem operanti, resistere & non resistere. Post conversionem verò, quatenus possunt & Spiritui obsequi, & carni, peccare & non peccare, in fide permanere, & ab ea deficere. Vt omittam, quòd in reliquis omnibus actionibus ad

politicam ethicamq; spectantibus, liberum velle & nolle concedat. Adeò liberalis est Meisnerus: & hinc fit, ut in tot velut anfractus sese abdat, cùm rationum Socini aciem declinare cupit. In eo tantùm est inter nos & illum differentia, quòd ille quidem sentiat, hominem, qui Dei verbum audit, & considerat, cognitumq; habet, nullas prorsus habere vires, ut sese ad Deum reipsa convertat, & credat: adeò, ut licèt pius & religiosus esse cupere ac optare queat; illud tamen cum conatu velle, & sibi efficaciter, plenoq; cum assensu cordis proponere nequeat; *sed expectanda hîc sit solius Spiritus sancti gratia, & operatio, pag: 88. 89:* Nos verò *statuamus, hominem, (generatim loquendo) audito & intellecto Dei verbo, sine ulla alia, nedum solâ, speciali Spiritus sancti operatione, posse se re ipsa ad Deum convertere, & illius verbo firmiter credere: ita ut si id non faciat, propria sua culpâ, & liberâ voluntate id facere nolit. Itaq; secundùm Meisnerum homo, verbo Dei illuminatus, ante specialem Dei gratiam non potest converti velle; & post specialem Dei gratiam non potest nolle: & sic utrinq; servum illius statuit arbitrium. Quod verò post conversionem, & post renovatam hominis voluntatem, cœlitusq; infusas vires, ad reliquam vitæ pietatem & sanctimoniam attinet, hîc non satis declaravit Meisnerus, an liberum nihilominus, an verò pietatis servum velle homini relinquat. Nos semper liberum & velle & nolle, sive ante conversionem, sive in conversione, sive post conversionem,*

homini

homini esse dicimus, ut & virtuti ac vitio, & præmiis ac pœnis locum relinquamus.

Sed tempus est, ut videamus, quid ad Socini argumenta respondeat. Primum argumētum est. Quomodo fieri potest, ut religiosus & pius is esse curet, qui persuasum habeat, sibi ne hoc quidem licere, ut religiosus & pius esse velit? *Quærit Meisnerus, de quali homine loquatur Socinus, an de renato, an de non renato? Ridiculus es Meisnere: de eo loquitur, qui nondum pius ac religiosus est, qui sanè renatus esse non potest. At inquis* non renatum posse velle generaliter, sed non specialiter: *hoc est*, posse illum desiderare pium & religiosum esse, sed non posse id velle efficaciter, & cum conatu, ac pleno cordis assensu & proposito. *Bene est; itaque subsumo: Qui persuasum habet, se non posse efficaciter & cum conatu velle pium & religiosum esse, is nequaquam efficaciter & cum conatu volet, sive curabit esse pius & religiosus. Cur enim illud facere coner, quod facere non possum? Verum dicis:* Non posse illum specialiter velle ex se; sed posse illum ex audito verbo illud velle haurire. *Sed quæro, num illud ex solo verbo audito haurire possit; an verò requiratur peculiaris Spiritus sancti gratia? Si illud, habemus quod volumus. Et sanè nisi quis audito Dei verbo credere posset, & ad Deum converti, cur Deus illud prædicari, & per ejus prædicationem homines ad fidem invitari curaret? cur non potiùs statim cœlitus fidem hominibus infunderet?*

deret? Si hoc, iterum dico; quomodo conari & curare quispiam poterit, ut sit pius & religiosus, qui persvasum habeat, in sua id non esse potestate, nisi Spiritus sancti peculiaris superveniat gratia? Hæc nisi veniat, frustra se esse, & efficaciter velle non posse: Si veniat, voluntate sua & studio proprio opus non esse. Ais tertiò, Totum argumentum concedi posse, quoad barbaros extra Ecclesiam degentes. *Atqui de istis non quærimus: sed de illis, quibus Dei verbum & auditum est, & cognitum. Fatemur, barbaros istos non curare, ut pii & religiosi sint: at non propterea, quia persvasum habeant, se efficaciter id velle non posse; sed quia nullam pietatis ac religionis, causarumq́, quibus ea excitetur, notitiam habent.*

Secundum Socini argumentum. Quis porrò operam daturus est, ut in nullo eorum vitiorum seu peccatorum hæreat, quæ Christi disciplina damnat; si credat, se in hoc rerum genere ne liberam quidem voluntatem habere?

Iterum dicit, ambiguum esse, an de renato, an de non renato istud sit intelligendum. *Iterum & nos dicimus, rem ipsam indicare, de* non renato *verba fieri. Renatum enim esse nihil aliud revera est, quàm in nullo peccato hærere. Hîc autem ponitur is, qui demum, ut talis sit, operam dare debeat. Ipse verò scribit:* non renatum tantùm quoad externa & crassiora scelera liberum arbitrium habere, nón verò quoad omne peccatum. *Quod si ita est, quomodo curabit, ne in ullo peccato hæreat,*

hæreat, si in multis ne liberam quidem voluntatem habet? Quod verò hîc dicit, spiritum sanctum in statu irregenerationis gratiosè *abesse; hoc quale sit non intelligo, qui tam acutum non cernam, ut gratiam in eo ullam, quòd spiritus sanctus absit, videre possim. Secundò ait:* non renatum non semper carere libero arbitrio, quòad omnia peccata vitanda, sed tantùm quam diu non renatus est. *Quandiu igitur non renatus est, tandiu, ut in nullo peccato hæreat, curare non poterit. Quomodo ergo renatus fiet? &, si renatum esse nihil aliud est, quàm in nullo peccato hærere, priùs aliquis in nullo peccato hærebit, quàm ut curare possit, ne hæreat. At Meisnero aliud est renatum esse, aliud in nullo peccato hærentem. Renatus illi est, qui primùm ex verbo fidem concipit, & pœnitentiam agit. Hoc ipsum, Meisnere, quæro, num in hominis libera potestate positum sit? Si est, jam habemus quod volumus. Si non est, jam quæro, quomodo non renatus, ut re ipsa renatus sit, curare poterit?*

Posteaquam verò nullâ suâ curâ neq; voluntate, imò nolens, ac in contrarium nitens, cœlestibus machinis ad fidem pertractus est, & sic renovatus; jámne illi liberum arbitrium ad omnia peccata vitanda concedis? Sic prorsus. Sed per liberum arbitrium *quid intelligis?* divinitus, *inquis,* infusam quandam piè vivendi *δύναμιν, pag. 94.* perpetuam & indefessam religiosè vivendi, & peccata cuncta fugiendi curam *pag. 93.* Voluntatem adeò renovatam, quæ non tantùm desiderio,

sed

ſed indefeſſo pietatis ſtudio tenetur, nõ per vires cõgenitas, quæ nullæ ſunt, ſed per vires divinitus infuſas, & ex gratia conceſſas, *pag. 88. Nunc parum, nunc nimiùm dicitis, Meiſnere, & utrinq; ſtudio pietatis occluditis viam. Mirabor ego, ſi iſte veſter renatus unquam peccare poterit: & ſi peccet, inſigniter eum nequam eſſe neceſſe eſt. Habet divinitus infuſam novam piè vivendi adeò ardentem voluntatem, ut videamini iſtam arbitrii libertatem in ſervitute pietatis conſtituere. Quomodo ergo peccare poterit? Et ſi Deus nobis, ſine ullo noſtro ſtudio ac labore, irrequietam ac indefeſſam piè vivendi infundit curam; ergo omnis noſtra cura ac ſtudium ceſſet atq; quieſcat. Rurſus tamen, ne nimiùm magno pietatis pondere veſtrum iſtum regenitum oneretis, & ſic vobis ipſis graves ſitis; cœlitus quidem illi infundi vires, ſed inchoatas tantùm, & imperfectas dicitis, pag. 81. Sic revera non habetis, ubi conſiſtatis. Nam ſi inchoatas tantùm habemus vires, quomodo curare poterimus, ne unquam peccemus, ullóve in peccato hæreamus; ſi ſciamus, velle quidem nos iſtud poſſe, ſed perficere nequaquam poſſe? Fruſtra etiam nobis eſſet inditum adeò ardens pie vivendi ſtudium ac voluntas. Hinc* jam vides, *Meiſnere, quòd diſtinctos ſtatus, quemadmodum nobis hîc objicis, corruptionis & reparationis, non confundamus. Agnoſcimus ſtatum irregenitorum, agnoſcimus & regenitorum: ſed tu Meiſnere illos non rectè diſtingvis, qui in eo corruptionem & reparationem conſtituas, in quo non eſt*

non eſt, nempe corruptionem in ſervo, reparationem in libero arbitrio. In utroq; ſtatu eſt liberum arbitrium: ſed in illo ejus abuſus cernitur; in hoc verus & rectus uſus.

Tertium Socini argumentum ab experientia. Quod homines, cùm reprehenduntur aut monentur, reſpondere ſoleant, Humanas vires in peccatis vitandis eſſe nullas, & propter primi hominis peccatum univerſum humanum genus ipſius voluntatis libertate in bene agendo, Deoq; obediendo privatum eſſe. *Primò ait, Homines injuriâ peccatis ſuis ſervum arbitrium prætexere. Quod licèt verum eſſet, tamen & hoc nihilominus verum eſt, doctrinâ iſtâ pietatis ſtudium impediri: quandoquidem hominibus peccandi anſam præbet, ſive jure, ſive injuriâ. Deinde probat, merum hunc eſſe prætextum, primò quantum attinet ad fugam craſſiorum ſcelerum: quia in talibus agnoſcit liberum arbitrium in renatis pariter & non renatis. Bene eſt. Craſſiora igitur iſta relinquamus. Veniamus ad alia. Si aliquod bonum opus peragendum eſt, aut aliquod peccatum non craſſum vitandum, (quibus in rebus tu hoc loco arbitrii libertatem non concedis) an ne hîc quidem juſtus erit iſte prætextus? Non inquis:* Quia Deus ſufficientia dedit media, verbum & ſacramenta, quorum uſu à ſervitute peccati liberari, & novis viribus armari poſſimus. Quòd igitur illa ſprevit, neglexit, ex ſcelere in ſcelus prolapſus eſt, id omne ſibi imputet.

putet. *Atqui regeret ille: non ſprevi, non neglexi: verbum diligenter audivi, conſideravi, ſacramentis uſus ſum. Nec tamen arbitrii libertatem habeo, nec viribus novis armatus ſum, nimirum quia Deus peculiari ſpiritus ſancti gratiâ nondum me implevit. Quod quia non fecit, quid miſer ego mereor, qui nec bonum velle facere, nec multa peccata nolle facere poßum?* Ita potius, *inquis*, debemus colligere: Prona eſt caro ad malum: ex noſtris viribus, niſi convertamur, Deo obedire non poſſumus: Quare ambulandum eſt eò cautiùs, invocandus Deus, uſurpanda media, ut quod deeſt per naturam, compenſetur per gratiam: præſertim cum Deus vires benè agendi nobis per verbum conferre & potens ſit, & paratiſſimus. *Quàm te torques Meiſnere, & fruſtra fucum nobis facere conaris! Cur terminos in ipſa tua collectione mutas? Cur non dixiſti:* Quare convertamur ad Deum? *hoc enim inferre debebas. Nimirum auſus non es, qui converſionem etiam poſt uſurpata media, poſt auditum verbum, in noſtra poteſtate eſſe negas. Quid igitur me ad uſurpanda media ablegas, toties jam à me ſine ullo profectu uſurpata? At Deus per verbum vires benè agendi conferre paratiſſimus eſt. Cur ergo mihi illas per iſtud verbum non contulit? Ais*, invocandum eſſe Deum. *At invocatio Dei pertinet ad hemiſphærium ſuperius, in quo tu nullam arbitrii libertatem ante converſionem concedis. Deniq; annon etiam ipſe converſus & renatus poterit in-*

ſufficientes

sufficientes suas & inchoatas tantùm vires peccatis suis & vitiis jure prætexere.

Antequam hinc abeamus, videris nobis, in hac tua ad argumentum Socini responsione, bis apertè tibi contradixisse. primò pag. 95. cum dicis Hominem renatum habere sufficientem δύναμιν, & assistentem gratiam spiritus sancti, ut facilè possit peccatum fugere, & concupiscentiam carnis supprimere. *Si habet sufficientem δύναμιν, Ergo nō inchoatam tantùm. pag. 81. deinde cùm dicis pag. seq.* verbum & sacramenta esse sufficientia media, quorum usu à servitute peccati liberari possimus *Si sufficientia sunt, ergo non est opus præter illa peculiari spiritus sancti gratiâ.*

Respondes deinde obiter ad id, quod Socinus dixit. Infinita in scripturis testimonia deprehendi liberæ humanæ voluntatis, in ipsis Dei præceptis servandis. *Ais, ea de voluntate renatorum, non verò non renatorum, & de aliquali, non verò de plenâ legis observatione accipienda esse. Atqui non tantùm renati, sed etiam non renati puniuntur, ob non observata præcepta, imò & ob hoc ipsum, quòd renati non sint; nec propter aliquorum tantùm præceptorum, sed propter quorumvis transgressionem pœna constituta est. Unde apparet, & renatos & non renatos, non in quibusdam tantùm, sed in omnibus Dei præceptis liberam habere voluntatem. Qua de re in sequenti argumento, quo doctrinam de servo arbitrio sacris*

sacris literis, & divinæ justitiæ penitus esse contrariam docetur. Hoc vero tale est:

Quæ inaudita hæc esset, nec tantùm Deo, sed quolibet homine, adeoq; sævo tyranno indignissima crudelitas, acerbissimâ pœnâ quempiam afficere, quòd ea non fecerit, quæ ne velle quidem facere in ipsius erat potestate?

Multa concedis, Meisnere, ut istud telum evites. Habet, *inquis*, homo libertatem reluctandi; etsi non habet libertatem assentiendi gratiæ. Ad malum est liberum; ad bonum verò est servum hominis arbitrium. *Si ita est, Meisnere, fatemur, Deum justissimè homines punire, quòd cùm spiritui sancto non reluctari possent, reluctati fuerint. At quanta est ista libertas, ad malum esse liberum, id est, posse malum non facere? Et sanè evaderes aliquâ ratione, nisi eadem scriptura sacra testaretur, homines non solùm puniri, quòd malum fecerint; sed etiam, quòd non fecerint bonum: nec tantùm præterea, quòd spiritui sancto restiterint; sed etiam, quòd sese ad Deum non converterint, ejusq; gratiam non amplexi sint. Iam verò annon injustum prorsus esset, ideo aliquem punire, quòd illud non fecerit, quod ne velle quidem facere potuit? Ais, eos,* qui veniunt, Dei auxilio dirigi; qui non veniunt, suâ pertinacia reluctari. *Si auxilium tantùm est; ergo non solius Dei actio. Si diriguntur; ergo non rapiuntur, sed volentes & ipsi veniunt. Si qui non veniunt, suâ pertinaciâ reluctantur; ergo venire poterant.* Non enim

hæc

hæc pertinacia eſset, ſed neceſſitas. Hinc porrò apparet, non minùs ad bonum, quàm ad malum liberam eſse voluntatem. Et certè malum non facere, bonum eſt; quemadmodum & non facere bonum, malum eſt. Vnde, *inquis*, nec damnatorum juſta eſt querimonia, nec juſtificatorum vera eſt arrogantia, ſi vel illi dicant, ſe non meruiſſe pœnam, vel iſti aſſerant meruiſſe ſe gratiam. *Si propterea damnentur, quòd malum fecerint, jure conqueri non poſsunt; quandoquidem concedis, liberum illis fuiſse malum non facere: Sed ſi damnentur quia non fecerint bonum, quod ne velle quidem facere poterant, annon juſta eorum querimonia? Ad retundendam verò arrogantiam juſtificatorum, & ne dicant, meruiſse ſe gratiam, non eſt neceſse ſervum in bono arbitrium inducere: non debet virtus tolli, ut tollatur arrogantia. Sufficit, 1. quòd nec velle nec perficere poſſint, niſi Deus & voluntatem excitet, & vires augeat. 2. quòd ea, quæ divinis adjuti viribus faciunt, nullo modo dignitate & pretio divinæ gratiæ reſpondeant, ſed infinito intervallo ab ea abſint. Quocirca falſum eſt, vos, ut addis,* Dei miſericordiam ita defendere, ut non periclitetur juſtitia. *Quin potiùs noſtrâ ſententiâ & Dei juſtitia, & Dei miſericordia, ſarta tecta & illibata conſervatur: juſtitia in eos, qui bonum facere nolunt: miſericordia erga eos, qui nova creatura ſunt, id eſt, peccatis relictis bonum faciunt.* Qui enim ſecundùm hunc canonem incedunt, pax ſuper ipſos & miſericordia. *Ad*

evitandum desperationis scopulum, non sufficit concedere liberum arbitrium in malo: Ad evitandum verò gloriationis scopulum, non est necesse tollere liberum arbitrium in bono.

Loca Scripturæ, quæ citas, ad probandum, homines ideo puniri, quòd Deo repugnent, non excludunt ea, quæ testantur, homines à Deo puniri, quòd non credant, Evangelio non obediant, pœnitentiam non agant, id quod bonum est non faciant; quorum infinitus planè est numerus. Imo ista ipsa, quæ citas, contra te faciunt. Prover. 1. 24. seq. Vocavi, & renuistis. Ego ridebo in interitu vestro. *Cur omisisti intermedia? Additur enim post priora verba:* Extendi manum meam, & non fuit qui attenderet, & cessare fecistis omne consilium meum, & increpationem meam non voluistis; *& demum additur:* Et ego ridebo in interitu vestro, *etc. & paulò pòst adhuc additur:* Pro eo, quòd noluerunt scientiam, & timorem Domini non elegerunt, *etc. Quid istis verbis apertius est, quàm homines, vocante Sapientiâ, habere libertatem & vires illi attendendi, ejus consilio parendi, ejus increpationem volendi, timorem Domini eligendi, proinde non tantùm ad malum, sed etiam ad bonum, liberum arbitrium habere? Mat. 23. 37.* Volui vos congregare, & noluistis, *etc. Ergo velle poterant. An minùs illis libertatis relinques, quàm pullis gallinaceis, à quibus illic similitudinem Christus sumit? Luc. 7. 30.* Pharisæi consilium Dei spreverunt adversus semeti-

semetipsos. *Cur omittis id, quod additum est,* non baptizati à Iohanne, *ut explicetur, quo pacto illi Dei consiliũ spreverint? Quatenus ergo Iohanni credere, pœnitentiam agere, & baptizari noluerunt, eatenus consilium Dei adversus semetipsos rejecerunt. Quocirca ista omnia non minùs velle & facere etiam poterant, quàm omnis populus, & publicani, qui, auditâ Iohannis doctrinâ, justificarunt Deum, & baptismum Iohannis susceperunt, v. 29. Actor. 7. 51.* Dura cervice vos semper spiritui sancto restitistis; quemadmodum patres vestri, ita & vos. *Resistere spiritui sancto nihil hîc aliud est, quàm Deo non credere, nec obedire. Hoc enim & isti ipsi, quibus id objicit Stephanus, tùm temporis faciebant, & illorum patres olim in deserto fecisse leguntur.*

Loca verò, quæ affers, ad probandum, homines nullas habere vires & libertatem vocanti Deo credendi, & ad eum sese convertendi, nihil prorsus ad rem faciunt. Ea autem sunt. 1. in quibus dicitur, quòd gratis justificemur. *Iam enim antè ostendimus, gratuitæ justificationi nihil obesse arbitrium credendi, & non credendi. imò isto sublato, tollitur vera virtus & justitia, ac proinde & justificatio. Iustificatio enim, licèt sit gratuita, justificatio tamen est, hoc est, fidei virtutumq; præmium. 2. Vbi dicitur fides* non esse ex nobis, sed esse Dei donum: *quem locum jam alibi attigimus. Quasi verò Dei dona, & accipiendi libertatem, & studium laboremq; nostrum protinus excludant. 3. locus est 2. Cor. 3. 5. ubi*

5. *ubi dicit Paulus:* Non quòd sufficientes simus ex nobis ipsis cogitare quid, tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo. *ad quem locum etiam jam antè respondimus. Ais,* hîc Paulum innuere, hominis naturam per peccatum adeò corruptam esse, ut ne quidem boni aliquid cogitare possit. *Ipsi vobis somnia fingitis, Meisnere. Num hic Apostolus illius corruptionis, & quidem corruptionis per peccatum, illudq; ut opinor, Adamicum, ejusq; tantæ, ut ne cogitare quidē boni quippiam possimus, mentionem facit? Quodsi adeò natura nostra corrupta est, ut nihil boni possimus cogitare, cur ergo homini ante conversionem tribuis desiderium pietatis & salutis? tribuis facultatem audiendi, considerandi verbi Dei? tribuis id, quòd Spiritui sancto possit non reluctari? tribuis denique libertatem arbitrii in politicis & moralibus, seu, ut mox loqueris, in peccatis commissionis vitandis? Num hæc omnia, quæ bona proculdubio sunt, sine cogitatione perfici possunt?* Non *ergo de cogitatione cujusvis boni loquitur Apostolus; sed de cogitatione rei alicujus planè singularis & eximiæ, idq; non cujusvis, sed ad salutem nostram & divinorum mysteriorum cognitionem spectantis, quæq;, ut ver. 3. locutus est, & ad quem hîc respicit,* hominum cordibus, ut Epistola Christi fiant, inscribi debeat. *Tales enim res ab ipsis hominibus excogitari non possunt, sed à Spiritu sancto dictantur, cujus homines sunt veluti amanuenses. Quòd verò homines talia cogitare ex seipsis nequeant.*

ant, non id corruptioni alicui naturæ noſtræ, idq́; per primi hominis peccatum, adſcribi debet; ſed rerum iſtarum naturæ ac ſublimitati. Quis enim cognovit mentem Domini, eiq́; fuit à conſiliis? Poſtquam autem iſtæ res nobis revelantur, ſive per Dei verbum, ſive per Spiritum ſanctum, tantas habemus vires, ut eas animo comprehendere valeamus. Ideo non prorſus nos ad iſta cogitanda, & aliis declaranda ineptos eſſe dicit Apoſtolus, ſed inſufficientes: nec tanquam nos ipſi *non cogitemus iſta; ſed* tanquam *nos ipſi quidem, ſed* non ex nobis *illa cogitemus.*

Adhuc probare conatur Meiſnerus, Deum in puniendis hominibus nullam injuſtitiam committere, etiamſi libertatem non habeant in Chriſtum credendi, piè ac religioſè vivendi. idq́; propterea, quòd libertatem habeant media ſalutis non rejiciendi, Spiritui ſancto non reluctandi, peccata commiſſionis, *id eſt*, graviora vitandi. Licèt enim, *inquit*, poteſtatem non habeant in Chriſtum credendi, piè & religioſè vivendi, poteſtatem tamen habent media ad id à Deo ordinata uſurpandi. *Puniantur ergo ſanè juſtiſſimè, quòd ea non faciant, quorum & voluntatis libertatem, & faciendorum poteſtatem habent: ſed illud adhuc oſtendendum relinquitur, quomodo puniri poſſint ideo, quòd reipſâ non credant, ad Deum non convertantur, nec pœnitentiam agant, cùm tamen iſtud facere ne velle quidem potuerint.*

Ait denique Meiſnerus: Cùm Scriptura u-

trumque doceat, & Deum in puniendo justum esse, & hominem seipsum convertere, & ex propriis viribus Deo obedire non posse; hinc apparet, ista inter se non verè pugnare. *Etiamsi Scriptura doceret, hominem seipsum convertere, & ex propriis viribus Deo obedire non posse, (quod tamen de hominibus generatim non dicit) non tamen sequeretur, hominem in conversione & obedientia nullum habere arbitrium, nullas vires, sed tantùm nisi à Deo præveniantur & adjuventur, non sufficientes, idq́ ob hoc ipsum, quòd eadem Scriptura dicat, Deum in puniendo justum esse, nec ulli injuriam facere; quod fieri non posset, si Deus homines ideo puniret, quòd ea non fecerint, quorum faciendorum nullum arbitrium, nullas vires habuerunt. Itaque non quia utrumque Scriptura dicat, propterea hæc inter se non pugnare concludendum est: sed potiùs, quia hæc inter se pugnant, ideo alterutrum à Scriptura non dici statuendum est. At cùm Deum in puniendo dicat esse justum, idq́ res ipsa testetur; necesse est, ut hominem omni arbitrio & viribus in conversione ad Deum destitutum esse non dicat. Ex his tandem perspicuum est, non solùm Evangelicorum de servo arbitrio sententiam, quæ ex absoluto prædestinationis decreto fluit, tum pietatis studio, tum Dei justitiæ, & sacris literis adversari: sed etiam Lutheranorum, licèt multo, quàm illa, mitiorem idem facere; proindeq́ non illã tantùm, sed hanc etiam vitandam ac fugiendam esse.*

III. An

III. An ſententia de libero arbitrio pietatem aliqua ex parte impediat.

Conatur Meiſnerus in nos aliquomodo rejicere hoc, quod nos illis objicimus: nempe doctrinam noſtram de libero arbitrio non omnem ab omni peccato immunitatem adferre, ac proinde rejiciendam eſſe. *Vbi primùm notandum eſt, illum multò minùs ſententiæ noſtræ objicere, quàm nos ex illius ſententia ſequi oſtendimus. Minus enim multò eſt,* non omnem ab omni peccato immunitatem adferre, *quàm* omne ſtudium pietatis tollere ac evertere. *Vnde vel ipſius Meiſneri judicio noſtra ſententia ipſius ſententiæ longè erit præferenda. Sed videamus, quænam vitia noſtra ſententia Meiſneri iudicio pariat?* Parit, *inquit*, gloriationem, & diffidentiam, ac deſperationem. *Prius quo pacto?* Quia quicunque per proprias vires credit & convertitur, non per ſolam Dei operantis gratiam, is gloriari poteſt de ſuis bonis operibus, & recto arbitrii uſu, innuente Apoſtolo, Rom. 4. 2. Epheſ. 2. 9. Id quod Phariſaicum, & ſcripturis Apoſtolicis, omnem gloriationem excludentibus, directè contrarium. *Primùm, Apoſtolum iſtud, quod dicit Meiſnerus, innuere falſum eſt. In verbis Rom. 4. 2. oſtendit, eum gloriari poſſe, qui ex operibus iuſtificatus eſt, hoc eſt, quem Deus non ex gratia, ſed ex merito ac debito juſtificat. At talis non tantùm poteſt non eſſe, ſed ne-*

cessariò non est, quicunque ad Deum convertitur, licèt vel maximè per proprias vires converteretur. Conversionem enim præcessit aversio. At qui aversus aliquando fuit, si justificari debet, nonnisi ex gratia & misericordia justificari potest. Ad justificationem enim ex merito ac debito, ut jam sæpè diximus, requiritur, ne quis ullo peccato damnationem fuerit meritus. Ephes. etiam 2. 9. idem dicit Apostolus, hominem non justificari ex operibus, ne quis glorietur. *Nam quòd ibidem dicat,* fidem esse Dei donum, non ex nobis: *id non tam ad excludendam gloriationem dixit, quàm ad Dei gratiam, quâ justificamur, augendam; quòd non solùm Deus nos justificet per fidem, non verò per opera, sed etiam ipsam fidem nobis donet. Deinde dico, non omnem gloriationem esse Pharisaicum quidpiam, & scripturis Apostolicis contrariam sed eam tantùm, quæ non est in Domino. Nam alioquin dicit Scriptura,* Quicunque gloriatur, in Domino glorietur. *At qui cuncta, quæ habet, Domino ex animo tribuit, & accepta refert, ille certè in Domino gloriatur. Quodsi ergo hoc modo gloriabitur is, qui volens ad Deum conversus est, & arbitrio suo viribusq; rectè usus est; non tantùm non peccabit, sed rectè faciet. Si verò in seipso, ut sic dicam, gloriabitur, non in Domino, id est, sibi, non Domino, opera sua rectumq; arbitrii usum attribuet; istud sententiæ nostræ vitio non fiet, sed hominis. Dices:* istud, quòd arbitrio suo rectè se usum fuisse credat, illi occasionem dedit istius gloriatio-

gloriationis. *Num ergo omnia, quæ alicui glorian-di ansam præbent, vitiosa sunt, rejicienda sunt? Non-ne & Apostolus gloriari se posse dicit, quòd octavo die circumcisus, quòd Israëlita, quòd ex tribu Benja-min, quòd Hebræus, quòd Pharisæus, quòd zelosus, quòd secundùm justitiam Legis inculpatus esset? Num verò ista omnia per se vitiosa erant? Quid merentur Dei dona, si aliquis propter illa animo efferatur, ac superbiat? Sic liberum arbitrium tolli ideo non de-bet, quia possit quispiam sese jactare, quòd illo rectè usus fuerit, qui eo ipso, dum se jactat, illo abutitur. Libero arbitrio sublato tollitur quidem ansa gloria-tionis istius; sed tollitur etiam nō gloriationis ac mo-destiæ: imò simul tollitur omnis virtus & virtutis præmium, ac pœna vitiorum. Annon etiam gloriari potest quispiam, quòd media divinitus ordinata non spreverit, quòd illis usus fuerit, quòd Spiritui sancto non repugnaverit, sed illi sese tractabilem præbuerit? quòd cùm nolle posset Deo parere, id tamen non fece-rit, ex quibus rebus orta sit fides, & ad Deum con-versio? Et tamen tu in istis omnibus liberum arbitri-um concedis. Quid? ipsi renati, quos libero arbitrio præditos esse fateris, num propterea tumidi & jacta-bundi erunt? Nonne vides, rem propter ejus abusum damnandam non esse? Adde, gloriationi isti omnem ansam eo præcidi, quòd & liberum arbitrium Deo acceptum ferre quisque debeat; & quòd isto suo libe-ro arbitrio uti, atque ad Deum reipsâ converti non potuisset, nisi Deus hominem ad se vocâsset, eiq́ cre-*

dendi caußas ac occasiones maximas dedißet. Ideoq́, non sibi, sed Deo acceptam ferre debet suam fidem & conversionem, & sic non in se, sed in Deo gloriari. Atque hæc est verissima ratio, quâ & gloriatio omnis excludatur, & virtuti locus relinquatur: ut nec per solas hominis vires ac voluntatem, nec per solam Dei operantis gratiam, hominem converti, & piè vivere dicamus; sed utraque conjungamus. Alterum enim virtuti locum dat: alterum gloriationem excludit. Ideo etiam Apostolus non dicit, fidem eße sine nobis, sed non eße ex nobis, id est, non cepiße nos priùs fidei & conversionis ad Deum consilium, quàm ipse nos vocaverit, & istud faciendi causas occasionesq́, suppeditaverit; quas postquam suppeditavit, quid mirum est, quòd nos & credere voluerimus, & reipsâ crediderimus? Nihil adeò magnum, & ob quod meritò gloriari possimus, in hoc præstitimus. Sed nisi dicamus, hominem liberè credere, atque ad id consensum suum, & aliquas etiam vires adferre; quam causam assignabit Meisnerus, cur (ut ipsius verbis utar, & suo eum jugulem gladio) duobus verbum audientibus, unus convertatur, alter non convertatur? Neuter sanè media à Deo ordinata spernit & negligit. Ista caußa, quam nos asserimus, illi non placet, quòd alter liberè velit, alter nolit, quia gloriandi materiã suppeditet. Quam ergo ipse afferet? Hanc, quia Deus in altero operatus est fidem, in altero non est operatus: non quòd ille Deo cooperatus fuerit magis, quàm iste; ille voluerit,

hic noluerit; uterque enim æquè, velle non potuit: sed quòd in illo fidem operari Deus voluerit, in hoc noluerit. Quomodo igitur & miserum istum jure punire poterit, quia id non habeat, quod ei ipse dare noluit; & illum præmio afficere, quòd ei, nulla ipsius virtute ac studio interveniente, aliquid ex gratia sua contulerit?

Ais, hinc apparere, Photinianos verè Pelagianos esse, & hostes gratiæ divinæ, cui tantum detrahunt, quantum humanis viribus adscribunt. *Nihil detrahitur divinæ gratiæ, cùm homini liberum arbitrium in sui ipsius ad Deum conversione conceditur. Nec, ut gratiæ divinæ consulatur, opus est, ut hominem saxum ac stipitem in conversione esse dicamus. Vtrumq; extremum est, utrumq; vitandum est. Etiamsi homo liberum habeat arbitrium, ingens gratiæ divinæ remanet campus, ut sæpè ostendimus. Gratiæ divinæ, eiq; salvificæ, pulcherrimè convenit cum hominis virtute. imò hac sublata, salvifica Dei gratia speranda non est. Pelagiani non sumus. quia viribus & voluntati hominis non omnia, non pleraq; tribuimus, sed aliquid relinquimus: quod nos facere ipse Meisnerus agnoscit, qui in relatione nostræ sententiæ pag. 102, 103. scribit* nos credere, naturales hominis vires esse exiguas, nec sine Dei auxilio nos posse Dei præcepta servare.

Deo, *inquis*, nil nisi revelationem Evangelii acceptam ferunt, quasi suo ille jam dudum

munere

munere perfunctus, & in nostri conversione otiosus sit, nihilq́; efficiat. *An tibi revelatio Evangelii, in quo & divinissima, seu, ut Petrus loquitur, maxima ac pretiosa promissa, & promissionum divinissimæ confirmationes continentur, exiguum quid videtur?* Non mirum *hoc est, qui Evangelium ipsum tanti esse non putas, ut hominem ad fidem & pietatem, licèt liberè volentem, queat adducere. Sed falsum est, nos solam Evangelii revelationem illi acceptam ferre. Annon ipse superiùs agnovisti, nos Deo acceptum ferre etiam interius auxilium, seu illuminationem animi, quæ fit per interiorem causam, hoc est, spiritum sanctum, qui nos in fide mirificè confirmat, & vires ad omnis generis pietatem exercendam sufficientes, non, ut tu vis, inchoatas tantùm, suppeditat? Unde etiam apparet, ex sententia nostra non sequi, Deum, quasi jam olim officio suo sit perfunctus, in conversione nostra nihil nunc agere. Quasi Deus, Evangelio olim revelato, nunc quoq; illius revelationem & propagationem non curet? quasi non ille sit, qui puritatem verbi sui conservet, & hanc clarissimam veritatis suæ lucem non ita pridem ex tenebris protulerit; qui nobis audiendi verbi sui occasiones suppeditet, verbi sui præcones doctoresq́; excitet, & illos spiritu suo sancto ad tantum munus dignè sustinendum & obeundum idoneos reddat; qui hodie quoq; spiritum suum sanctum credentibus, & piè vivere conantibus, ac ipsum orantibus conferat; qui non omnibus modis nostram salutem procuret? licèt etiam cures*

am curet ut hominum mente & libera voluntate præditorum, non verò eo pacto, quo mulos & equos regere ſolent homines.

Iam videamus, quomodo diffidentiam ac deſperationem *ex ſententia noſtra oriri dicat.* Ita enim tentatus, *inquit*, in agone mortis colliget: Qui vires habuit Legem perfectè implendi, nec tamen illam implevit, is maledictioni meritò ſubjacet, & ſine omni ſpe veniæ damnatur. Aſt me vires habuiſſe Legem perfectè implendi, debeo credere: convincit autem mea me conſcientia, quod perfectè Legem non impleverim, *etc.* Quare maledictioni Legis meritò ſubjaceo, & ſine ulla ſpe veniæ damnabor. *Major iſta vera eſt ſub Lege, non ſub Evangelio. Nos verò non ſumus ſub Lege, ſed ſub gratia. Qui ſpiritu ducuntur, non ſunt ſub Lege. Contra eos, qui fructus ſpiritus ferunt, Lex non eſt. Evangelium non requirit, ut Legem perfectè ſervemus; ſed ut fidem per charitatem efficacem habeamus, hoc eſt, omnibus virtutibus ornati ſimus, & in nullo peccato maneamus. qua de re alibi diſputavimus.*

Ad Minorem quod attinet, nuſpiam diximus, hominem habere vires Legem perfectè implendi. Et ſanè, ſi exiguas eſſe hominis vires, *&* aliquas tantùm, *dicimus, quemadmodum nobis ipſe Meiſnerus tribuit pag. 103, 105: quomodo tantas eße dicere poßumus, ut Legem perfectè ſervare poſſit? Itaq; vides, ſententiam noſtram non adferre deſperationem*

illi,

illis, qui, licèt Legem perfectè non servârint, peccati tamen dominatum excußerunt, & non secundùm carnem, sed secundùm spiritum ambulârunt. Illis, fatemur, sententia nostra nullam adfert consolationem, nec debet, qui in vitio aliquo, sive uno, sive pluribus hæserunt, nec illa ante mortem deposuerunt. Nec doctrina Apostolica & Scriptura propter consolationem tantùm est data, (ut tibi videtur) sed etiam propter terrorem. Consolatur pios, terret impios: nec ulli, nisi verâ sanctimoniâ prædito, æternam felicitatem pollicetur. An non ipse superiùs dixisti, Christianam religionem tollere licentiam peccandi, ut maneant fundamenta consolandi; & ita consolari, ne securitati (*addere debebas, & peccandi licentiæ,*) fenestra pandatur? *Et, si vos quoque vobis ipsis consentanea loqui velitis, non video, quomodo magis homines consolari possitis. Nam aut renatus est aliquis, aut non renatus. Si non renatus, num majus solatium illi afferet id, quòd nullas vires obediendi Deo habuerit, quemadmodum vos dicitis, quàm quòd habuerit, ut nos dicimus? annon æquè atque nos illum damnari dicitis? nisi quòd nos jure, vos injuriâ. Si verò renatus est, annon suprà vidimus, quòd ei* libertatem arbitrii, vires diligendi Deum, & observandi Legem, à spiritu sancto per verbum infusas, tribuatis: sic, ut peccato dominium adimatur, caro mortificetur, bona Deoq; placentia opera exerceantur, voluntas indefesso pietatis studio teneatur, *pag. 80, 81, 88, 90.*

vo? Iam igitur quæro, quomodo istum consolari poteritis, si ista non fecit, quorum faciendorum liberum arbitrium & vires habuit?

Dices, vos renato eas vires non tribuere, ut possit Legem perfectè servare. Atqui ne nos quidem vel illum tantas habere vires, vel etiam, ut id fiat, ad salutem opus eße aßerimus. Hoc tantùm requiri dicimus, ne ulli peccato serviat, & ut indefeßo pietatis Deoq; obediendi studio teneatur. Num ergo vel vires illi ad istud præstandum defuerunt; vel ut id fiat ad salutem nõ requiritur? Si hoc dicitis, Meisnere, & sic renatos vestros peccatorum habitibus pollutos consolamini, ô quàm vanis sermonibus illos decipitis! Sin verò nobiscum hac in parte, ut quidem videmini, sentitis; non magis per vestram, quàm per nostram doctrinam solatium afferetur iis, qui cujusvis peccati jugum non excußerunt. Itaq; jam vides, quàm in hoc falsus fueris, cùm addis: Certi sumus, quòd efficaciter aliquem solari nequeant, quamdiu suam de viribus humanis & facili Legis observatione sententiam retinent; *quandoquidem humanas vires, nisi divinum auxilium accedat, exiguas esse; hoc autem accedente, tantas eße dicamus, ut Legem, quamvis non exactè, sic tamen servare poßimus, ut eam ex æquitatis quadam regula servaße censeri queamus, nempe, (quod sub Evangelio ad salutem sufficit) si ejus observandæ habitu & consuetudine præditi simus. Vnde etiam Christus* jugum suum suave, & onus suum leve *eße dixit: & Apostolus ipsius Iohannes,* Dei præcepta gravia non esse *te-*

status est: Per hanc sententiam affertur solidissima consolatio piis, nulla impiis, & qui peccatorum habitus ante mortem non exuerunt; dicente Propheta: non est pax impiis, *Esa. 48: 22. 57, 21.*

Dum verò Meisnerus eo nomine sententiam nostram de libero arbitrio reprehendit, quòd consolationem non afferat hominibus in agone mortis versantibus, quos ipsorum conscientia convincit: ultrò prodidit doctrinæ suæ de servo arbitrio, & nullitate virium humanarum in rebus ad religionem & pietatem pertinentibus, usum: nempe, Homines variis habitibus vitiorum pollutos in agone mortis solari, eorum animos, ut ipsius verbis utar, refrigerio levare, *iisq; salutis certam spem facere. (Nam ad consolandos istos, qui sobriè, castè, justè, piè vixerunt in hoc seculo ad mortem usq;, doctrina de servitute arbitrii, viriumq; humanarum nullitate non est opus: sufficit doctrina de eo, quòd non simus sub lege, sed sub gratia; & quòd non ex operibus, sed ex fide justificandi simus.) Quodsi ergo istius doctrinæ hic finis & usus est, adeò humanæ saluti noxius, remis velisq; fugienda est, & aures non minùs ab ea avertendæ, quàm à blandis quidem, sed perniciosis Sirenum cantibus.* Nemo vos seducat, *inquit Apostolus,* vanis sermonibus: propter ista *(nempe varia peccata & vitia, quorum nonnulla paulò antè enumeraverat,)* venit ira Dei in filios contumaces. *Seductorum est, & tumidam vanitatem loquentium, libertatem ac salutem illis, qui peccatis sunt mancipati, polliceri.*

III. Mem-

III. Membrum.

An doctrina Evangelicorum de justificatione nostra pietatis & bonorum operum studium impediat.

AFfirmat Socinus; negat Meisnerus: & Socinum propriâ confessione premere volens, ait, ipsum vi veritatis coactum fateri, fuisse & adhuc esse, qui hanc sententiam se amplecti profiteantur, & tamen Christianè vivant. *Dicit quidem hoc Socinus; sed statim excipit:* verùm aut isti non penitus eam imbiberunt seu gustârunt, nec, quid ex illâ consequatur, accuratè perpenderunt; aut sibi Deum, quamcunq; tandem ob causam id fiat, singulariter faventem habent, nec permittentem, ut in eo periculo pereant, in quo perpetuò versantur. *Hæc exceptio adeò Meisnero displicet*, ut utrumq; temerarium & audax effatum esse *pronunciet*: quia per alterum καρδιογνωσίαν Socinus jactitet, per alterum aliquod miraculum fingat. *Quàm & ineptum istud utrumq; est, quod dicis Meisnere, & immeritò à te Socino objectum! Num ergo fieri non potest, ut aliquis vestram sententiam amplecti se professus, interim tamen eam non penitus imbibat, nec, quid ex ea consequatur, accuratè perpendat? Num Socinus hunc aut illum in specie certò talem esse dixit, & sic καρδιογνωσίαν jactavit? Atqui, inquit,* multi apud

nos penitissimè imbiberunt hanc sententiam, *etc.* sanctè nihilominus vixerunt. *Quod ut probet,* Lutherũ ipsũ nos cogitare *jubet, quem inculpatè vixisse, ut ostendat ex quadã Erasmi epistola, aliquid in eã rem citat.* Nolumus *nos vel aliis, vel Luthero, quidquam detrahere. Fuerint sanè ii, quos esse dicitis, & per nos integrã pietatis obtineant famam. Interim tamen præstaret, ne nimiùm Lutheri vestri pietatem jactares, præsertim ratione ejus temporis habitâ, quo plusculum libertatis est nactus.* Nam *ab initio, cùm adhuc sibi ab adversariis metueret, multò modestior fuit. quo etiam tempore hæc, quæ citas, Erasmus de illo scripta reliquit.* Nam *ne quidquam aliud, præter illa convitiorum plaustra, commemorem, quibus in scriptis suis etiam in summa dignitate positis hominibus contumeliam fecit, parúmne hæc indicant, quantum ei ad vitam homine Christiano verè dignam adhuc defuerit? Sed perpenderint isti accuratè vim hujus sententiæ, & tamen verè piè & sanctè vixerint; annon potuit hoc singulari Dei favore & curâ contigisse? quæ est altera causa, quam adsert Socinus. At inquis:* quâ quæso ratione vobis istud innotuit? *nempe ea, quòd nunc ponamus, sententiam istam suâ vi & naturâ pietati ac vitæ verè Christianæ adversari. quandoquidem hoc demonstrandum nunc suscepimus. Nonne si verum hoc est, rem sic se habere, quemadmodum dicit Socinus, prorsus consequitur?* At miraculum in eo esset, *inquis. Sanè lubentes id agnoscimus: ideo etiam expreßè*

presse dixit Socinus, istam sententiam ejusmodi esse, ut mirum videri possit, si quis eam amplexus vitam homine Christiano dignam ducat. *Sed an illud finget Socinus, si ea est vis & natura istius sententiæ, ut hominem à pietatis studio abducat? annon istud miraculum hinc sponte fluet? Num verò adeò inusitatum & insolitum est, ut Deus cuipiam peculiarem suum favorem exhibeat, & in maximo periculo perpetuò versantem, perire non sinat? Quid hîc adeò novi est, ut Meisnerus tantopere mirari possit? Annon vos ipsi quotidie longè majus miraculum inducitis, & verè fingitis, qui hominem sine propria voluntate ac studio, miraculosa quadam solius Spiritus sancti per verbum operatione converti; nihil, quod ad pietatem & religionem verè pertineat, sua etiam voluntate ac viribus, sed voluntate quadam ac viribus tantùm cœlitus infusis agere, dicitis? Num si hoc verum est, quæcunque tandem fuerit istius vestræ sententiæ vis, non poterit talis homo à Spiritu sancto subactus vitam homine Christiano dignam ducere? Quantò minus vult Socinus, qui Deum* tantùm non permittere, *ut ejusmodi homo pereat, non verò solum cuncta sine ipso in illo operari, ut vos vultis, statuit. Itaq; id, quod dicit Socinus, nec per se ullo modo falsum & absurdum est, nec tale, quod probari nequeat. Probato enim eo, quòd ista vestra de justificatione doctrina pietatis studium suâ naturâ impediat; istud etiã eâdem operâ probabitur.*

Frustra igitur nobis argumentum aliud, ab ex-

perientia quotidiana, ut tibi videtur, petitum opponis, & in illo ante victoriam triumphum canis. Si enim doctrinam istam talem esse, ut dicimus, evicerimus; quid te juvabit, etiamsi istius doctrinæ cultores bene multi *sanctè & inculpatè viverent, ut hinc concludas, illam per se non impedire studium pietatis? cùm istud fieri possit propter causas à Socino allatas: vel tandem quascunque alias, qualis est aut naturæ aut educationis bonitas quædam, aut famæ & existimationis studium, aut aliud aliquid horum simile. Neque enim semper verum est quod ais,* effectum locum non habere, si causa effectum tollens vel impediens adsit. *Potest enim causæ istius operatio per alias impediri causas. Sed, si argumentum ab experientia quotidiana peti debet, falsum est, sectatores istius doctrinæ* bene multos *verè sanctè & inculpatè vivere. Isti enim multi non per se considerandi sunt, (nam quid mirum est in infinita hominum multitudine aliquam talium multitudinem reperiri?) sed ducta ad cæteros proportione. Iam verò experientia testatur, nullam esse proportionem inter eos, qui hanc sententiam amplexi piè & inculpatè vivunt, & inter eos, qui eandem amplexi carnalibus cupiditatibus indulgent. Itaq; hinc potiùs istius sententiæ vis, quàm illinc æstimari debet.*

Falsum etiam est, quod ais, nos, bene multos, *vestræ sententiæ cultores piè & inculpatè vivere, non diffiteri. Neque enim dixit Socinus,* fateor multos esse, *nedum* bene multos, *sed simpliciter* fa-

teor

teor fuisse, & esse tales. *Sunt autem, vel fuerunt, etiamsi paucissimi tantùm sint, vel fuerint. Sed nos, censurâ aliorum relictâ, ad quam suis intempestivis laudibus nos invitos pertraxit Meisnerus, rem ipsam potiùs, & doctrinæ istius indolem inspiciamus.*

Ait, Socinum in probando esse nullum, in referenda ipsorum sententia obscurum, & minùs candidum. Certè, *inquit,* nec ordo, nec probatio, nec verba bona hîc occurrunt. *Quid aliud ab Adversario expectes? An nullus sit in probando Socinus, eorum esto judicium, qui nullo præjudicio laborant. Obscurum esse, nec verbis bonis uti, ideo fortassis tibi videtur, quòd in vestra sententia explicanda nec prolixus sit, ut tu, nec vestris vocabulis adstrictus. Candorem ipsius sæpe jam impetiisti, sed semper immeritò. Ad ordinem quod attinet, (in quo etiam ἀπαιδευσίαν Socino objecisti, & hac nota margines etiam libri tui signâsti: credo, ut tuam eruditionem omnes mirarentur,) hic elegans est, omniaq; pulchro inter se concatenata sunt nexu. Sed Meisnerus Socini ordinem inordinatè prorsus, & minimè candidè retulit. Primùm enim Socinus exponit, quæ sit Evangelicorum de justificatione hominis sententia, & quo pacto bona opera à causis justificationis excludant: deinde ostendit, quòd licet bona opera fructus fidei justificantis esse dicant, nihilominus tamen adeò exiliter ac jejunè de illis sentiant, ut ex ipsorum sententia homo justificatus & spiritu Dei regeneratus veriùs dici possit conari tantùm bene agere,*

gere, quàm reipsâ bene agere. Quam sententiam illos ex malè intellectis Pauli cap. 7. Epistolæ ad Rom. verbis præcipuè hausisse asserit. Et quia tamen nimis absurdum videatur, sine vitæ sanctimonia aliquem posse servari: hinc tertiò exponit, quomodo huic absurditati per imputationem justitiæ Christi mederi velint Evangelici. His dictis quartò breviter collectâ Evangelicorum sententiâ docet, quomodo pietatis studium pessundet. Posthæc denique, cùm nihilominus Scriptura doceat, nos sola fide justificari, quomodo in istius fidei definitione errent Evangelici, & quid sit fides justificans, brevibus explicat. Iam quid in hoc ordine jure reprehendi potest? Meisnerus, quem & nos sequi cogimur, hanc tractationem certis distinxit numeris & titulis. 1. Agit de justificatione. 2. de bonis operibus. 3. de 7. cap. Epistolæ ad Romanos. 4. de imputata Christi justitia. 5. de Fide justificante. quæ omnia persequitur fusissimè.

I. De Justificatione.

H*ic primò de Socino conqueritur Meisnerus, quòd Evangelicorum sententiam,* partim obscurè, partim mutilatè retulerit: *deinde istam sententiam ipse aliquot thesibus explicat.*

Videamus primùm, quid illi displiceat. 1. inquit, obscurè definit justificationem, *quia illam dicit esse* rem talem, quâ justi habeamur a Deo. *Atqui nec Socino propositum fuit, accuratè justificationem definire, sed tantùm significanter exprimere; nec*

re; nec sic loquitur, ut tu eum ineptè prorsus, non tantùm obscurè loquentem inducis. Non enim dicit, justificationem esse rem, quâ justi, *sed* esse id, quòd justi habeamur à Deo. *Iustum à Deo haberi, & ut talem ab ipso tractari, Socino justificari est. Num verò hoc cuiquam obscurum, & non omnibus apertissimum est?*

Quin tu potiùs, justificationem coram Deo, accuratè definire volens, & ea in definitione ponis, quæ ad ipsam justificationis naturam non pertinent, in iisq́; principium, ut vulgò loquuntur, petis: & justificationem in genere cum justificatione in specie confundis. Principium petis, & in definitione justificationis id ponis, quod ad ejus naturam non pertinet, cùm dicis, eam esse absolutionem à reatu peccatorum, propter Christi meritum fide apprehensum. *Confundis autem justificationem in genere cum justificatione in specie, cùm eam hominis* peccatoris *absolutionem esse dicis. Iustificatio simpliciter est hominis absolutio à peccatorum pœnis, sive ille peccator sit, sive non sit. Quodsi peccator est, & absolvitur; vel id aliena satisfactione factum esse dici potest, vel divinâ gratiâ ac clementiâ: si verò peccator non est, proprio illius jure ac merito. Hoc modo neminem justificari coram Deo, utrique fatemur. In eorum verò, qui peccatores sunt, absolutione vos priorem modum, nos posteriorem amplectimur. Nam uterque simul consistere non potest. Itaque quemadmodum* condemnare *in genere, non est hominem*

innocentem pœnis addicere, sed tantùm reum, sive sit nocens, sive innocens: sic justificare in genere, non est hominem peccatorem absolvere, sed tantùm hominem; licèt illic innocentem damnare sit nefas, hîc nocentem absolvere, illi judici, qui de suo agit jure, non sit nefas, imò persæpe maximam clementiæ laudem contineat. Quantò ergò rectiùs Socinus? qui justificationem simpliciter consideravit, & in ea exprimenda nihil pro concesso, quod ab adversario non concedatur, sumsit. Itaque vides, quàm meritò dicas, Socinum ista, quæ plana & aperta sunt, occultare, & verbis ambiguis intricatisq; lectoris intelligentiam subdolè morari. Tu potiùs ea, quæ plana & aperta sunt, meriti Christi, & fidei illud apprehendentis mentione obscuras: & intempestivè nunc illa addis, cùm nondum de causis justificationis quæramus, sed, quid in genere justificatio sit, exponamus.

Quod verò ad justificationis causas attinet, primò reprehendit Socinum, quòd causam & justificationis rationem ex ipsorum sententia afferens, omiserit Christi obedientiam activam; & passivam tantùm, ut ille vocat, expresserit. Atqui hoc ideò fecit Socinus, 1. quia Evangelici isti, cum quibus Socino res est, hoc est, Calviniani, solius satisfactionis Christi per sangvinis fusionem, ut plurimum meminisse solent, cùm causam justificationis nostræ coram Deo assignant, & fidem justificam definiunt. 2. quòd alterutra causa sufficiat: imò utraque consistere simul nequeat. Si enim Christus pro omnibus

peccatis

peccatis noſtris, & præteritis, & præſentibus, & futuris, morte ſua ſatisfecit; nihil opus eſt, ut pro nobis juſtus fuiſſe dicatur: & viciſſim, ſi Chriſtus pro nobis juſtus fuit, ſic ut ipſius juſtitia nobis imputari queat; nullus relictus eſt locus ſatisfactioni per pœnarum ſolutionem. Vbi enim peccatum non eſt, ibi nec pœna locum habere poteſt. De locis Rom. 5. 19. & Eſa. 53. 5. quæ citas, ad probandam imputationem obedientiæ Chriſti activæ & paſſivæ, inferiùs erit agendi locus.

Deinde dicit, Socinum formale juſtificationis involvere, *quia juſtificationem per id, quòd Deo accepti ſimus & grati, exprimat.* Forma *inquit* juſtificationis eſt, non tantùm Deo acceptum eſſe, ſed potiùs abſolvi à peccatis, & horum remiſſionem adipiſci. *Quid eſt de verbis litigare ſi hoc non eſt? An qui abſolvitur à peccatis, Deo gratus & acceptus non eſt? & contrà, qui Deo verè gratus & acceptus eſt, an à peccatis non abſolvitur? Tu ipſe ſequenti ſtatim pagina 112.* abſolutionem & in gratiam acceptationem, *pro eodem uſurpas. Porrò, ſi juſtificationis noſtræ formale eſt,* remiſſio peccatorum, *quomodo illius cauſa eſſe poterit* meritum & ſatisfactio?

Reprehendis etiam Socinum, quòd fidem veſtram explicans dicat, eam eſſe, firmiter credere, nos propter ſatisfactionem, & ſic propter Chriſtum Deo eſſe acceptos & gratos. *Ais,* fidei objectum primò non eſſe noſtram acceptationem, ſed potiùs Chriſti obedientiam. *Vndiq; videtis*

deris voluisse conquirere reprehensionis ansas, sed nullas invenire potuisti. Annon credere, nos propter Christi satisfactionem seu obedientiam Deo gratos & acceptos esse, includit etiam, credere Christum pro nobis satisfecisse & obedientem fuisse? Num ergo Socino breviùs & concinniùs loqui non licuit? præsertim quòd, licèt hoc posterius primò credere secundùm vos debeamus, illud tamen præcipuum & principale fidei justificantis objectum vobis videatur. Adde, quòd etiam ineptè loquaris, cùm istud, quòd Deo grati & accepti simus, vocas nostram acceptationem. *Itaq; falsum est quod subjungis,* Socinum partim obscurè, partim mutilatè sententiam vestram retulisse. *Nec profectò erat, cur vestræ sententiæ explicationem adhuc aliquot paginis diffunderes, quam omnes norunt.*

In prima statim thesi. 1. contradictionem involvis, cùm dicis, peccatorem gratuitò absolvi, & *tamen* propter Christi meritum. *Ubi meritum est, idq; perfectum, ibi gratiæ locus non est. Si ex merito, non ex gratia; alioquin meritum non erit meritum; si ex gratia, non ex merito; alioquin gratia non erit gratia. 2. Ineptè ista tria distingvis, quæ in justificatione contineri dicis,* accusatum absolvere, pro justo censere & pronunciare, tribuere testimonium & præmia. *Priora enim duo idem sunt planè, accusatum absolvere, & eundem pro justo censere ac pronunciare. Sic potiùs, si tria membra constituere volebas, dicendum erat. 1.* Hominem à reatu absol-

atu absolvere, & justum pronunciare. 2. ab ipsis pœnis, peccatoribus debitis, liberare. 3. præmia innocentibus debita tribuere.

Thesis secunda & tertia mutuò sibi contradicunt. In illa enim causam justificationis nostræ assignas Dei bonitatem, misericordiam, charitatem, gratiam, gratuitum favorem: sic ut nihil Deum ad hanc misericordiam exstimulârit, præter miseriam nostram: *In hac autem* meritoriam justificationis causam *inducis. Meritum verum & perfectum superiora illa omnia penitus excludit. Ubi est misericordia, ibi non est jus ad evitandam pœnam; ubi meritum plenum & perfectum, ibi etiam jus plenum ac perfectum. Ubi justificatio fit* gratis, δωρεὰν, *dicente Apostolo, ibi non fit ex merito; meritum enim tollit donum.* Meritum habenti, *ut Apostoli verbis utamur,* non tribuitur merces secundùm gratiam, sed secundùm debitum.

Porrò, meritoriam justificationis causam esse dicis solam Christi obedientiam. *At quomodo nobis potuit Christus obedientia sua justificationem promereri, cùm & ipse pro se obedientiam Deo Patri suo debuerit; & una Christi obedientia infinitas aliorum hominum, ut sic dicam, obedientias Deo debitas nullo pacto æquet? Causa, quam addis,* quia extra Christum nulla sit salus, *ad rem nihil pertinet. Non enim ideo hoc dicitur, quòd ille obedientia sua justificationem meruerit; sed quòd Deus non nisi in Chri-*

in Christum credentem, nec nisi per Christum justificare velit. Quod iterum non ideo fit, ne Lex solvatur & destruatur, (cùm fidei in Christum promulgatio sit Legis, quatenus omnes peccatores sine discrimine damnat, abolitio: Novum enim Fœdus, in quo per fidem justificantur homines, abrogat Vetus, in quo per operum merita:) sed quia sic Deo clementissimo summo cum nostro bono placitum est. Adde, quòd non minùs Lex solvatur, si non ille ipse, qui peccavit, sed alius ejus loco puniatur, nec quivis pro se obediat, sed alius pro alio: idq; tanto magis, si unus pro omnibus vel puniatur, vel obediat.

Obedientiam istam Christi *dividis* in activam & passivam; illâ nostri loco Legem implevit, hac nostri loco punitus est. *At cur puniti sumus in Christo, si Legem in Christo implevimus? quomodo Legem implevimus, si puniti sumus? Non vides, alterutrum non tantùm non requiri, sed etiam excludi obedientiam? Præterea, si Christi obedientia nostra fuit obedientia, Christi afflictio nostra pœna: quomodo ipsi Christo ista, quam præstitit, cum aliis in rebus omnibus, tum etiam ad mortem usq;, eamq; crucis, obedientia tantum præmium apud Deum & gloriam conciliare potuit? An, si pro afflictione detur præmium, & quidem omnium maximum, non omnis ratio pœnæ tollitur? Quocirca Christi perpessiones non pœnæ fuerunt peccatorum, sed labores præmia antecedentes. Et, si pro obedientia alicui conferatur merces, quomodo ista obedientia alterius censeri potest.*

test, quàm illius ipsius, qui præmium ac mercedem pro ea consecutus est?

Dicta Scripturæ, quæ de Christi obedientia activa citas, partim nihil de ea loquuntur, ut Math. 5. 17: partim eam meritoriam justificationis nostræ causam esse non dicunt, ut Rom. 5. 19: partim non tantùm ad rem non faciunt, sed etiam contra te faciunt, ut Rom. 10. 4. ubi Christus dicitur esse finis Legis, *in* justitiam *vel* justificationem omni credenti. *Quibus verbis, (ut & antecedentia & consequentia demonstrant.) indicat Paulus, Christum alium justificandi modum tradidisse, quàm Lex tradebat, & sic Christo adveniente Legem cessasse, & vim rigoremque suum, quem in damnandis vel justificandis hominibus habuit, amisisse, contrà quàm tu paulò antè volebas. Vnde patet, ad justificationem obtinendam nullis operis esse meritis, nulla satisfactione, quam Lex exigebat; sed tantùm fide, qua Evangelium contentum est. Similiter contra te facit, ultimus à te citatus Gal. 4. 4. locus, ubi dicitur Christus* esse natus ex muliere, natus sub Lege. *Si enim & ex muliere natus, id est, verus homo erat, & adhuc sub Lege natus erat, ipse servandæ legi pro se obstrictus fuit, ac proinde eam pro nullo alio, nedum pro omnibus, implere potuit. Subjicitur etiam,* Christum eos, qui sub Lege erant, redemisse, *quod nihil aliud est, quàm Legis illam servitutem & rigorem, quo omnes, qui peccaverant, sine discrimine damnabantur, sustulisse, & Iudæos in libertatem fidei vindicasse: quemadmodum ex antece-*

ex antecedentibus & consequentibus manifestè patet.

Quæ verò citas de passiva obedientia, seu pœnarum pro nobis à Christo susceptione, ea similiter ad rem non faciunt. De verbis Es.53.4,5.Rom.3.24. quæ tibi etiam contraria sunt, infrà agemus. 1 Ioh.2.2.dicitur Christus esse ἱλασμὸς pro peccatis nostris. *Hunc locum quia infrà nō citas, propterea nunc ad eum respondebimus. Dicimus, ἱλασμὸν nihil aliud hîc significare, quàm καθαρισμὸν seu* expiationem. *Græci enim iiq; sacri scriptores verbo ἱλάσκεσθαι utuntur ad exprimendam Hebræam vocem* kipper, *quæ expiationem peccatorum significat. Nec obstat, quòd non simpliciter hîc dicatur ἱλασμὸς ἁμαρτιῶν, sed interjectâ particulâ περὶ. Hæc enim loquendi ratio manavit ex Hebraica consuetudine, quâ verba tegendi significationem habentia, quale est* kipper, *cujus radix est* caphar, *cum præpositione Hal vel Bead construuntur, quibus in Græca lingva respondet περὶ, vel aliæ similes particulæ. Hinc eodem sensu nunc occurrit phrasis ἱλάσκεσθαι ἁμαρτίας, nunc, idq; aliquanto frequentiùs, ἱλάσκεσθαι περὶ ἁμαρτιῶν. Nuspiam autem hæc vox à sacris scriptoribus de Deo usurpatur passivè, quasi ille placatus fuisse dicatur, & ex irato propitius factus: sed semper vel activè, ut cùm ipse dicitur ἱλάσκεσθαι, expiare peccata; vel absolutè & intransitivè, ut deponentia multa apud Latinos. un-*

de pro

de pro eo nunc ἵλεων εἶναι, *nunc* ἀφιέναι *reponitur. Vnde etiam ipse remittendi actus, utpote ex clementia profectus, nulla ejus habita ratione, quòd is, qui remittit, ab aliquo placatus, aut ex irato propitius factus fuerit,* ἱλασμὸς *dicitur, ut Psal: 130. 4. Sirac. 5. 5, 18, 20. Christus ergo* ἱλασμὸς περὶ ἁμαρτιῶν *ideo dicitur, quòd peccata nostra expiet, id est, eorum reatum ac pœnas tollat, & sic efficiat, ut Deum propitium ac faventem semper experiamur. Ad peccatorum autem expiationem non opus est pœnarum solutione: imò ideo peccata expiantur, ne pœnas pro iis pendere sit necesse. Nec tantùm pœnarum solutione opus non est, sed nec placatione quidem divini numinis, ut scilicet ex irato propitius fiat; cùm sæpè ideo tantùm peccata expientur, ut numen propitium esse porrò pergat; nec ut iras deponat, sed ne concipiat. quod in omnibus illis expiationibus accidere necesse est, quas ipse Deus præscripsit ac constituit, qualis vel inprimis est expiatio, quæ fit per Christum. Apertissimè istud docet posterior locus apud Iohan. cap. 4. in quo eadem extant verba, ubi Deus tùm, cùm filium suum in mundum misit* ἱλασμὸν περὶ ἁμαρτιῶν, *dicitur nos dilexisse; idq́; tanquam certissimum admirandæ ejus erga nos charitatis argumentum adducitur. Num ergo is, qui tantopere dilexit, ut placaretur iis, quos dilexit, opus habuit? Vno igitur tempore eosdem & impensè amavit, & capitali odio prosecutus est? Quocirca Christus dicitur*

ἱλασμὸς

ἱλασμὸς, *quatenus in cœlis manens, noster est advocatus apud Patrem, ut istic additur. quo etiam sensu Heb. 7. 25. dicitur* pro nobis intercedere, *& 9. 24. dicitur* vultui Dei pro nobis apparere, *& cap. 2. 17.* peccata nostra ἱλάσκεσθαι, *hoc est*, expiare. *Loquitur enim illic de expiatione, quam nunc Christus in cœlis degens, tanquam summus Pontifex noster, peragit, (quemadmodum textum inspicienti cuivis patet) Christus autem in cœlis apud Patrem degens, non aliter peccata nostra expiat, quàm quatenus suprema sua potestate, sibi à Patre concessa, nostram salutem procurat, uniceq; operam dat, ne peccatorum nostrorum pœnas demus. Unde etiam in infirmitatibus nostris, ne propter eas succumbamus, & in æternum pereamus, auxilium nobis opportunum ferre solet.*

Quod verò in fine addis, vos Christi passiones *nuncupare* passivam obedientiam, *istud sententiam vestram evertit. Si enim Christi passiones rationem obedientiæ habent, rationem pœnæ habere non possunt. Obedientia enim virtus est; pœna autem propter inobedientiam infligitur.*

In quarta thesi dicis, offerentem justificationis causam ex parte Dei esse verbum & sacramenta; apprehendentem ex parte nostri esse fidem. *Per sacramenta nobis offerri justificationem, (nisi quatenus pars sint officii nostri, quo pacto & per fidem nobis justificatio offertur) nuspiam testatur Scriptura. Per verbum autem justificatio non aliter*

nobis offertur, quàm quatenus nobis ſub certa conditione à Deo promittitur, nempe, ſi & promiſſioni iſti firmiter credamus, & illius cauſa peccatis impoſterum valedicamus, novamq́ vitam divinis præceptis conformem inſtituamus, quod cùm facimus, vivam fidem habere dicimur. Hinc verò apparet, quàm fallax ſit iſta veſtra fides, quæ non feratur in ipſam promiſſionem juſtificationis, eiq́ acquieſcat, ſed in Chriſti meritum & ſatisfactionem. Scire equidem vellem, quo pacto homines ab initio Evangelii fidem ſalvificam habere potuerint, atq́ adeò ipſi Chriſti diſcipuli, qui Chriſtum moriturum non putabant, tantum abeſt, ut eum morte ſua Deo ſatisfacturum crederent? Quid aliud tùm à Chriſto audiebant, quàm promiſſum remiſſionis peccatorum, appropinquantis regni cœlorum, & præceptum pœnitentiæ, ſub quo alia omnia comprehenduntur pietatis præcepta? Patet etiam, quàm ineptè Meiſnerus fidem vocet cauſam inſtrumentalem, qua juſtificationem apprehendamus & recipiamus. Fide enim, ſeu per fidem, juſtificationem à Deo conſequimur, non verò eo pacto, quo Meiſnerus vult, apprehendimus: ſed promiſſionem potiùs juſtificationis, ſi ita placet, fide apprehendimus ac recipimus. Patet deniq́, quàm falsò (qui error ex priore conſequitur) fidem, quà virtus aut opus eſt, juſtificare neget, ſed tantùm quâ juſtificationem apprehendat & recipiat. Quid magis perverſum, & ſacris literis adverſum dici potuit? Parum vobis fuerat, omnes reliquas virtutes & pia opera à comparanda nobis

salute excludere, nisi etiam ipsam in Deum fidem, virtutum omnium matrem atq; reginam, de suo solio deturbatam, tam fœdâ ignominiâ notâßetis. Cur igitur tantis laudibus ac præconiis in sacris literis celebratur; si ea parte, quâ virtus est, id est, quâ omnem laudem commendationemq; meretur, nihil ad Dei gratiam justificationemq; comparandam conducit? nec enim accipere beneficia, sed dare, in rebus præclaris & laude dignis reputatur. Quid? etiam insulsa planè, & sibi ipsi repugnans est hæc vestra sententia. Aut enim fidem instar manus eße vultis, qua munus apprehendimus; aut ipsam apprehensionem muneris; aut ejus dationem; aut deniq; adeptionem. Si primum, utiq; fides, quà est id quod est, nempe virtus & bonum opus, justificationis causa erit, non secùs ac manus, quâ manus est, causa est accepti beneficii. Si secundum, fides justificabit quà est opus, cùm apprehensio muneris sit opus. Si tertium, non in nobis, sed in Deo fides habebit locum. Si deniq; quartum, fides non officium nostrum erit, sed præmium.

Quid autem ad rem faciunt ista, quæ citas, Scripturæ dicta, Ioh.1.12. Gal.3.27? In quorum priore dicuntur quidam Christum recepiße; in posteriore dicuntur illi, qui baptizati sunt, Christum induiße? Num Christum induere, aut recipere, significat vel meritum ejus, vel gratiam per meritum partam apprehendere, & sibi applicare? At hoc tibi non concedet nisi qui fidem eo modo, quo vos, perversè prorsus intelligit. Fidem enim non tanquam conditionem adipiscendæ

dipiscendæ justificationis consideratis; sed tanquam instrumentum, vel manum, qua justificationem jam existentem & paratam apprehendamus, & recipiamus, quasi justificatio reipsa jam extet, antequam nos credamus, & ad Deum convertamur. Fidem ergo nostram justificatione posteriorem facitis; & sic non tantùm bona opera, sed etiam fidem ipsam, à comparanda nobis justificatione excluditis.

Nullum munus, *inquis*, prodesse potest, nisi accipiatur. Hinc fide opus est, si hujus gratiæ (*id est, justificationis*) participes reddi volumus. *At, fide munus aliquod accipi quis unquam audivit? Apage cum tali muneris acceptione, quæ fiat credendo. Quid enim opus est me credere quod accipio? Munus ergo verè accipere, & illud fide accipere, pugnantia sunt. Porrò munus istud, quod credendo à nobis accipi vultis, tale est, ut nec accipi eo pacto, quo vultis, à quoquam possit; nec, si posset, ut hoc pacto acciperetur, quidquam opus esset. Quomodo enim justificatio, quæ in nuda Dei ipsius circa nos actione ejusque effectu consistit, tanquam res aliqua subsistens à nobis accipi & apprehendi potest?* Num *justificatio similis pecuniæ est, quæ ab uno ad alium transferri queat?* Quid *verò opus est ut accipiatur, cùm eo ipso, dum nos Deus justificat, id est, liberos à peccatorum reatu aut pœnis facit, justificatio jam nostra sit, seu illius acceptio in ipsa datione, ut ita dicam, consistat?* Sed *demus, illud & posse, & debere isto, quo vultis, pacto accipi; num id credendo fiet? At si justificatus jã sum,*

quid opus est, ut id credam? Si verò non sum, quomodò me justificatum esse credere debeo?

Fides, qua verè justificamur, Meisnere, non rem circa nos peractam respicit; sed futuram: nec rei ipsius apprehensio est; sed promissionis: nec promissionis absolutæ; sed conditionatæ. Vnde etiam non nuda debet esse promissionis apprehensio; sed efficax, & cum conditionis præstatione, ut sic dicam, conjuncta. Quàm levi labore velletis defungi, Meisnere, & exerta tantùm manu justificationis præmium, alienis meritis ac sudore partum, capere! Non adeò in proclivi, ut putatis, sita est justitiæ illa corona. Certandum est, currendum est, sudandum est, abjicienda sunt omnia peccata, crucifigenda caro cum affectibus & cupiditatibus, imitandus est Christus, imitandus est Paulus, si quis in illa cœlestis vocationis meta consistere, & illud immortalis vitæ brabeum referre desideret.

Ais, fidem esse fiducialem meriti Christi apprehensionem, qua ejus obedientiam pro hominibus præstitam non tantùm in genere credimus, sed nobis etiam in specie, & cum certa fiducia applicamus. *Atqui, Meisnere, qui in genere firmiter credit, Christum pro omnibus hominibus obedientiam præstitisse, illis & salutem promeritum esse, & ipsorum debita penitus dissolvisse: fieri non potest, quin simul etiam credat, istud idem ad se quoque pertinere. Imò prior illa fides est longè, quàm hæc posterior, major & plenior, quippe quæ posteriorem istam, tanquam totum partem, prorsus includat.*

An ve-

An verò ista fides verè sit fides, aut fiducia, infrà, cùm de fide agemus, videbimus. In Evangelio, ut hîc scribis, revelatum id esse, quod vos credendum esse dicitis, falsum est. Quocirca ista vestra fides admodum est infida, quæ in id tendit ac dirigitur, quod non tantùm in Evangelio revelatum non est, sed etiam cujus contrarium est revelatum.

In quinta thesi explicat causam justificationis formalem, quam dicit esse peccatorum remissionem propter Christi meritum: *quod dum dicit, ipse sibi contradicit. Vbi enim est meritum, & solutio plena, ibi remissioni nullus est locus. Non simpliciter autem dicit, propter Christi meritum, sed* fide apprehensum, & sic nobis imputatum. *Quid vero ista apprehensione opus est, si debita jam penitus sunt dissoluta? Num ista apprehensio vim solutioni aut pretio ullam conciliat? Parum refert, ut solutionem nos apprehendamus, dummodo creditor eam apprehendat.*

Peccator est filius iræ, inimicus Deo, reus æternæ damnationis. *Ita est, quandiu in peccatis manet, nec ea relinquit.* Ab his pœnis, agendo & patiendo liberavit nos Christus. *Fateor: sed non merendo, nec satisfaciendo, eo quo vobis placet sensu. Quæ de acceptione muneris hîc dicit, ad ea paulò antè responsum est.*

Ais, hominem, quando vult justificari & absolvi à pœnis, quas per peccata meruit, tùm bona opera interponere non posse, quum nul-

la habeat; & si quæ habeat imperfecta sint, & aliàs debita. *Falsum est, hominem, qui justificari velit, bona opera interponere non posse. imò non debere.* *At* nulla habet, *inquis. Si nulla habet, nec justificabitur. Iustificatio enim nec incipit sine fide ac pœnitentia; nec durat sine fidei pœnitentiæq́; fructibus atque effectis.* *At* imperfecta sunt. *Quid tùm, quando Deus pro ineffabili sua benignitate iis vult esse contentus?* Aliàs sunt, *inquis*, debita. *Imò verò non alio fine debentur, quàm ut à peccatorum pœnis liberi simus. Licèt autem nemo perfecta opera interponere, nec Deo pro peccatis suis, nisi æterna damnatione, satisfacere inq́; ipsius judicio consistere queat; falsum tamen est quod addis*, clamare Scripturam, necesse esse, ut λύτρον illud infinitum & æquivalens Christi mediatoris homo apprehendat, & sic, illi merito Christi imputato, justificetur, & à pœnis absolvatur. *Clamat enim Scriptura, nos non ullis meritis, sed solâ Dei gratiâ & clementiâ justificari atque salvari, interveniente nostra fide et pœnitentiâ, seu, ut Apostolus loquitur*, per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti, *quod nihil aliud est, quàm vitâ novâ, & à peccatorum sordibus repurgatâ. Ideo etiam hæc asseverari vult Apostolus*, ut curent bonis operibus præstare, qui crediderunt Deo. Hæc, *inquit*, sunt bona & hominibus utilia. λύτρον *illud, seu* redemtionis pretium, *quod Christus dedit, non ipsius sunt propriè vel facta, vel perpessiones, sed ipsius est anima,*

vel ille

vel ille ipse. qui eatenus se dedit, quatenus seipsum in mortem impendit, & animam suam profudit: non ut verè pœnas peccatis nostris debitas subiret, quas non subiit, nec subire debuit, imò nec potuit; sed ut nos ex servitute peccati & mortis æternæ liberaret. Nec istud pretium Deo dedit: sed Deus id dedit, & per illud nos sibi emit, & ex Diaboli peccatiq́ servitute ereptos in libertatem vindicavit. Christi autem facta & perpessiones esse infinitum quidpiam, & æquivalens debitæ ab omnibus obedientiæ & pœnæ manifestæ falsitatis est. Debere nos etiam istud λύτρον, seu Christi meritum ita apprehendere, ut meritum istud infinitum, & tum officio nostrûm omnium, tum pœnæ æquivalens credamus; tam hoc verum est, quàm meritum istud in rerum natura extare: quod licèt extaret, non magis nostrum credendo, quàm non credendo fieret. Unde porrò imputatio istius meriti jam per se ruit, & tandem etiam, quæ per istam meriti imputationem contingat, justificatio.

Hæc autem omnia, quæ dixisti de isto λύτρῳ, de illius apprehensione per fidem, imputatione, justificationeq́ inde profecta, Apostolum complexum esse aureo illo aphorismo Rom. 3. ver. 24. justificati gratis, ipsius gratiâ, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu; *tam falsum est, quàm iste aphorismus verè aureus est. Quomodo enim hoc dicto justificationem, quæ per plenam solutionem satisfactionemq́ fiat, complecti potuit Apostolus, in quo apertè dicit, nos justificari* gratis? *Quomodo alieno merito,*

si propriâ Dei gratiâ? *An quia in illo fiat mentio re*demtionis in Christo Iesu? *At cur redemtionem istam non sic explicas, ut cum gratuita justificatione possit consistere? cur propter redemtionem tollis gratiam? Atqui ista redemtio, teste eodem Paulo*, peccatorum est remissio, *Ephes.* 1. 7. *Coloß.* 1. 14. *Num ergo peccatorum nostrorum solutio, eaq; plena, intervenit, ut consequeretur eorum remissio? Quis talem remissionem fando audivit unquam? Hæc peccatorum remissio, quia & ingentem liberationem continet, nimirum ab obligatione & reatu æternæ mortis, & liberationem talem, quæ magno impendio constiterit, fusione nempe sangvinis Filii Dei, propterea merito redemtio vocatur. Impendium autem istud non eum in finem factum est, ut Deo pœnas Christus pro nobis propriè loquendo penderet: sed longè alias ob causas, propter quas sapientissimo Dei consilio peccatorum remissio sine Christi sangvine nobis non debuit contingere. qua de re alius erit disserendi locus.*

In sexta thesi dicit, justificationem nostri duo complecti: absolutionem à pœna, & acceptationem in gratiam ad vitam æternam. *Illam nobis contingere dicit, dum* imputatur nobis passio & satisfactio Christi: *hanc* per imputationem obedientiæ Christi Legi præstitæ. *At verò, Meisnere, si Christi justitia nobis imputatur, quid opus est, ut imputetur satisfactio pro pœna? Et vicissim, si imputatur satisfactio pro pœna, quâ omnia nostra peccata, & commissionis, & omissionis, ablata*

sunt,

sunt, quid opus est ut imputetur justitia? Annon alterutra imputatio prorsus sufficit; imò altera alteram perimit?

In septima thesi agit de fine justificationis, & ait, Deum & justitiam & misericordiam luculentè in ea manifestâsse. *Imò verò nec justitiam, nec misericordiam manifestavit, si vera est vestra sententia. Non justitiam, quia innocentem propriè punivit. Innocens autem nonisi injuriâ puniri potest: nec misericordiam, quia jure suo non cessit, sed totum jus suum persecutus est. Locus Rom. 3. 25. huc non pertinet.*

Expositâ suâ de justificatione sententiâ, quæ, ut vidimus, meris contradictionibus referta est, ostendere conatur, eam bonorum operum studium non impedire, sed promovere. 1. Ex gratia justificamur, *inquit*, ideoq; grati simus, & Deo pareamus, ne illa gratia excutiatur. *At quomodo ex gratia justificamur, si Deo plenè satisfactum est, nec is vel tantillum de jure suo remisit? Et ut ex gratia justificemur, quomodo ista gratia ingratitudine & inobedientiâ excuti poterit, si pro ea satisfactum sit?* Nonne *si ego Christi meritum firma fide apprehendero, Christi meritum mihi imputabitur? An verò Christi meritum non erit instar omnis meæ gratitudinis & obedientiæ, imò infinitis partibus majus? Quodsi tamen gratus à nobis animus, & ut Deo pareamus, requiritur, quo pacto sola meriti Christi apprehensione & imputatione justificabimur?*

2. Propter Christi meritum & satisfactionem justificamur. Quare abstinendum erit à flagitiis, quum tam caro pretio constiterit nostra redemtio, & pro peccatis satisfactio, quæ ipsa si cumulentur, Christus denuo crucifigitur. *Si propter meritum & satisfactionem Christi justificamur, & jam Deo plenè persolutum est, quod ei à nobis debebatur, quid adhuc nos pietate & bonis operibus maceremus? Iam nec Deus nos jure punire, nec ab æterna vita jure excludere potest.* Caro pretio constitit nostra redemtio, & pro peccatis satisfactio: *tantò meliùs. Non enim nobis libertas, & à peccatorum pœnis immunitas eripi, aut denegari ullo pacto poterit. Sed* Christus iterum crucifigitur, si nos flagitia cumulemus. *Atqui etiam pro hoc ipso satisfactum plenissimè est, & ego, apprehensâ per fidem Christi justitiâ, censebor nihilominus esse justissimus.*

3. Per fidem justificamur: sed per veram; non hypocriticam: per vivam; non mortuam. Vera autem & viva non est, nisi per charitatem efficax, & cum pietatis studio conjuncta sit. *Si ita se res habet, Meisnere, ergo ad justificationem adipiscendam necessaria est* charitas, & pietatis studium. *Ita est, inquies: sed non tanquam salutis ac justificationis adipiscendæ causa & conditio; verùm tanquam necessarium fidei consequens. Atqui, Meisnere, implicat hoc contradictionem, statuere charitatem & pietatis studium, fidei necessarium*

consequens

consequens, si charitas & pietatis studium non simul statuatur esse conditio & caussa adipiscendæ salutis. Nulla enim alia ratione fides sincera charitatem & verum pietatis studium in nobis excitare & producere potest, quàm si credamus, nos sine charitate & pietate justificatum non iri; si verò eâ præditi fuerimus, justificatum iri, & vitam æternam adepturos esse. Hoc nisi credamus, fides, quæcunque tandem cogitari potest, charitatem & veram ac solidam pietatem in nobis non pariet. Iam verò istud credere, quid aliud est, quàm charitatem & pietatis studium pro conditione & causa adipiscendæ salutis agnoscere? Ista porrò vestra fides adeò est à producenda sincera charitate & pietate aliena, ut, si vera & viva fides non est, nisi quæ per charitatem efficax, & cum studio pietatis conjuncta sit, ista vestra fides vera & viva fides esse non possit. Quid enim cum pietate & vera vitæ sanctimonia commune habet, credere Christum pro omnibus peccatis tuis, & præteritis, & futuris plenè satisfecisse, tibiq; obedientiâ suâ vitam æternam ita promeritum esse, ut tua pietas & obedientia ad iustificationis adeptionem nihil planè conferat, illud solum firmiter credere satis superq; sit? Explica, quæso, Meisnere inter hanc fidem, & ardens pietatis studium, necessarium ac indissolubilem nexum. An non potiùs ista fides sic est comparata, ut pietatis studium, si non penitus tollat, saltem valde solvat & debilitet? Aut ergo, Meisnere, dicere non debes, nos fide justificari vivâ, per charitatem efficaci, cum studio

pietatis,

pietatis,eoq; serio,non oscitante,coniuncta;aut fidem istam tuam debes abiicere. Adde,quòd,si id agnoscis, nos per fidem non mortuam, sed vivam iustificari; agnoscere etiam debeas,nos non sola fide ab omnibus operibus seiuncta, sed cum operibus coniuncta,iustificari. Iacobus enim,cuius solius hæc phrasis est, fidem mortuam *eam intelligit, quæ nobis nihil prodest, nec iustificandi ullam vim habet, adeò ut cùm dicat,* fidem sine operibus esse mortuam, *nihil aliud sibi velit, quàm fidem sine operibus non iustificare. Ideo exemplis allatis ostendit, hominem non tantùm fide,sed etiam operibus iustificari, & tandem, argumentum hoc concludens,addit:* Quemadmodum enim corpus sine spiritu mortuum est,sic fides sine operibus mortua est. *Quodsi ergo bona opera fidei animam,vitam,id est,vim iustificandi largiuntur; profectò non magis à producenda iustificatione excludi possunt, quàm spiritus hominis ab humanarum actionum effectione atque caussa.*

4. Iustificatio est peccatorum remissio, & in gratiam Dei acceptatio, quæ cum mortalibus & regnantibus peccatis consistere nequit. Hæc si denuo committas,mox gratiam Dei,& concessam veniam amittes, & æternæ damnationis reatum attrahes. *Videmini, Meisnere, sæpè nihil pensi habere, etiamsi vobis ipsis contradicatis. Si enim peccatorum remissio cum peccatis mortalibus & regnantibus consistere nequit, sic ut eam peccata ista tollant; annon vicissim ab istis peccatis abstinen-*

tia,

tia, eorumq́ꝫ fuga, ad peccatorum remiſſionem, ſi non parandam, ſaltem perpetuò conſervandam ac perficiendam pertinebit? Contrariorum enim contraria ſunt effecta. Et, ſi ſola fides ab operibus ſejuncta ab amiſſione gratiæ divinæ nos tueri non poterit, quomodo ſola ſine bonis operibus nos ſervabit? Quodſi autem ſola fides, qua meritum Chriſti apprehendimus, ſine bonorum operum auxilio nos ſervat; quomodo dicere potes, peccatis regnantibus & mortalibus gratiam divinam amitti? Adde, quòd peccata regnantia & mortalia tibi ſint quivis actus vitioſi non prorſus involuntarii, ut alibi vidimus. Num ergo toties remiſſione peccatorum excidimus, quoties actum talem committimus? Vultis autem illos creberrimè ab unoquoqꝫ committi. Quomodo igitur amiſſam gratiam recuperamus? Apprehenſione meriti Chriſti. Quid igitur attinet, ſive ego gratiam iſtam amittam, ſive non amittam, id eſt, ſive peccem, ſive non peccem, dummodo meriti Chriſti apprehenſione divinam gratiam & peccatorum veniam recuperare ſemper poſſim?

5. Iuſtificamur, ut glorificetur Pater noſter cœleſtis, quod fieri nequit abſq; bonis operibus: &, ut pacem habeamus in conſcientia, quæ nulla eſt, ubi peccata regnant. *Peccata ergo relinquemus, non juſtificationis cauſa, ſed ut glorificetur Pater, utq́ꝫ pacem habeamus in conſcientia.* Iuſtificationis iſti ſunt fines, *inquis. Quid tùm? At poſſunt etiam eſſe, reveraq́ꝫ ſunt, bonorum operum*

perum fines. Immediatè, *inquies,* & necessariò ex justificatione consequuntur. *Aut ergo fines isti sine bonis operibus esse possunt; aut justificatio sine iis esse non potest. Si prius, nihil concludet Meisnerus, & sibi ipsi contradicet. Si posterius, aut bona opera inter causas & conditiones aliquas justificationis numeranda sunt; aut non sunt. Si sunt; habemus quod volumus. Si non sunt; quo nexu cum justificatione cohærebunt, ita ut ea justificatio indissolubili vinculo secum trahat, necessarioq; in nobis producat? Adde, quòd si per se ad glorificationem Dei & pacem conscientiæ nostræ requiruntur bona opera, etiam ad justificationem per se, non ex accidenti, requirentur: siquidem justificationis isti sunt immediati ac necessarii fines. Miror autem, quo pacto Meisnerus, si placitis suis consentanea loqui velit, dicere sit ausus, conscientiæ pacem nullam esse, ubi regnant peccata? Num ergo conscientiam vel maximè regnantibus peccatis pacare non poterunt Christi merita? num ad salutem satis non erit, illa tanquam sacram anchoram apprehendere? Adeòne in Christi meritum injurius es, ut in illo majorem vim non agnoscas ad pacandam conscientiam, quàm in quibusvis peccatis ad turbandam? Porrò glorificatio ista Patris nostri cœlestis, de qua loquitur Christus Math. 5. 16, cujus verba hîc citat Meisnerus, nihil pertinet ad justificationem nostram: quippe quæ non ex justificatione nostra oriatur, sed ex bonis nostris operibus ab aliis hominibus conspectis, & per illa ut Deum glorificent incitatis.*

ratis. Vnde apparet, quàm malè argumentetur ab hac glorificatione Dei ad illã, quæ ex justificatione nostra oritur: cùm illa non à nobis ipsis, sed ab aliis; ista verò non ab aliis, sed à nobis ipsis fiat, qui justificamur.

II. De bonis operibus.

DVo, *inquis*, doctrinæ nostræ capita recenset adversarius. *Si per istam doctrinam intelligis solam doctrinam de operibus, verum est, Socinum duo tantùm capita recensere: Sed si intelligis totam de justificatione doctrinam; non duo, sed quatuor illius capita recenset, quorum unumquodq; veræ pietatis studium impediat. 1.* Satisfactio & meritum Christi. 2. bonorum operum à causis justificationis exclusio. 3. bonorum operum extenuatio, *ita ut dicatis*, hominem Christi fide & spiritu præditum magis conari, quàm revera bene agere, *seu* conatum ejus ac piè vivendi studium effectu suo plerumq; carere. 4. *fidei*, qua sola justificamur, erronea explicatio. *Quæ doctrinæ vestræ capita ita sunt comparata, ut unumquodq; sigillatim, nedum omnia conjunctim, Christianæ pietatis studium vehementer impediant: adeò ut verissimè dixerit Socinus*, mirum videri posse, si quis illa amplexus vitam homine Christiano verè dignam ducat. *Verùm consideremus nunc ista duo doctrinæ vestræ de bonis operibus capita, secundum nempe & tertium, de reliquis duobus posthæc acturi.*

I. An

I. An bona opera sint justificationis & salutis nostræ causa?

CEnses igitur, *Meisnere*, bona opera ad nos justificandos nihil pertinere, nec ad id præstandum ullo modo concurrere. Quæ verò hic latet, *inquis*, falsitas, aut quæ absurditas? Annon Apostolus ipse perpetuò opponit Legem & Evangelium, fidem & opera, gratiam & meritum? *Opponit quidem ista Paulus, Meisnere, sed non eo pacto, quo tibi visum est; non quatenus Lex quidem opera requisiverit ad justificationem, Evangelium autem nulla requirat; sed quatenus Lex perfecta requisiverit opera, sic ut eorum vi ac merito quispiam justificari debuerit; Evangelium autem talibus operibus contentum sit, qualia vera fides in Christum, & spes immortalis vitæ, in unoquoq; producere queat, nempe, ut secundùm spiritum, non secundùm carnem ambulet. Hoc ergo pacto fides & opera apud Paulum opponuntur. Quòd verò* gratiam & meritum *similiter opponi dicas, hoc nos non ferit, sed teipsum. Neq; enim nos dicimus, ad justificationem requiri meritum, qui unà cum Pauló opera, quorum vi ac merito justificemur, excludamus: Sed tu meritum justificationis nostræ causam unicam esse statuis. Licèt enim non nostrum meritum id esse dicas, sed alienum; non minùs tamen alienum, quàm nostrum cum divina gratia pugnat, eamq; tollit.*

Annon, *inquis*, docet Paulus, quòd justifi-

cemur ſine operibus legis, quum alias gratia non ſit gratia? *Rectiſſimè. Opera legis excludi debent à juſtificatione. Qualia autem opera lex requirebat?* Qui fecerit ea, homo vivet in eis. *&*, maledictus omnis, qui non manſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis. *Ex his enim ipſius legis verbis patet, requiri in ea ab hominibus, ſi juſtificari & maledictionem effugere velint, ne ullum Legis mandatum unquam tranſgrediantur. Itaq; perpetua, nec ullo peccato interrupta toto vitæ tempore obedientia, ſunt legis opera. Hæc ſub Evangelio ad juſtificationem non requiruntur, ſed requiruntur opera fidei, ut ſi dicam. Atq; hoc, non alio pacto, Iacobus cum Paulo conciliari debet, cùm ille nos ex operibus, non ex fide tantùm, juſtificari dicit; hic verò fide, ſine operibus. Iacobus enim non legem, ſed mores vitioſos; Paulus autem non hos, ſed Legem ejusq; rigorem oppugnabat. Itaq; ille de operibus, qualia in Chriſtianis requiruntur; hic verò qualia in lege requirebantur agit. Imò tu ipſe indicas, Paulum de operibus plenis ac meritoriis agere, cùm eis gratiam opponas. Gratia enim non aliis, quàm talibus opponi poteſt; & iſta tantùm efficiunt, ne gratia ſit gratia.*

Neq; hîc, *inquis*, valent ullæ operum diſtinctiones, quia perpetua eſt apud Paulum oppoſitio; non ex lege, non ex operibus, non operando; ſed ex Evangelio, per fidem, credendo juſtificamur. *Adhibendam hîc eſſe operum diſtinctionem, ipſe Paulus docuit, qui ſe de operibus* legis

loqui aßerit, qui opera, gratiæ *opponat, qui* operanti *mercedem secundùm debitum dari, non secundùm gratiam imputari aßerit, qui credentem, ac proinde multis bonis operibus ornatum nihilominus* operanti *opponit, imò ei* opera *denegat. Docet ipse scopus Pauli, qui non id ostendere vult, ad justificationem non requiri, ut piè in posterum vivamus, ut peccato moriamur, ut secundùm spiritum ambulemus: hoc enim Pauli doctrinæ penitus repugnaret: sed non requiri id, quod requirebat Lex. Itaq; ad intelligendam Pauli mentem nulla alia re opus est, quàm ut sciamus, quid Lex ab hominibus justificandis requisiverit: hoc autem non erat, ut illi, etiamsi antehac graviter peccaßent, imò & impii fuißent, Deo in posterum crederent, &, quantum ista fide consequi possent, obedirent, atq; à peccatis desisterent; sed, ut jam dictum & ostensum est, ne ullum unquam legis mandatum transgrederentur. Inde factum est, ut Paulus Abrahamum ex operibus justificatum fuiße neget; Iacobus autem aßerat: nempe, quia ille opera intellexit, quæ gloriationi dant locum, id est, justificationem merentur; hic vero ea, quæ ex fide Abrahami profecta fuerunt, quorum erat maximum & prorsus singulare, quòd Isaacum obtulerit. Adde, quòd si Paulus quævis bona opera à justificationis causis excluderet; non tantùm universæ doctrinæ Christianæ, quæ secundùm pietatem est, eamq; unicè urget ac promovet, sed etiam sibi ipsi adversaretur: quippe qui in hac ipsa epistola doceat, nos,* si peccato serviamus, morituros, si justitiæ, victuros. *quomodo*

ergo justitia & obedientia non erit conditio adipiscendæ salutis? Etsi conditio, etiam causa? Ait Paulus, nullam esse condemnationem iis, qui in Christo Iesu non secundum carnem, sed secundum spiritum ambulant, impleri in illis justificationem legis: *Iam quo pacto non secundùm carnem, sed secundùm spiritum ambulare non erit causa & medium evitandæ condemnationis, & adipiscendæ justificationis? Ait, nos,* si secundum carnem vixerimus, morituros, si vero spiritu actiones carnis mortificaverimus, victuros; *& tamen, quemadmodum secundum carnem vivere mortis, sic spiritu actiones carnis mortificare vitæ non erit causa? Quid ego hîc plura vel ipsius Pauli, qui alibi pietatem habere promissionem & præsentis & futuræ vitæ, istumq; sermonem fidelem esse, & omni receptione dignum asserit, vel totius scripturæ dicta recenseam, quæ docent, nos propter justitiam & obedientiam Deo sic gratos & acceptos esse, ut nos justificet, peccataq; nobis remittat, & vitam æternam nobis daturus sit? Vix ulla est in sacris literis pagina, in qua hoc scriptum non occurrat. Annon Christus secundum uniuscuiusq; opera judicaturus est? annon ipse bona opera, & inprimis opera charitatis pro causa æternæ piorum felicitatis commemoraturum se dicit? Et profectò quid est, quod magis hominem Deo commendare, & gratum efficere possit, quàm si non solùm ipsius promissis firmiter credat, in quo fides est; sed etiam sic ei confidat, sic ex eo pendeat, ut ei se regendum ac gu-*

bernandum tradat, totusq; in eo ſit, ne ipſum ullo peccato offendat? in quo bona opera ſunt: ut qui hoc negent, non tantùm ſacras literas, ſed ipſam rerum naturam quodammodo inverſum ire videantur.

Ratio, quam affers, diſtinctionem operum nullum hic locum habere, quia apud Paulum perpetua eſt operum & fidei oppoſitio, falſa eſt, ſi quævis opera intelligas; caſſa, imò tibi contraria, ſi tantùm certa. Falſam autem eſſe, ſi quævis opera intelligantur, ex ſuperioribus patet, cùm alibi, ut vidimus, ea dicat, quæ oſtendunt, nos per opera iuſtificari, & ſervari. quale & illud eſt, cùm docet, in Chriſto Ieſu nihil valere, niſi obſervationem mandatorum Dei; niſi novam creaturam; niſi fidem, *ſed* per charitatem efficacem, *hoc eſt, cum charitate & bonis operibus coniunctam. Vnde etiam apparet, Paulum, cùm ſolam fidem nominat, eiq; juſtificationem tribuit, ſic eam accipere, ut ejus effecta includat, non ſecus ac cùm dicimus, arborem vel agrum hominem alere. Non enim ſola arbor ſine fructu, ager ſine proventu hominem alit, ſed quatenus fructus & ſegetes producit; ſic fides, quatenus ex ſe uberrimam fructuum juſtitiæ meſſem profundit, nos ſervat & juſtificat.*

Reſponſurus ad noſtram rationem, quòd, ſi bona opera ex cauſis juſtificationis excludantur, ſtudium bonorum operum hac ratione inhibeatur, ais, antiquam hanc eſſe cantilenam, ipſis Apoſtolis objectam, *Rom. 6. v. 1. Vnde potiùs concludi vis,* veſtram iſtam doctrinam eſſe Apoſtolicam, noſtram

noſtram verò hæreticam. *Verum quidem eſt, Meiſnere, hoc illis fuiße objectum, ſed alia ex cauſa & occaſione; quemadmodum ipſa Pauli verba, quæ citas, indicant, nempe ex eo, quòd docuerint,* hominem juſtificari ex Dei gratia, non verò ex operum meritis. *Hinc enim inferebant iſti,* manendum eſſe in peccato, ut gratia abundet, quanto enim abundantiora fuerint peccata, tanto quoq; abundantiorem fore gratiam: *quod ſanè immeritò illis eſt objectum. non enim illi tantam gratiam in juſtificandis hominibus eße ſtatuebant, ut illis inpoſterum liceret in peccatis manere, ſed certis limitibus circumſcriptam, nempe ſi, quemadmodum in baptiſmo teſtati ſunt, & per eum repræſentaverunt, peccatis moriantur, & cum Chriſto reſurgentes in novitate vitæ ambulent, quemadmodum Apoſtolus huic objectioni reſpondens toto ſexto capite docet. Vnde tantum abeſt, ut iſta gratia hominibus occaſionem præbeat ulterius peccandi, ut potiùs eos à peccatis omni ratione arceat: tum quatenus vident, Deum ſummo cum ipſis jure non agere, ſed pro ingenti ſua miſericordia, & præterita omnia peccata ac ſcelera, quæcunq; tandem ab illis commißa ſint, & lapſus, ſi qui in poſterum ex infirmitate contigerint, ipſis remittere: tum quatenus nihilominus agnoſcunt, id à ſe requiri, ut à peccatis deſiſtant, & mores ex Chriſti doctrina, quæ nil niſi ſuaviſſima charitatis lex eſt, inpoſterum emendent, idq; non tantùm ſub ſpe remiſſionis peccatorum, ſed etiam adipiſcendæ æternæ vitæ.*

Nam & hoc sub gratia ista vel inprimis includi debet. Quis enim rigorem illum legis sublatum videns, summamq; Dei in justificandis hominibus æquitatem ac misericordiam agnoscens, tanto obstrictus beneficio, tantoq; insuper præmio proposito, non totis viribus enitatur, ut peccati jugum excutiat? Unde jure meritoq; Paulus hanc objectionem retorquet in adversarios, & docet, Ideo nos peccare amplius non debere, quòd non simus sub lege, sed sub gratia: *tantum abest, ut gratia ista Evangelica pietatem tollat, & peccandi licentiam inducat. Hinc etiam tertio capite docuit, Legem, id est, legis observationem non tolli per fidem, seu per doctrinam fidei, sed stabiliri.*

Nullum igitur, Meisnere, causæ tuæ præsidium hinc sumere potes, quòd Apostolis istud idem fuerit objectum; quin potiùs, cùm videamus, hoc eis non fuisse objectum ex hac causa & occasione, quòd bona opera à causis justificationis nostræ excluserint, hinc concludi debet, Apostolos istud nunquam docuisse. Quomodo enim illis ideo potius objectum hoc non fuisset? adde, quòd ex ipsa Pauli responsione manifestum sit, eum à concilianda nobis justificatione bona opera non exclusisse. Hinc fit, ut istud Apostolicæ quidem doctrinæ immeritò fuerit objectum, vestræ autem jure ac meritò. Nam si bona opera nihil prorsus faciunt ad id, ut nos Deus justificet, & æternam vitam nobis largiatur, fieri nulla ratione potest, quin eorum studium mirificè inhibeatur & relanguescat.

Quid

Quid enim magis homines ad bona opera incitat, & ardentiores in studio pietatis facit, quàm spes immortalis vitæ? Qui *enim* hanc spem habet, *ut Iohannes scribit,* purificat seipsum, quemadmodum Deus purus est. *At si bona opera nihil nos in adipiscenda æterna vita juvant, quid illius spes ad productionem bonorum operum conferet? Spes enim nonnisi earum rerum studium in hominibus producit, quæ ad rem speratam consequendam faciunt, & illius consequendæ causa sunt.*

Quocirca nihil te juvat distinctio tua, inter id, quod est per se, & inter id, quod est per accidens. *Non enim ex accidenti, & propter hominum abusum, istud ex doctrina vestra consequitur, ut studium bonorum operum inhibeatur, sed planè per se: nec alius istius doctrinæ vestræ usus esse potest, quàm iste. Neque tu ostendis, quomodo istud ex accidenti tantùm, & propter hominum abusum ex doctrina vestra sequatur. Tantùm dicis,* multos doctrinâ Christianâ offensos illáq; abusos fuisse, nec ullum reperiri cœtum, in quo non verbum Dei vitio hominum sic fiat infrugiferum, ut apud quartam duntaxat partem fructificet. *Novimus Christi doctrinâ multos fuisse abusos, cùm hujus rei documenta etiam hodierno tempore extent innumera; & vestra de justificatione doctrina nihil aliud sit, quàm merus quorundam Scripturæ, præsertim Pauli dictorum (quæ etiam Petri Apostoli tempore, ab hominibus Christianæ disciplinæ non be-*

nè gnaris, nec satis in ea confirmatis, pervertebantur,) abusus: Sed negamus, eum istâ vestrâ doctrinâ abuti, qui ejus vi segnior in studio pietatis efficitur. Segnities enim in pietate tam sequitur suâ naturâ istam doctrinam, quàm umbra corpus. Quòd verò Christi doctrina apud pauciores multò fructificet, quàm illi sunt, apud quos non fructificat, istud, ut ipse Christus docuit, non fit doctrinæ vitio, quæ eadem omnibus proponitur, sed hominum, qui non omnes sunt bonum illud solum. Verùm cùm ista doctrina vestra spargitur, malum, non bonum semen spargitur, quod suâ naturâ non tantùm malum hominem meliorem reddere nequeat, sed etiam bonum, & alioquin à pietatis studio non alienum, corrumpere possit.

Quia videt Meisnerus, maximam bonorum operum tolli causam, si dicantur nihil pertinere ad comparandam nobis justificationem & salutem, conatur nobis alias adferre causas, quæ nos ad bona opera solicitent. Propter Deum, inquis, propter Christum, propter Spiritum sanctum, propter Angelos, propter proximum, propter nos ipsos, propter Diabolos piè vivendum est. Nihil agis, Meisnere, licèt non superos tantùm, sed & Acheronta moveas. Homines sumus, qui nisi ingentibus præmiis propositis ad pietatem, præsertim talem, qualem Christus præscripsit, invitemur, non facilè pareamus. Ideo Deus vitæ immortalis præmium, quo nullum majus & amplius cogitari potest, nobis per Christum proposuit, ut ejus amore ac desiderio capti,

Christi

Chriſti jugo ſubdamus colla, & ejus ſanctiſſima præcepta ardenti ſtudio exequamur. At verò ſi conſtet, pietatem adeò carni gravem & moleſtam, ne tantillum quidem ad ſalutem & immortalitatem conferre, ſed eam alia ratione comparari non tantùm poſſe, verùm etiam debere, quis erit, quæſo, qui tantos labores & moleſtias, quibus nullæ graviores cogitari poſſunt, exantlare volet? Num *navigabit, num longinqua itinera ſuſcipiet, num innumera pericula ſubibit mercator, ſi ſciat, ſe hac ratione ne uno quidem obulo auctiorem futurum? aliam verò longè faciliorem magisq; expeditam eſſe rationem maximarum opum comparandarum? Paulus ipſe cur nullis parcebat laboribus? cur tantum certamen quotidie ſuſtinebat?* In hoc, *inquit ipſe,* & laboramus, & probris afficimur, quia ſperavimus in Deo vivente, qui eſt ſervator omnium hominum, maximè fidelium. *Et alibi, quam cauſam affert, quòd ea omnia, quibus ſecundùm carnem tumere poterat, abjecerit, & pro ſordibus duxerit? nonne ut juſtificationis per fidem particeps fieret?* Cur *Chriſti morti configurari voluit? nonne ut reſurrectioni mortuorum occurreret?* Cur *tanto conatu in hoc pietatis ſtudio decurrebat, eorum, quæ à tergo jam reliquerat, oblitus, & ad ea, quæ adhuc facienda reſtabant, toto pectore porrectus? nonne propter illud ſupremæ vocationis* Dei *in* Chriſto Ieſu *brabeum?* Cur *omnia erat omnibus? cur abſtinebat ab omnibus? nonne propter illam incorruptibilem coronam? At*

quæ ista fuißet Pauli stultitia, propter salutem, justificationem, resurrectionem mortuorum, immortalis vitæ brabeum, & coronam incorruptibilem, tantis laboribus frangi ac fatigari, si nihil in iis ad ista comparanda situm erat? Profectò Christianam pietatem sublatum eunt, qui eam ad justificationem & salutem æternam comparandam nihil prodeße docere non erubescunt?

Propter Deum, *inquis*, piè vivendum est, qui mandavit & requirit. *Solum mandatum, Meisnere, exiguam vim habet, si alia ratione amplissima præmia peti possint.*

Propter Christum, qui redemit, cui servitia & obsequia debemus. *Debemus quidem; sed nemo libenter servit, nisi sciat, se non aliter, quàm servitiis & obsequiis suis mercedem adepturum. Tantò segniores autem in obeundis servitiis erimus, si Christum sic nos redemiße, ut Deo pro nobis plenissimè satisfecerit, credamus.*

Propter Spiritum sanctum, qui ad bona opera nos intus solicitat, & per mala expellitur. *Sed frustranea est ista solicitatio, nisi me etiam proprii commodi ex bonis operibus secuturi spes solicitaverit.* Malis operibus Spiritus sanctus expellitur. *Quid tum? si bonis operibus immortalis vita non comparatur; imò si ego malè agens, nihilominus immortalem vitam consequi poßum. Poßum autem, si Christi meritum fide firma apprehendam. Hoc verò me firmissimè tenere non tantùm non prohibent mala opera, sed potiùs, ut id faciam, invitant.*

Propter Angelos, qui gaudent probitate, fugantur impietate hominum. *Atqui, si Dei, & Christi, & Spiritus sancti causa homines bonis operibus exercendis totos sese non tradent, nisi illis immortalis vitæ præmium hac ratione sit constitutum, frustra, ut id Angelorum, Dæmonum, hominum causâ faciant, contendis.*

Sed videamus, quomodo propter nos ipsos *piè vivere debeamus. Homines enim omnia propter nos ipsos facimus, & præmiis ad virtutem invitari volumus. Ais ergò,* ut fidem ostendamus, exerceamus, & vitatis pœnis præmia impetremus. *Ista fidei ostensio & exercitium proculdubio sunt bona opera, seu fit per bona opera. nam alioquin nihil ad rem locutus esses. Iam quæro, num ista ostensio & exercitatio fidei prosit ad impetranda præmia, ut tu loqueris, nec ne? Si prodest, jam habemus quod volumus. Si non prodest, cur vitationem pœnarum, & præmiorum impetrationem pro fine illius constituis? num media non prosunt ad consequendum finem? Aut ergo hîc nihil dicis, Meisnere, si vitatio pœnarum, & impetratio præmiorum, bonorum operum finis à te non constituitur; aut tibi contradicis, si constituitur.*

Deniq; quia, cùm Diabolorum causa *vis ut piè vivamus, revera id nostri causa nos facere debere dicis; videamus, quid hîc nos ad bona opera adigat,* Ne in ipsorum retia incidamus, & sic in æternum pereamus. *In retia Diaboli incidere, nihil aliud est,*

liud est, quàm peccare. Vis ergo, ut bona opera exerceamus, ne in peccata incidamus? quod revera nihil aliud est, quàm nos debere bona opera exercere, ut bona opera exerceamus. Quid verò incommodi consequitur, Meisnere, si in peccata incidamus? Ne, *inquis,* in æternum pereamus. *Peccata ergo sunt causa æterni interitus & damnationis? Sic omnino statuis. Iam quomodo bona opera, seu à peccatis abstinentia, causa non erit, ne in æternum pereamus & damnemur? Si enim ideo quispiam damnatur, quòd bonum non fecerit, vel fecerit malum, proculdubio etiam ideo quispiam non damnatur, quòd bonum fecerit, & non fecerit malum. Quid vero est non damnari, in æternum non perire, quàm justificari? Bona opera igitur causa sunt justificationis. Adde, quòd, si fieri poßet, ut mala opera eßent damnationis vera causa; bona opera autem non eßent ulla effugiendæ damnationis ac justificationis caußa, non eßet tamen ista sufficiens Christianæ pietatis in hominibus causa. Non enim ullo pacto tantam vim habent pœnæ, quantam præmia, ingentia præsertim ac cœlestia. Idcirco etiam sub Evangelio longè facilius est divinis obtemperare præceptis, quàm olim sub Lege, quia Lex jubebat, non juvabat; id est, pœnâ quidem mortis propositâ à peccatis deterrebat, sed ingentibus promissis, ut facit Evangelium, ad pietatem non excitabat. Itaq; videre potes, Meisnere, istas à te enumeratas causas tanti non eßе, ut hominem à vitiis omnibus avocare, & ad vitam Deo placentem ac verè Christianam adducere*

adducere poſſint; ſed ſolum immortalis vitæ præmium, iis tantùm, qui piè vixerint, propoſitum, eas vires habere; ideoq; hoc dogma, quo bona opera à cauſis justificationis & æternæ ſalutis excluduntur, pietati prorſus infeſtum eſſe. Quod dum dicimus, non ideo operum juſtificationem excogitamus, ut nobis objicis, quandoquidem opera exacta, & quæ juſtificationem dignitate ſua mereantur, ad eam requiri, minimè ſtatuimus.

II. An bona opera renatorum, intra conatum tantùm bene agendi ſubſiſtant.

Alterum caput doctrinæ veſtræ de bonis operibus, quod reprehendit Socinus, & pietati Chriſtianæ adverſum eſſe oſtendit, eſt, quòd dicatis: Hominis juſtificati, & Chriſti ſpiritu regenerati opera talia eſſe, ut potiùs dici poſſit, illum conari, ut bene agat, quàm revera bene agere. *Hæc Socini verba videris noluiſſe intelligere. Nec enim, ut tu arbitraris, iſtis verbis vel vobis objicit, ac ſi dicatis, Regenitum hominem nullum revera bonum opus facere, vel ſignificat, ſe credere Renatorum bona opera eſſe perfecta, nec ullum in iis eſſe defectum; ſed hoc tantùm aſſerit, Evangelicos iſtos, contra quos diſputat, ſic de bonis operibus renatorum ſentire, ut credant, ſincerum quidem ſtudium & conatum in iis eſſe Chriſti præceptis obtemperandi, cæterùm effectu ſuo plerumq; carere. his enim verbis ipſe Socinus infrà*

eandem sententiam explicavit, pag. 20. Quid ergo huc pertinet docere, Bona opera renatorum esse imperfecta? Omnes novimus, etiam renatos nonnunquam labi, & idcirco etiam hominem non ex operibus, sed ex fide, ex fide, inquam, ut cum Divo Iacobo loquamur, operibus bonis perfectâ & animatâ, justificari credimus. Veruntamen ista bonorum operum in renatis imperfectio tanta non est, ut plerumq; à carne vincantur, & peccent, quemadmodum Evangelici statuunt, sed potiùs plerumq; carnem vincunt, & bene agunt, licèt & antequam renati essent, gravissimè peccarint, ideoq; æternam damnationem meriti fuerint, & postquam renati sunt, interdum ex fragilitate peccent. Atq; huc pertinent dicta Psal. 130. 3. 1. Ioh. 1. v. 8. Et ob hanc causam Renatis opus est quotidiana, non quidem, ut tu loqueris, peccatorum remissione, innuens renatos quotidie peccare, quod falsum est, & pietati Christianæ adversum; sed quotidiana, imò potiùs assidua, & non intermissa peccatorum deprecatione, seu, ut peccata sibi remittantur, precatione.

Illud verò Christi dictum Luc. 17. 10, Quum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus, *non agit de imperfectione obedientiæ; quin potiùs agit de obedientia perfecta: (cùm omnia, quæ nobis præcepta sunt, facere perfectionis sit, non imperfectionis;) sed de obedientiæ istius, qua ea tantùm facimus, quæ nobis præscripta sunt, licèt perfectissima esset, inutilitate. quæ inutilitas,*

ut ex

ut ex præcedenti parabola manifestum est, in eo consistit, quòd nobis Deus nulla peculiari gratia propter eam obligetur, aut quidquam amplius, quàm Dominus frugi mancipio, debeat. Pertinet hoc dictum, non ad ostendendum, quàm imperfecta sint nostra opera & obedientia; sed quàm vilis sit, etiamsi perfectissima sit, & quàm propter eam animo efferri, ac superbire non debeamus.

Locus Rom. 7. 14. ad renatos Christi spiritu non pertinet, sed ad non renatos: nec in eo agitur de reliquiis carnis, ut tu dicis, sed de carnalitate ipsa, ut sic dicam, & gravissima peccati servitute. Quod inter carnem & spiritum sit perpetua lucta, Gal. 5. 17. verum est; sed ob hanc in renatis carnis & spiritus luctam opus esse quotidiana peccatorum remissione, falsum est. Non enim in carnis & spiritus lucta peccatum aut virtus est, sed in victoria. Renatos autem quotidie à carne vinci falsum est, & pietati Christianæ adversum.

Quod attinet ad conscientiæ testimonium in renatis, testatur quidem illa, eos, antequam Christi spiritu verè essent renati, graviter peccasse, & in multis vitiis hæsisse, & nunc etiam, postquam renati sunt, culpa nō vacare, ideoq́; si secundùm Legis rigorem agatur, dignos esse, qui damnentur. Veruntamen cùm sciant, secum summo jure & ex Legis rigore actum non iri, sed se per Evangelium, id est, per legem illam libertatis, summa cum æquitate, clementia, ac misericordia divina judicandos esse, minimè contremiscunt, quin potiùs ingenua quadam libertate ac

παῤῥησίᾳ exultant, quòd qualis ille sit, tales & ipsi sint in hoc mundo. *Hinc toties pii ob tranquillitatem conscientiæ lætantur; hinc Paulus morti vicinus præclarum illum triumphum canit:* Bonum certamen certavi, fidem servavi, cursum consummavi. Reliquum, reposita mihi est justitiæ corona, quam reddet mihi Dominus in die illa, justus judex. *Ecce, non tantùm ob Iudicis justitiam non pavet, sed ob eam maximè confidit; quippe qui* justitiam *non eam, quæ in rigore & summi juris exactione, sed quæ in summa æquitate posita esset, intellexerit. Licèt ergo suis virtutibus & bonis operibus ita niti nequeant renati, ac si illis justificationem aut vitam æternam essent promeriti, sic tamen iis solari se possunt, quatenus hac ratione conditioni in novo fœdere comprehensæ, sub qua justificatio ex Dei gratia promissa est, paruerunt. Itaq; etiamsi multi sint defectus in bonis operibus justorum hominum & renatorum, non tamen sunt tales, ut plerumq; peccent, vel in aliquo peccati habitu hæreant, nec quidquam opus est, ut ad alicujus merita & satisfactionem confugiant; cùm ad gratiosum illud fœdus, Christi sangvine sancitum, in quo peccatorum omnium plenissima remissio per viscera misericordiæ divinæ iis omnibus est constituta, qui peccatis relictis novam vitam ex istius fœderis præscripto egerint, tutò confugere possint ac debeant.*

Quodsi ergo, Meisnere, per istam bonorum operum in renatis imperfectionem talem intelligis, qualem

lem nos agnoſcimus, verum eſt, hoc dogma eſſe tum Scripturæ, tum conſcientiæ teſtimoniis munitum; nec illud Socinus ullo pacto culpat, aut anſam malis operibus dare aſſerit. Sed ſi talem intelligis imperfectionem, qualem iſti Evangelici, contra quos diſputat Socinus, intelligere ſe profitentur, nempe hominem renatum quotidie, & quidem ſæpe peccare, plerumq; à carne vinci, irritumq; eſſe ejus Chriſti præceptis obediendi ſtudium, ſeu, ut breviter loquamur, eum alicujus vitii habitu & conſuetudine teneri, iſtud dogma, utpote pietati Chriſtianæ prorſus inimicum, Scripturæq; contrarium, ex Chriſti Eccleſia exterminandum eſſe contendimus. Nec in probando mutus eſt ullo modo Socinus, cùm paulò pòſt oſtendat, quod & res ipſa apertiſſimè indicat, ex hac ſententia neceſſariò conſequi, nihil opus eſſe, ut is, qui ſalvus eſſe velit, omnis peccati habitu vacet. Iam verò oſtenſum eſt alibi, cuivis, qui regnum cœleſte adipiſci velit, opus eſſe, ne in ullo peccati habitu maneat, pietatemq; Chriſtianam id omnino exigere. Quòd verò propoſitâ hac Evangelicorum ſententiâ interim digrediatur ad ſeptimum caput Epiſtolæ ad Rom. antequam oſtendat, quomodò per eam tollatur ſtudium Chriſtianæ pietatis, id propterea facit, ut indicet, ex quo inprimis ſacrarum literarum loco malè intellecto hanc ſuam adeò erroneam & perniciosam ſententiam Evangelici hauſerint, ſimulq; ut injuriâ eam ex hoc loco elici moneat. Quocirca nos quoq; ad examinationem iſtius loci unà cum Meiſnero progrediamur.

III. De cap. 7. Epiſtolæ ad Rom.

NOta eſt in hoc capite querela hominis, ſub peccati, ac proinde mortis ſervitute gementis, à qua eum Lex non tantùm liberare non potuerit, ſed eam magis etiam exaſperaverit. Hanc querelam negat Socinus eſſe ipſius Pauli, Chriſti ſpiritu jam regeniti: ſed ait, Paulum perſonam hominis ſub Lege conſtituti, nec Chriſti ſpiritu præditi, ſumſiſſe, eamq; in hac querela ſuſtinere. Meiſnerus contrà, Paulum de ſeipſo jam Chriſti ſpiritu regenito loqui autumat. Auguſtinum deinde incuſat Socinus, quòd aliis ita ſentiendi auctor fuerit: quanquam iterum minùs eum erraſſe docet, quòd querelam hanc de ſola tantùm concupiſcentia, ſine ullo ei adhibito aſſenſu, multo verò magis ſine ullo ejus effectu accipiendam eſſe putaverit; non verò, ut hodie fit ab Evangelicis, de ipſis actionibus vitioſis, ſeu concupiſcentiæ effectis. Itaq; hanc particulam tertiam in duas iterum particulas diviſit Meiſnerus. In priori agit de hujus loci ſcopo ac ſenſu, & Socini ſententiam oppugnat. In altera, de Auguſtini ſententia & explicatione. Nos addemus tertiam, an nimirum ex Lutheranorum de bonis renatorum operibus deq; juſtificatione doctrina ſequatur, ad ſalutem haud eſſe opus, ut à peccati ſervitute ſimus liberi?

I. De ſcopo ac ſenſu Pauli.

ASſerit unà cum Auguſtino Meiſnerus, Paulum hîc loqui de ſeipſo Chriſti ſpiritu jam regenito.

Argumenta

Argumenta videamus. Primum, *inquit*, petitur à clara literà. Loquitur Apostolus semper in persona prima, adeoq; de seipso: Ego carnalis sum, &c. *Atqui, Meisnere, si personam alienam induit, non potest nisi in prima persona loqui. Ostendendum ergo tibi est, eum alienam personam hîc sumere non potuisse.* Ne uno quidem apiculo, *inquit*, innuit Apostolus, se de alio aliquo verba facere. *Quasi verò semper indicetur à Scriptore, quoties figurâ istâ loquendi uti velit? 2. Cor. 12. 16. sub Corinthiorum persona de se dicit Paulus*, quòd, cùm esset astutus, dolo ipsos ceperit, *nec tamen, istud se per mimesin dicere, indicavit, adeò ut multi fuerint, qui id Apostolum ex suo sensu de se dixisse arbitrati sint. Deinde, reliquisse Paulũ istius rei, præter ipsum sententiarum nexum atq; scopum, clarissimum in hoc loco indicium, infrà videbimus. Neq; verò ista Pauli verba*, Ego carnalis sum, *sic explicamus, ac si dictum esset*, non ego, sed alius quispiam non renatus. *Simpliciter illa, ut sonant, & de illa ipsa, de qua prolata sunt, persona, non de ulla alia accipimus: tantùm nunc quærimus, quænam illa sit, Pauline jam renati propria, an sub Pauli nomine aliena?*

Secundum, *inquit*, desumitur à notatione temporis. Non loquitur in præterito, sed semper in præsenti. Non ait, ego carnalis eram, malum faciebam. sed Ego carnalis sum, malum facio, &c. *Idem hîc quoq; respondemus, nempe non potuisse Apostolum aliter, quàm in præsenti tem-*

pore loqui, si personam hominis Christi spiritus expertis, & sub Lege constituti, sustinebat. At cùm v. 9. in præterito tempore ait, Ego sine Lege erã aliquando, *nonne manifestè indicat, se sub aliena persona loqui, ejus videlicet hominis, qui per tempus aliquod sine Lege vixit, & postea Legi subjectus fuit, quales Israëlitæ olim ante latam Legem fuerant? Nam etiam talem hominem introducere debuit Apostolus. quandoquidem hoc agit, ut ostendat, Legem non tantùm non habere tantas vires, ut hominem à peccato abducere possit, sed etiam peccatum per Legem irritari, & potentiùs insurgere. Nitimur enim in vetitum semper, cupimusq́; negata. Iam verò quomodo Paulus de seipso propriè dicere potuit, quòd vixerit aliquando sine Lege? nonne sub Lege natus erat? quomodo ergo sine Lege vixiße unquam potuit? nonne cùm addit,* postquam autem mandatum venit, *manifestè indicat, priùs istum hominem extitiße, quàm mandatum venißet? quid? si Meisneri argumentum à temporis notatione ductum valere quidquam debet, dicendum illi fuerat,* Ego nunc sine Lege vivo. *quandoquidem tùm temporis jam Legi mortuus fuerat, & ab ea ad Christum transiverat.*

Tertium argumentum mutuari se *dicit* à proprietatibus renatorum. *Videamus igitur istas proprietates, quas denario numero conclusit.* 1. velle & approbare bonum, nolle & improbare malum. *Si ex proprietatibus firmiter concludere velit*

velit Meiſnerus, neceße eſt, ut tales proprietates renatorum enumeret, quæ ſolis renatis competant. Idcirco cùm videret, hanc proprietatem in aliis etiam reperiri quàm in renatis, variè eam limitat & reſtringit. Ait enim, impios etiam bonum quandoque vellé & probare, ſed nec conſtanter, nec ex virtutis amore, & legis Dei reverentia, ſed pœnarum metu; nec bonum omne, multò minùs ſpirituale & Theologicum, ſed tantùm naturale vel morale; Apoſtolum autem & omne bonum, & inprimis ſpirituale attendiſſe. *Sint ſanè* impii *tales, fuerit & iſte homo à Paulo deſcriptus & repræſentatus talis, quales & illos, & hunc eße vis. Num inter* impium *&* renatum *nulli interſunt gradus? Num neceße eſt, ut qui impius non eſt, ſtatim ſit renatus, & Chriſti ſpiritu regenitus, & qui renatus non eſt, ſit impius? Libenter largimur, quod & Socinus in peculiari in hunc locum ſcripto docuit, Paulum hîc non deſcribere hominem inter non renatos peßimum, ſed optimum, & veluti in confinio renatorum poſitum. Quid ergo prohibet, quominus iſte hæc omnia bona in ſe habeat, quæ hîc Paulus enumerat? id eſt, ut velit id, quod bonum, & à lege divina præſcriptum eſt, & ſemper velit, (licèt non efficaciter, nam alioqui renatus eßet) & velit ex amore ipſius virtutis, ac legis Dei reverentia? An paucos putas fuiße ſub Lege tales, qui legem divinam amârint, approbârint, illam ſervare cupierint, etiam conati fuerint, nec tamen iſtud propter carnis imbecillita-*

imbecillitatem revera præstiterint, qui proinde nec impii, nec tamen etiam renati censendi sunt. Hoc differt renatus ab omni non renato, quòd iste efficaciter velit id, quod divina lex jubet, id est, non tantùm id facere cupiat ac conetur, sed etiam re ipsa præstet & exequatur. quod cùm in isto homine, quem hîc repræsentat Paulus, non fuerit, apparet eum inter renatos non esse referendum.

Porrò unde probabit Meisnerus, hominem istum non pœnarum etiam metu cupiisse bonum facere, & malum animo aversatum fuisse? Certè si ob legem divinam id fecit, aliter facere non potuit, cùm Lex pœnarum metu maximè in officio homines voluerit continere. Quodsi autem impiorum est, metu pœnarum velle bonum, & nolle malum, sequetur ex propria Meisneri confessione, istum hominem fuisse impium. Imò verò Meisnere, quantò quisque magis est impius, tantò pœnas divinas metuit minùs: ac proinde non ideo quispiam impius esse censendus est, quòd pœnarum divinarum metu à malo abstinere, & bonum facere cupiat atque conetur. imò vel ob id ipsum impius esse censendus non est. Bonum etiam morale à spirituali & Theologico hoc loco distingvi non debet, cùm de morali bono, v. c. de non concupiscendo loquatur Apostolus, & ad nullas res magis nos irritet ac stimulet carnalis cupiditas, quàm ad ea, quæ morali bono adversantur. Quodsi ergo impiorum etiam est bonum morale velle, quid ex hac hominis istius voluntate concludit Meisnerus?

Vidit

Vidit forsan Meisnerus, quàm fragili fundamento ista ipsius ratiocinatio nitatur; idcirco aliud ei fulcrum substituit. Adde hoc *inquit:* Omnis non renatus scienter & volenter facit malum. Paulus autem istud se odisse, & nolenter facere testatur. Ergo sub persona irregeniti non loquitur. *Quatuor terminos habet hoc argumentum. quia volenter malum facere dupliciter dicitur: vel cùm quis sine ulla animi & mentis revocantis lucta malum facit, totusq; in illud fertur & propendet: vel cùm quis, revocante quidem & in contrarium nitente ratione, malum tamen facit, & appetitum sequitur. Si ergo priori modo sumatur, falsa est Major, vera Minor. Sin posteriori, etiamsi concederetur Major, falsa eßet Minor. Iste enim homo, quem repræsentat Paulus, volenter faciebat malum, quatenus reluctante quidem ratione appetitui tamen indulgebat, ejusq; impulsum sequebatur. Quod verò attinet ad id, cùm quis* scienter *malum facit, quomodo probabis, istum hominem scienter malum non fecisse? Nonne sciens malum facit, qui quod facit, improbat, & malum eße agnoscit? Ideo etiam istius particulæ nullam facis mentionem in Minore, & sic iterum quatuor terminis uteris. Quin potiùs istud argumentum in te retorqueri debet. Renatus scienter & volenter non facit malum. spiritu enim carnis opera mortificat. Hic homo, quem Paulus describit, scienter & volenter faciebat malum. siquidem peccati consvetudine tenebatur. Homo igitur iste nō est renatus.*

2. Consentire Legi, & eâ delectari. *ver. 16, 22. Committis fallaciam divisionis, Meisnere. Nec enim simpliciter de hoc homine dicitur, quod* Legi consentiat, *sed additur qua in re, nempe,* quòd sit bona: *nec dicitur simpliciter, quòd Lege delectetur, sed additur,* secundùm internum hominem. *Iam verò num soli renati Legem bonam esse agnoscunt? Num soli renati secundùm internum hominem, id est, animum & intellectum lege divina delectantur? Consentire Legi divinæ non tantùm quòd bona sit, nec solo intellectu eâ delectari, sed factis ipsis perpetuaq́; vitæ consvetudine cum ea conspirare, renatorum proprium est, & de tali delectatione loquitur David, locis à te citatis, Psal. 1.2.& 119.77, 103. Num verò iste homo hoc pacto consentiebat Legi, eâq́; delectabatur, qui eam perpetuò transgrediebatur?*

Non renati, *inquis*, vel nesciunt legem Dei, vel eam voluntariè violant. *At hîc de tali loquitur Apostolus, qui Dei legem cognitam habuit. Si verò per voluntariam violationem talem intelligis, quæ fit sine ulla, aut etiam sine gravi rationis lucta, falsum est, ut dictum fuit, omnes non renatos hoc pacto Legem* voluntariè *violare. Quodsi verò voluntaria violatio ea intelligatur, quæ non fiat ab invito prorsus, id est, nec per ignorantiam, nec per violentiam, quomodo probabit Meisnerus, istum hominem hoc modo Legem non violasse? annon apertissimè verbis Pauli contradicet?* At Lege, Legisq; obedientia delectabatur: Legis autem consensio includit

noluntа-

noluntatem transgreſſionis. *Verùm iſta noluntas transgreſſionis, ut ſic dicam, cum hac voluntate poſteriori non pugnat, ſed tantùm cum priori.* Video meliora proboq; (*dixit Medea illa ſceleſta*) deteriora ſequor. *Vtrobiq; erat voluntas, & ad bona, & ad mala, ſed ad mala longè fortior, quàm ad bona.*

Quisquis ſeriò, *inquis*, delectatur Lege, vitamq; illi conformem agere deſiderat, is ſcienter & volenter Legem non tranſiliet. *Concedo iſtum hominem ſcienter & volenter Legem non fuiße transgreßum, ſi priori, quo explicatum eſt, modo hanc phraſim accipias: ſed hinc non ſequetur, illum propterea non eße irregenitum. Sin verò poſteriori modo hæc verba accipiantur, diſtingvenda eſt ſeria Legis delectatio, ejusq; obſervandæ deſiderium. Seriò enim Lege delectari, utq; ei vitam conformem agas deſiderare, duplici ratione dici poteſt. Vel enim aliquis nullam carnalium cupiditatum & affectuum rationem habens ſervare Legem vult: vel ita Legi parere cupit, ut interim carnali appetitui ægrè facere nolit. Illud deſiderium & delectatio excludit peccata ſcienter & volenter commiſſa; hoc verò, quale fuit in iſto homine, non excludit, ſed potiùs includit. adde, quòd ſerium Legis ſervandæ ſtudium tùm demum excludat peccata volenter commiſſa, cùm etiam vires ad id præſtandum affatim adſunt; quas quia Lex non dabat, ſed ſolum Chriſti Evangelium, propterea potuit iſte homo, quem nos Evangelici ſpiritus expertem, & ſolius Legis participem eße dicimus,*

mus, seriò Lege delectari, & vitam ei conformem agere desiderare, nec tamen ipso facto id præstare.

Hinc jam patet, quid sentiendum sit de tuis, quæ sequuntur, verbis: Notitia quidem, & generalis assensus Legis cadere potest in impios, sed non delectatio, vel serium obediendi studium, hoc enim unicè renatis competit. *Nam 1. hic non agimus de impiis. 2. delectationem in Lege, & illi obediendi desiderium duplex esse vidimus, nec quodvis solis renatis competere. 3. aliud est Lege delectari, animo & mente, quod de isto homine dicitur; aliud, serium obediendi habere studium, quod non dicitur. 4. ne serium quidem obediendi studium solis renatis competit; cùm ad id, ut quispiam renatus sit, non solùm studium tale requiratur, sed etiam sufficientes vires.*

3. Non operari malum. *Sanè non operari malum renatorum est proprium. Sed quomodo id isti homini competere potest, qui non faciebat id, quod volebat, bonum, sed quod nolebat malum; qui non inveniebat, quo pacto bonum perficeret; cui volenti facere bonum adjacebat malum; quem Lex in membris existens captivum reddebat legis peccati; qui carne serviebat legi peccati; quomodo inquam isti homini, quòd malum non fuerit operatus, potest competere?* At inquit, non ego malum operor, sed inhabitans in me peccatum. *Non vides Meisnere, hic figuratè peccato separatam ab ipso homine actionem tribui, cùm tamen revera non peccatum ipsum.*

pſum, ſed homo peccati ductum & impulſum ſequens malum iſtud fuerit operatus. Et quomodo peccatum pe ſe operari poßet, ſine hominis conſenſu ac voluntate? quomodo illum morti ſubjicere, ſi ipſe homo à peccando immunis eßet? Dicit alibi Paulus: Abundantiùs laboravi, quàm illi omnes, *& ſtatim addit,* Non ego autem, ſed illa gratia Dei, quæ eſt mecum. *Num ergo dicemus, non ipſum revera Paulum laboraße, ſed gratiam ſine Paulo? Quin potiùs Paulus propriè laboravit, non gratia; gratiæ tamen id tribuitur, non Paulo, quia per eam Paulus cuncta faciebat, & ſine ea nihil facere potuißet.* At de non renato hoc affirmari nequit. *Imo verò tantùm de non renato hoc affirmari poteſt. Iſtis enim verbis graviſſima peccati ſervitus denotatur, cùm ſcilicet quiſpiam vel invitus ac reluctans peccato parere, & ejus imperata exequi cogitur, non ſecùs ac mancipium alienæ voluntati prorſus obnoxiū. Adde, quòd in hominibus renatis peccatum non habitet; illius enim regia eſt in carne. At renati* non ſunt ampliùs in carne, ſed in ſpiritu. *Caro in illis eſt mortua & crucifixa: & pro peccato, quod antea in illis habitavit, habitat Dei & Chriſti ſpiritus, cujus vi & dominus ipſe exturbatus eſt, & domicilium illius everſum.*

Peccata impiorum, *inquit,* ſunt voluntaria & deliberata, ideoq; talis diſtinctio in illis locum non habet 1. *non agimus hic de impiis, ut antè dictum eſt, ſed ſimpliciter, de non renatis. 2. Si per voluntaria & deliberata peccata intelliguntur talia,*

lia, quæ fiunt sine ulla rationis in contrarium nitentis lucta, non habet locum talis distinctio; sin verò talia, quæ cum rationis lucta, eaq; non exigua peraguntur, ibi planè hæc distinctio locum habet: Non ego operor, sed inhabitans in me peccatum *Causa enim istius rei est,* quia non id, quod volo bonum, sed quod odi malum facio. *At facio tamen. Malum autem facere, nempe ex habitu & consuetudine, vel cum vehementissima rationis lucta, non renatorum, sed irregenitorum est.*

Quis, *inquis*, de fornicatore diceret: non ille malum operatus est, sed peccatum, quod in ipso habitat? Imò verò ille ipse operatus est, quia liberè consensit. *Num ergo putas, istum hominem, de quo loquitur Paulus, non etiam liberè consensisse in malum? Annon ipse addis,* aliàs actum secundum poni non posse, quoniam consensum semper præsupponat? *Num facere malum, quod odio habes, & bonum non facere, quod velis, actus secundus non est? Præcessit ergo consensus voluntatis, sine quo nullæ sunt peccati vires. Aut igitur tibi concedendum est, fornicatorem cum carne sua luctantem idem dicere posse; aut istum hominem Paulinum id dicere non potuisse: cùm non minùs hîc, quàm illic, liber sit consensus. Adde, quod alia sit ratio hominis sub Lege constituti, qualis est iste; alia Christi Evangelio illustrati. Ille jure conqueri potest de maxima vi & servitute peccati; hic non potest. Evangelium enim tantas vires homini subministrat, quibus peccati vim facilè excutere, modò velit, possit.*

4. Velle omne bonum, ſed perficere non poſſe *v. 18.* Si hoc, *inquit*, non renatis conveniret, nunquam mortaliter peccarent. quia ad evitanda ſcelera mortalia & craſſa habere poſſunt & velle & perficere. *Quæ eſt iſta ratio? Si in quibusdam non renati mortaliter non peccarent, nempe in iis, quæ velint quidem, ſed perficere non poſſint, ergo nunquam mortaliter peccarent, nempe in iis, quæ & velle poſſint, & perficere? quid? ſi in eo mortaliter peccant non renati, quòd bonum aliquod nolint, utiq; id velle poterant, quomodo enim alioquin, idq; mortaliter, in eo peccarent? Si enim renatos à mortali crimine* non poſſe perficere *vindicat, etiam non renatos* non poſſe velle *ab eodem crimine vindicabit. Quid ergo prohibet, quominus etiam non renati omne bonum velint, id eſt, ament, deſiderent, approbent, (nam de tali voluntate loquitur Paulus) omne, inquam, quod lex divina præcepit; de talibus enim bonis nunc loquimur. An pauci ſunt homines, qui variis peccatis mancipati ſunt, ac proinde renati non ſunt, interim tamen virtutem & honeſtatem ſemper approbant, & ſe vitiis conſtrictos eſſe ingemiſcunt?*

Adde, quòd iſta verba, perficere bonum non invenio, *non ſic debent accipi, ut mortale peccatum excludatur. Iſte ſiquidem homo ſe mortis mancipium propter hoc ipſum eſſe conqueritur v. 10, 11, 13, 24.* Non *enim ullo prorſus pacto non inveniebat, quomodo vel bonum perficeret, vel peccatum non perficeret, qui, ſi*

maximam

maximam vim sibi ipsi inferre voluisset, bonum facere, & à peccatis abstinere potuisset; sed quatenus vis peccati & appetitus vehementer in contrariam rapiebat partem, & hac ratione eum bonum perficere, vel à malo abstinere non sinebat. Nam alioquin Lex id præciperet quod facere, & vetaret, quod omittere nullo pacto possemus. Quomodo igitur nos plectere jure posset? Simili modo adulter Evangelico spiritu nondum afflatus, cujus exemplum hîc commemoras, dicere posset, velle habeo, sed perficere non habeo. *rapior enim à carne mea, & à peccati dulcedine trahor, ut quo pacto illi resistere possim, non inveniam. Num ergo renatum hominem in istorum censum referes, Meisnere, qui tantam peccati & appetitus vim sentiunt? illum inquam hominem, qui spe æternæ salutis plenus omnes voluptates & peccati illecebras pro nihilo ducit, qui ex Deo natus est, qui mundum vincit, qui omnia potest in Christo Iesu, cui per fidem nihil est insuperabile? Egregiam sanè regeniti hominis proprietatem, peccati vinculis ita constrictum teneri, ut quod bonum ac honestum esse videt, quo pacto perficere possit, non inveniat?*

Verùm, ut arbitror, tu sub isto omni bono *id intelligis, ne quis ullam cupiditatem carnis ad vitia stimulantem sentiat. Sed nec Apostolus addit vocem* omne; *nec* bonum *istud ulteriùs est extendendum, quàm ad ea, quæ Lex jubet ac præcipit. Illud verò, ut Stoici simus, nec ullis cupiditatibus aut affectibus moveamur, Lex minimè requirit. Licèt enim Lex*

dicat,

dicat, non concupisces, *non tamen nuda rei inconcessæ cupiditas ex ipso naturali appetitu orta intelligi debet, sed ea, cui nos consilio vel conatu obsequimur; non ea, quæ nos tantùm irritat, sed quæ constrictos ad peccatum rapit. Eam concupiscentiam prohibet Lex, quæ peccatum est, non quæ virtuti materiam suppeditat; quæ vincit hominem, non quæ solicitat; quæ in nostra potestate semper est, non quæ ex ipso appetitu naturaliter profluit.*

Quid verò etiam prohibet, quominus non renatus velle & desiderare possit, non tantùm ne reipsâ peccet, sed etiam ne ullos ad peccatum cupiditatum & affectuum stimulos sentiat? Adde, quòd falsum sit, renatum non posse tandem eò pervenire, ut carnis cupiditates & affectus sic domitos & compositos habeat, ut nonnisi rationis imperata expectent & exsequantur. Aut enim istud est in renati hominis potestate, aut non est. Si est, jam vides hanc proprietatem renati esse non posse, sed potiùs non renati. Si non est, aut istud præstare conatur, & operam dat, aut tantùm optat. Illud stultum est prorsus; hoc non minùs irregenito competere potest.

5. Habere interiorem hominem *v. 22.* Hic *inquit* phrasi Scripturæ renovationem cordis significat. *Quoties istam phrasim in Scriptura legisti Meisnere, ut ex perpetuo ejus usu aliquid concludere possis? Vnum citat locum* Eph. 3.16 *quem tanti esse putat*, ut satis refutet frivolam Photinianorum exceptionem, per *τὸν ἔσω ἄνθρωπον* intel-

ligi

ligi mentem & intellectum, non cordis novitatem. *Vt omittamus, ex uno aut altero loco nullam poſſe fieri inductionem; quæ, vel tenuiſſima ſuſpicio apparet, propter quam* internus homo *in iſtis Pauli, quæ citas verbis, renovationem cordis ſignificare dicendus ſit? Ait Paulus,* Genua mea flecto ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ut det vobis potentiâ corroborari per ſpiritum ſuum in interiorem hominem. *Num hîc dicitur, ut tu putas, internum hominem eſſe à ſpiritu? Hoc quidem dicitur, illum à ſpiritu corroborari, quemadmodum ipſe adjicis; ſed illud prius non dicitur. Annon apertè Paulus in Epheſiis interiorem iſtum hominem jam ponit? tantùm optat, ut Deus per ſpiritum ſuum ipſos* in interiorem, *id eſt, interioris hominis reſpectu, potentiâ corroboret; quod quid aliud eſt, quàm ut Deus illis vires largiatur, ut, quod menti & intellectui placet; placet autem id, quod rectum & honeſtum eſt, contra vim carnis & appetitus perficere poſſint, ſeu, ut in illis mens & ratio appetitu carnis ſit multo robuſtior ac potentior, quod fit, quotieſcunq; noſtræ menti Deus per ſpiritum ſuum ſanctum fert ſuppetias. Hîc ergo locus noſtram interioris hominis acceptionem, non tantùm non tollit, ſed planè confirmat. Sic 2. Cor. 4. per* hominem, qui intus eſt, *ſpiritum noſtrum corpori, quod* hominem foris *ſeu* exteriùs exiſtentem *vocat, oppoſitum, idem Apoſtolus intelligit.*

Ais, Paulum interiorem hominem opponere mem-

re membris & carni. *Rectiſſimè id dicis; & hinc conſequitur, per* Interiorem hominem *intelligendam eſſe rationem vel mentem. quid enim membris & carni rectiùs opponi poteſt, quàm ratio & intellectus? præſertim cùm ſtatim pro Interiore homine voce* τȣ͂ νοὸς *ſeu* mentis *in ſequentibus utatur, &* νȣ͂ν *ſeu* mentem *opponat* carni *v. 23, 25. At* interiorem hominem opponit membris & carni, hoc eſt, corruptioni naturæ, non corpori. *Quis te docuit per* membra *&* carnem *corruptionem naturæ intelligere Meiſnere? quis unquam iſtis vocibus hac ſignificatione uſus eſt? Num ergo noſtra* Interioris hominis, *quo Rationem & Intellectum ſignificari dicimus, acceptio, quam & res ipſa, & loquendi conſuetudo exigit, frivola eſt; tua, quâ* membris *&* carne, naturæ corruptionem, *contra omnem vocabulorum naturam, ſignificari dicis, non erit inepta & frivola? Per legem in membris noſtris exiſtentem, ſeu per carnem, non naturæ corruptionem intelligit Apoſtolus, ſed appetitum, qui in res carni ſuaves & jucundas, proinde in peccata varia, fertur ac rapitur. Cui appetitui rectiſſimè ratio opponitur, quæ in res honeſtas, & legi divinæ conſentaneas tendit ac dirigitur. At* non opponitur corpori. *Si corpus per metonymiam ſubjecti, quemadmodum & carnem, ſumas pro appetitu, non minùs corpori, quàm carni opponitur, quemadmodum fit cap. ſeq. ver. 10, 13. Sin verò pro ſubſtantia ipſa corporea, idcirco illi ratio non opponitur, quia hìc nec corpus, nec ratio ſe-*

cundùm substantiam suam considerantur, sed secundùm vim, quam habent in homine: illud quidem ad jucunda, sine ullo honestatis vel turpitudinis discrimine; hæc verò ad honesta tantùm, & divinæ legi consentanea hominem incitandi.

6. Sentire luctam carnis & spiritus. *Primò, Renatorum hoc ita esse proprium, ut illis solis competat, unde probat Meisnerus? Affert 1. locum Gal. 5. 17. ubi dicit Paulus:* Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem. Hæc autem sibi invicem adversantur, ne quæcunque velitis ea faciatis. *Num verò in his verbis dicitur, hoc esse proprium renatorum, hoc est, proprium carnis, ut spiritui adversetur, & spiritûs, ut adversetur carni, utq; sibi, respectu actionum, mutuò sint impedimento? Sed, istam luctam nonnisi in renatis esse, non dicit Apostolus: imò cùm moneat Galatas,* ut spiritu ambulent, spiritu agantur non carne, *annon satis indicat, non carnis & spiritûs luctam sentire, sed carnem per spiritum superare renatorum esse proprium? Num enim is renatus erit, cujus caro adversus spiritum concupiscit, & spiritus adversus carnem, interim tamen caro subinde victrix abeat, & illa opera, quæ mox istic recenset Apostolus, perficiat? Sit sanè Meisnero renatus: at Pauli decreto & immutabili sententiâ, nulla ei est in regno Dei hæreditas.*

At soli renati, *inquis,* habent spiritum Dei. *Rom. 8. 14. Si soli renati Dei spiritum habent, quomodo*

modo ergo homines per spiritum renascuntur? Nec enim Spiritus sanctus externum est aliquod agens, sed internum, seu non ante quidquam in nobis agit & operatur, quàm sit in nobis. Habebunt igitur spiritum Dei antequam habeant, & renati erunt antequam renascantur: an illi, qui Dei spiritui resistunt, qui ei obsequi nolunt, qui eum expellunt, spiritum Dei non habent? num verò renati sunt? Non tantùm habere spiritum Dei, sed illo etiam duci ac gubernari renatorum proprium est. & hoc ipsum docet Paulus loco à te citato Rom. 8. 14: Quotquot spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei. *Num verò omnis, qui spiritum Dei habet, illo etiam agitur? Nequaquam. Alioquin nihil opus esset hortari istos, qui eum habent, ut illo etiam agi velint, quod tamen facit Paulus in illis ipsis à te citatis locis, Rom. 8. 12, & seq. Gal. 5. 16, 25. At* mundus illum accipere nequit, *Iohan. 14. 17. Rectè; sed num omnes non renati mundi nomine hoc loco continentur? Nonne Christus mundi nomine eos tantùm hic intelligit, qui ipsius doctrinam, qui fidem in ipsum rejiciunt, & Spiritum sanctum in Christo non agnoscunt? quam causam etiam affert, cur mundus Spiritum istum accipere nequeat. Num verò omnes sunt continuò renati, qui Christi doctrinam non damnant, nec rejiciunt, imò etiam, qui eam pro vera agnoscunt & profitentur, & hactenus fidem in Christum habent? Et tamen his omnibus Spiritum sanctum datum fuisse legimus. Num spiritus sanctus in iis etiam non fuit, qui opera-*

tores fuerunt iniquitatis, & idcirco damnandi ſunt, qui certè renati eſſe nullo modo potuerunt. Matthæi 7. 23.

At impii & non renati, qui tenentur laqueis Satanæ, *2. Tim. 2. 26.* talem luctam non experiuntur, ſed ſcienter & volenter peccant. *Verùm impios cum non renatis in genere confundis, præſertim eos, qui divinæ veritati reſiſtunt. de talibus enim loquitur Paulus loco à te citato, quemadmodum apparet ex ver. 25. An autem omnes non renati tales ſunt? Quàm pauci ſunt inter Chriſtianos renati, nec tamen eos, qui inter Chriſtianos renati non ſunt, in cenſum iſtorum impiorum referre fas eſt. Præterea Satanæ laqueis conſtrictum teneri, & talem experiri luctam, non ſunt inter ſe oppoſita, cùm poſſit quiſpiam luctari cum carne, & tamen ab ea vinci plerumque, & ſuperari. Qui autem à carne vinci & ſuperari conſvevit, verè Satanæ laqueis conſtrictus, &, ut Apoſtolus loquitur, vivus captus & irretitus tenetur. Scienter etiam & volenter peccare, quo ſenſu tali luctæ opponatur, ſuprà vidimus.*

Verùm, ut nunc Meiſnero demus, ſpiritus & carnis luctam ſentire eſſe proprium renatorum, quo pacto probabit, iſtum hominem carnis & ſpiritus ſenſiſſe luctam? Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, *ver. 23. At hîc nulla fit mentio* ſpiritus, *tantùm* mentis. *Num verò omnis, qui mentem habet, ſpiritum habet? Non fruſtra Paulus in tota hac oratione, ſpiritum iſti homini*

mini non tribuit, ſed tantùm mentem, vel hominem interiorem, nempe ut eo ipſo cauſam oſtenderet, cur iſte homo carnem domare, & illius dominatum excutere non poſſit. quia ſcilicet ſpiritum non habuerit, ſed tantùm mentem & intellectum: Chriſtiani autem, quia ſpiritum divinum, eumq́; potentiſſimum habeant, (quem & ſuprà, ver. 6 & ſequenti capite ab initio ſtatim, non nudam tantùm mentem illis attribuit) idcirco victores ac domitores carnalium cupiditatum facilè eſſe poſſunt.

7. Captivari à lege peccati, quæ eſt in membris *ver. 23. Primò non rectè ſatis Pauli verba refers Meiſnere, cùm ille loquatur de captivatione, quæ fiat legi peccati, non autem à lege peccati. Captivari autem legi peccati, nihil aliud eſt, quàm fieri captivum ſeu mancipium peccati, id eſt, earum actionum, quas lex Dei prohibet. Legem enim peccati hoc loco apertè legi Dei opponit Paulus. Hoccine verò tu proprium eſſe putas hominis renati? Lex in membris exiſtens quid aliud eſt, quàm carnis ad jucunda & ſvavia impulſus. Hæc repugnat legi mentis, quæ voluntatis ſectandæ & fugiendi doloris modum ex honeſtate & turpitudine conſtituit. Illa quidem cum lege peccati, hæc verò cum lege divina conſpirat. Illa hominem legi peccati, hæc legi divinæ ſubjicere conatur. Quodſi ergo lex carnis, ſeu membrorum, hominem ſubjiciat & mancipet legi peccati, quâ turpia & inhoneſta deſcripta ſunt, num hic homo renatus erit? Deus bone, quem tu nobis renatum*

introducis, fœdarum & turpium actionum infelix mancipium?

At captivitas præsupponit noluntatem carceris, & qui captivatui nequaquã consentit, quod vicissim de irregenito affirmari nequit. *Ergóne haud agitur de eo, ne quis revera sit captivus carnis & peccati, sed tantùm ne totus animo in captivitatem propendeat, &, ut quis renatus sit, sufficiet, quòd non planè animo consentiens in peccatũ volutetur? Nimirum non intelligis Meisnere, aliam esse rationem carnalis captivitatis, aliam istius spiritualis. In illam nemo volens, sed quisque planè invitus externa vi abripitur: In hanc verò nemo prorsus invitus & nolens abigitur. Quisque enim à carne sua propria in captivitatem istam redigitur, seu, ut D. Iacobus docet,* à propria sua cupiditate tentatur extractus & delinitus. *Carni autem & cupiditati nemo nisi volens paret, & ad peccatum se adduci patitur. Verùm quatenus in multis reclamat ratio & conscientia, eatenus isti dicuntur inviti quodammodo ac nolentes peccare. Sed hoc tantum abest ut de irregenitis dici nequeat, ut nonnisi de solis irregenitis dici debeat.*

Dicet Meisnerus, hîc agi de tali peccato, quod nonnisi ab invito prorsus homine committitur, sic ut illud vitare non sit in hominis arbitrio & potestate. At si tale aliquod peccatum est, nonne tam irregenitis commune erit, quàm regenitis? Deinde de tali peccato non loquitur Apostolus, cùm nec ullum peccatum tale

tum tale ſit: implicat enim contradictionem, peccatum eſſe, & tamen nullo pacto ſponte fieri: nec lex peccati, *oppoſita* legi Dei, *tam ſtrictè ſumi poſſit, ut iſtud tantùm peccatum includat. adde, quòd ineptè diceretur*, legem in membris exiſtentem, *quam cupiditates carnales eſſe dicit Meiſnerus, ſubjicere aliquem & captivum facere illi peccato, quod ſimiliter, ut Meiſnerus putat, nihil aliud eſt, quàm ipſæ iſtæ cupiditates carnales. Quemadmodum enim inter legem mentis & legem Dei diſtinctio eſt adhibenda, ſic non minùs adhiberi debet inter legem in membris ſeu carnis, & inter legem peccati, adeò ut hîc duo paria legum, partim conſentientium, partim ſibi adverſantium, ab Apoſtolo conſtitui dicantur. Licèt enim legem peccati in membris eſſe dicat Apoſtolus, hoc tamen ideo dicere potuit, quia lex peccati legi carnis, ſeu in membris exiſtenti planè ad amuſſim reſpondeat, & cum ea conſpiret.*

8. Agnoſcere depravationem, & petere liberationem: infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus. *ver. 24. Quam depravationem intelligis Meiſnere, morumné an naturæ? Si naturæ, cur quæſo eam agnoſcere, & ab ea liberationem petere nequeat & non renatus?* Quia, *inquis*, illud pœnitentium eſt, hoc credentium. *Illud pœnitentium eſſe falſum eſt, cùm nemo pœnitentiam agere poſſit ideo, quòd corruptam naturam non quidem ipſe fecerit, ſed ab Adamo acceperit. Hoc verò credentium tantùm eſſe, & quidem credentium*

in Christum, (nam tales intelligendi sunt) similiter falsum est, cùm & à depravatione naturæ quisque, modò eam agnoscat, liberationem petere queat; &, ut ex interposita gratiarum actione apparet, in Christum credentes non petant se liberari, sed pro eo, quòd liberati sint, agant gratias. adde, quòd hic homo non propter corruptionem naturæ se infelicem esse, & in ipsa morte versari exclamet, sed propterea, quòd legi Dei non obediat, & legis peccati mancipium sit, quòd non ea faciat, quæ mens & ratio cum lege Dei consentiens svadeat, sed quæ carni cum lege peccati conspiranti arrideant. quæ depravatio non naturæ est, sed morum & actionum. Hanc ergo depravationem si intelligas, nihil magis falsum dici potest, quàm illam agnoscere, & ab ea liberationem petere, regeniti proprium esse. Regenitum enim esse, & depravatis moribus esse, tam inter se pugnant, quàm dies cum nocte, lux cum tenebris. At pœnitentium hoc est & credentium. *Non semper. Quàm sæpe videmus homines agnoscere sua vitia & preces etiam ad Deum fundere, ut ab iis liberentur, & tamen in pristinis vitiis perseverantia ostendit, eos nec verè pœnitentiam agere, nec verè credere. Quodsi autem tibi ad pœnitentiam & fidem sufficit, ut aliquis ex animo dicat,* infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? *tum ego talem pœnitentiam & fidem in non renatos cadere concedam. Sed si per pœnitentiam veram & seriam animi, & consequenter omnium vitæ actionum, in*

melius

melius mutationem; per fidem autem fidem vivam & bonis operibus animatam intelligas, eam ego nonniſi in renatis agnoſco. Verùm unde probabis, neminem poſſe ita de ſua miſeria conqueri, quemadmodum iſte homo conqueritur, niſi talem pœnitentiam agentem, & tali fide præditum? Imò verò, qui talis eſt, non ampliùs conqueri cum iſto homine poteſt, ſed cum Paulo gratias pro liberatione agit. Denique cur ais, hunc hominem liberationem petere? Num tibi petitio liberationis eſt, & quidem, ut hic dicis, ſeria, ſi quis ſimpliciter exclamet, quis me liberabit? *Quin potiùs tali ſermone, actum eſſe de liberatione noſtra, nec ullam ſalutis ſpem ſupereſſe ſignificamus, non verò liberationem petimus.*

9. Gratias agere pro redemtione & juſtificatione *ver. 25. Tandem aliquando veram renatorum proprietatem nominavit Meiſnerus. Concedimus enim, gratias pro redemtione & juſtificatione agere, ſi modò hæc gratiarum actio non vanæ perſvaſioni, ſed rei veritati nitatur, ſolis renatis competere. Sed hanc gratiarum actionem ex iſtius hominis ſenſu, qui ſuperiorem querelam contexuit, ab Apoſtolo prolatam eſſe nego. Paulus enim eam ex Chriſtiani hominis, Evangelico ſpiritu regeniti, perſona inſeruit; ideoq́. in parentheſi, quemadmodum & ſequentia verba docent, legi, & à reliqua oratione dirimi debet. Videamus enim, quo pacto iſta gratiarum actio homini illi competere queat?* Hic, *inquis,* Apoſtolus agnoſcit, quamvis à peccato penitus pur-

gari nequeat, se tamen à Christo redemtum, & Deo Patri reconciliatum esse, quo nomine εὐχαριστεῖ, vel gratias agit. *Atqui nec à Paulo additum est, pro quo gratias agat, nec à contrario, ut vult Meisnerus, rem illustrat, quòd scilicet, quamvis à peccato purgari nequeat, nihilominus liberatus fuerit; sed simpliciter dicit:* Gratias ago Deo per Iesum Christum Dominum nostrum. *Ex superioribus igitur sumendum est id, pro quo hîc gratiæ aguntur. Infelicitas & miseria esse non potest, cùm nullus pro ea gratias agat, idq́ per Iesum Christum. Relinquitur ergo ut sit infelicitatis & miseriæ contrarium. At cujus infelicitatis? Certè non ullius alterius, quàm superioribus verbis descriptæ? Quæ verò est illa? Nulla alia, quàm venditum esse sub peccatum, ver. 14. non facere bonum, quod velis, sed quod nolis, ac odio habeas malum ver. 15, 19. habere inhabitans in se & carne sua peccatum, ver. 17, 18, 20. velle bonum facere, sed quomodo illud perficias, non invenire, 18, 21. habere legem in membris suis, repugnantem legi mentis, quæ hominem captivum reddat legi peccati, ver. 23. Hæc est miseria superiùs descripta, nec ulla alia, ideoq́ hic homo exclamat:* Miser ego, quis me liberabit ex corpore mortis hujus? *non mortis simpliciter, sed* hujus mortis, *nempe jam designatæ. Mortem appellat adeò diram tristemq́ peccati servitutem. Gratiæ igitur aguntur pro eo, quod ex ista miseria, ex ista morte liberatus sit. Iam verò quo pacto unus idemq́ homo, eodem tempore,*

re, in hac morte ac miseria hærere, & ab ea liberatus esse potest? Hæc igitur gratiarum actio isti querimoniæ inserta apertissimè indicat, aliam esse personam hominis miserum se esse exclamantis, aliam gratias agentis, aut saltem diversa tempora, & illius miseri status, qui superiùs describitur, & hujus felicis, pro quo gratiæ aguntur. Nec ullus dubito, Apostolum, cùm jam finire vellet personati istius hominis orationem, idcirco hanc gratiarum actionem inseruiße, ut clarissimo indicio constaret, eum non de se, præsertim qualis tùm erat cùm hæc scriberet, sed de homine sub Lege constituto, & spiritus Evangelici experte, verba facere.

Idem ipse Apostoli scopus planè evincit, qui nullus alius est, quàm, ut ex ver. 4, 5, 6. apparet, ostendere, Legis disciplinâ non poße homines in officio contineri, adeò, ut si homines bona opera sectari, seu, ut Apostolus loquitur, Deo, non morti fructus ferre velint, Legem deserere, & ad Christum transire debeant, ut sic servire Deo possint, in novitate spiritus, & non in vetustate literæ. *Hoc ut doceret Paulus, occasione cujusdam objectionis ab initio ver. 7. propositæ, istum hominem de peccati servitute conquerentem inducit, qui, si hominem Christi spiritu regenitum notaret, profectò Christi Evangelium non minùs, quàm Legem Apostolus depressißet, & suo instituto prorsus adversatus fuißet. Sed si hanc querelam hominis sub Lege positi, & Christi spiritus expertis eße dicamus, istam verò gratiarum actionem*

hominis

hominis Chriſti ſpiritu præditi, quem etiam ſtatim initio ſequentis capitis, ſecundùm ſpiritum, non ſecundùm carnem ambulare, *ac proinde*, nulli damnationi obnoxium eſſe *aſserit, iſtudq́ ex ſuperioribus infert, ſi, inquam, hoc dicamus, omnia rectiſſimè congruent, & ad ſcopum collimabunt, apparebitq́, quomodo capitis octavi initium ex ſuperioribus deducatur ac pendeat, cùm aliàs nullus inter hoc & antecedentia eſset nexus.*

10. Spiritu ſervire Deo, *ver. 25. At ubi hic homo de ſe dicit, quòd ſpiritu legi Dei ſerviat? Mente ſe legi Dei ſervire dicit, ſed non ſpiritu, nec ſimpliciter dicit, ſe mente legi Dei ſervire, ſed addit*, carne autem legi peccati; *quod nihil aliud eſt, quàm ſe quidem animo & mente, lege divina delectari, cæterùm factis ipſis legi peccati deditum eſse.* Servire legi, *inquis*, eſt ſpiritualem cultum Deo exhibere in novitate ſpiritus. *Quis tibi hanc explicationem, hoc loco concedet Meiſnere? Num is ſpiritualem cultum Deo exhibet* in novitate ſpiritus, *qui carne legi peccati ſervit, hoc eſt, ipſo opere & facto variis peccatis indulget? Adeò falſum eſt, hunc hominem* in novitate ſpiritus, *ut tu dicis, Deo ſerviiſse, ut in vetuſtate literæ planè ſervierit, & ideo mente tantùm, non verò factis ipſis & opere.*

Conatur poſt hæc reſpondere Meiſnerus ad Socini argumentum, quo probat, Paulum de homine ſub Lege conſtituto, necdum ſpiritus Chriſti participe loqui, nempe quòd iſtis prorſus contraria, cum alibi,

tum

tum in eadem Epiſtola, etiam in hoc ipſo ac ſequenti capite, de hominibus per Christi ſpiritum renatis diſertè ſcribat. Reſpondet Meiſnerus, non eſſe abſurdum, contraria de homine renato enunciari alio atque alio reſpectu. Ait, renovationem noſtram hic inchoari non conſummari, ex ſemiſſe fieri non ex aſſe. *Si inchoationem & ſemiſſem renovationis id vocas, quòd aliquando ex infirmitate labantur renati, & à carne ſolicitentur ad peccatum, concedi iſtud poteſt. Sed quo pacto de talibus dici propterea poterit, eos eſſe carnales, eos peccati eſſe mancipia, eos non facere bonum, quod velint, ſed quod nolint malum? &c. Si verò ver inchoationem, & ex ſemiſſe tantùm factam renovationem, eam intelligis, quæ in irrito ſanctè vivendi & ab omni peccatorum habitu abſtinendi conatu poſita ſit, hanc nos iis relinquimus, qui regno cœlorum excludi volunt. Et quomodo rurſus de talibus dici poſſet, eos non ambulare ſecundùm carnem, ſed ſecundùm ſpiritum, eos à lege peccati liberos eſſe, in carne ampliùs non eſſe, hoc eſt, carnem per mortificationem illius veluti depoſuiſſe, eos ſpiritu carnis actiones perimere, ſpiritu Dei duci ac regi?*

In homine, *inquit*, renato duo contraria concurrunt principia, caro & ſpiritus, homo vetus & novus, homo exterior & interior, lex membrorum & lex mentis, lex carnis & ſpiritus, vetuſtas mortificata & novitas inchoata, quemadmodum Apoſtolus exemplo

ſuo

suo apertissimè docet. *In homine renato esse carnem & spiritum concedo; sed utrumq; in illo dominari nego, quod etiam ne fieri quidem potest. Caro in renatis servit, & vel invita spiritui præstat obsequium. Illi enim, qui Christi sunt, (hi autem renati tantùm sunt) carnem crucifixerunt cum affectibus & concupiscentiis. Est homo exterior, sed subjectus interiori: est lex membrorum & carnis, sed cassa prorsus & inefficax, quæ hominem nullo modo captivum reddit & mancipat legi peccati. De veteri autem & novo homine in renatis, paulò pòst dicemus. Neq; hæc novitas inchoata tantùm est, ut tu loqueris. Si enim vetustas est mortificata, novitas non potest esse tantùm inchoata. Quantum enim periit vetustatis, tantum accessit novitatis. An inchoata est novitas, ubi spiritus imperat, caro servit? ubi carnis opera non fiunt, sed spiritus fructus uberrimi proveniunt? ubi actiones carnis perimuntur? ubi corpus & membra corporis arma justitiæ Deo exhibentur? &, ut uno verbo dicam, ubi nulla est peccati consuetudo, & pro vitiis omnes adsunt virtutes? Addit Meisnerus:* Hinc fit, ut Renati dicantur spirituales & carnales: spirituales quoad novitatem inchoatam; carnales quoad vetustatem residuam, *&c. Proferat vel unum locum Meisnerus, in quo homines jam renati* carnales *vocentur? Nam quòd hunc, quem præ manibus habemus, locum huc accommodet, & Pauli exemplum nobis subinde inculcet, in eo principium, ut dicitur, manifestè petit. Residuam*

autem istam vetustatem, quam tamen paulò antè mortificatam esse dixerat, in eo esse sitam dicit, quatenus menti adhærent dubitationes & ignorantiæ, voluntati pravæ inclinationes, appetitui carnalia desideria. *Si istæ dubitationes & ignorantiæ sunt in rebus ad salutem necessariis, ibi nondum est regeneratio; si in aliis, hæc non efficiunt, ut homo propter eas carnalis dici possit. pravæ inclinationes in voluntate, aut sunt tantarum virium, ut hominem in peccato aliquo constrictum teneant, aut non sunt. Si sunt, cum regeneratione pugnant: si non sunt, carnalem hominem ideo non efficiunt. Idem de appetitus carnalibus desideriis, si à spiritu regantur, & in officio contineantur, dicimus.*

Ait porrò: Vt maximè caro mortificetur, non tamen penitus evellitur; licèt ei non obediatur, ad malum tamen instigare non desistit. Vnde fit, ut contraria de uno & eodem dicantur, nimirum carnalem & spiritualem esse; velle bonum & facere malum; consentire Legi, sed perficere non posse; mente servire legi Dei, carne autem legi peccati. Priora dicuntur quoad primitias novitatis, posteriora quoad reliquias vetustatis. Vtraq; verè, quod exemplum Pauli docet, & quivis pius in semetipso experitur. *Primò, in renatis omnibus, præsertim talibus, qualis erat Paulus; carnem nunquam desistere instigare ad malum, falsum est: cùm longo rectè faciendi usu & consuetudine caro sic sæpe dometur,*

metur, ut jam volens imperata ſpiritûs exequatur. Deinde falſum eſt, hominem qui carni non obedit carnalem, & quidem eo ſenſu, quo iſte homo Paulinus, dici, quòd inſtinctus tantùm & incitamenta carnis ad malum ſentiat. Hic enim carnalem ſe eſſe dicit, non propter carnis ad mala inſtigationem tantùm, ſed propterea, quòd eſſet carnis & peccati mancipium, quòd videret meliora, probaretq́; animo, deteriora factis ſequeretur. Porrò quemadmodum propter ſolum carnis ad mala inſtinctum homo non dicitur carnalis: ſic propter ſolum ſpiritus vel mentis ad bona inſtinctum nemo dici debet ſpiritualis. Hinc apparet, quàm falsò iſtum ſpiritualem voces, qui velit bonum, & faciat malum; qui conſentiat Legi, ſed ei non obediat; qui mente ſerviat legi Dei, carne autem legi peccati. *Hic enim nihil aliud habet, quam animi ad bona inſtinctum. Nonne tu ipſe hîc dicis,* Renatos carni non obedire, ſed tantummodo ab ea ad malum inſtigari? *Num verò is, qui malum reipſa facit, Legem non exequitur, legi peccati carne ſervit, carni non obſequitur? Itaq; ne contraria quidem hæc eſſe apparet, & ideo etiam Paulus ea de uno eodemq́; homine enunciat. Vult enim bonum reſpectu mentis & intellectus; facit malum, & bonum non facit, reſpectu carnis & appetitus, & ſic de reliquis. Sanè ſi in hoc tantùm novitas conſiſtit, non mirum eſt, quòd eam primitias tantum novitatis appelles. Verùm ſi primitiæ tantùm ſunt novitatis, quomodo reliquiæ tantum eſſe poſſunt vetuſtatis? V-*

tis? V-

tû? Vbi enim desinit novitas, ibi incipit vetustas, & contrà. An reliquiæ tantùm vetustatû sunt, re ipsa malum facere? peccati mancipium esse? legi peccati servire?

Verum enimvero non illa tibi concilianda erant, quæ tu concilias, quæq; nulla conciliatione indigent; sed ista: Venditum esse sub peccatum, captivum esse peccati, non facere bonum quod velis, facere malum quod odio habeas: & facere bonum quod velis, nec facere malum quod nolis: Peccatum in carne habitare, seu regnare: & peccatum in carne damnatum & exauctoratum esse, nec ampliùs in nostro mortali corpore regnare: Velle bonum facere, sed perficere bonum non invenire: &, non tantùm velle bonum facere, sed etiam abundantes, perficiendi bonum vires habere: Secundùm carnem ambulare: & non secundùm carnem, sed secundùm spiritum: Carne servire legi peccati; & non esse ampliùs in carne, sed in spiritu, carnem habere mortuam, corpus & membra præbere Deo arma justitiæ. *Hæc Meisnere sunt contraria, quorum priora de isto homine Paulino; hæc verò de renatis omnibus dicuntur. quæ quoniam inter se conciliari nullo pacto possunt, hinc apparet, illum hominem non esse Christi spiritu renatum. Hæc tibi, Meisnere, concilianda erant, si argumentum Socini solvere volebas.*

Pium quemvis id in se ipso experiri, quod Paulus

de isto homine dicit: nempe, quòd velit bonum, & faciat malum; consentiat Legi, sed perficere non possit; mente legi Dei serviat, carne legi peccati: tam verum est, quàm pium non esse pium, seu eum, qui non sit pius, esse pium. Nam *si per* facere malum, & perficere non posse legem Dei *id intelligas, quòd pius interdum aliquid mali faciat, & non exactè Legem servet, istud ad propositum non facit, cùm Paulus talem hominem introducat, non cui aliquando peccare contingat, sed qui peccandi consuetudine laboret.*

Dixerat superiùs Meisnerus, in renato homine esse veterem & novum hominem. *Hoc quia absurdum primo statim intuitu videtur, conatur id emollire & ostendere,* non esse absurdum dictu, unum eundemq; hominem novum & veterem esse. *Rem illustrat exemplis.* Valetudinarii, *inquit,* partim valent, partim non valent: nostrum hemisphærium ante solis ortum, partim lucidum est, partim tenebricosum: vinum aquâ dilutum, ex parte aqua est, ex parte merum, non quòd una pars sit merum, alia non item, sed quia totalis facta est commixtio. Sic homo quoad animam & corpus partim caro est, partim spiritus. *Verè tu nobis dilutam inducis pietatem & renovationem, Meisnere.* Nam *ut aliquam tibi carnis & spiritus mixturam in renatis concedamus, nunquam tamen tantam concedemus, quanta est in valetudinariis morbi & sanitatis; in crepu-*

crepusculo, lucis & tenebrarum; in vino diluto, meri & aquæ. Longè enim plus est spiritûs in renatis, quàm carnis; præsertim in talibus, qualis fuit Paulus. Non enim omnium renatorum æquales sunt gradus. Sunt alii, qui luctam carnis adhuc sentiunt. Sunt alii, qui jam penitus in obsequium carnem redegerunt, è quorum numero procul dubio fuit Paulus. Num ergo propter exiguas quasdam carnis reliquias renati, ut tu loqueris, tenebræ, caro, animales, carnales, vetus homo appellari merentur? Quis jam exorto sole (Christi enim doctrina in animis hominum exorta est instar Solis) tenebras esse dicet, etiamsi fortè non sit meridies? quis vinum dilutum appellabit, cui exigua quædam aquæ portiuncula sit admixta? quis valetudinarium vocabit eum, qui justas habeat vires, licèt interdum aliquâ parte corporis leviter doleat? Hinc renati appellari solent lux, in luce esse, & ambulare, veterem hominem deposuisse, exuisse, novum induisse dicuntur, & spirituales nominantur. At tenebras eos appellari, veterem hominem, carnem, carnales, animales, nullo Scripturæ loco ostendes Meisnere; sed ubiq; tenebris, veteri homini, vetustati, carnalibus & animalibus hominibus oppositos invenies.

Hinc patet, immeritò te negare, carnalem esse, & captivum teneri à peccato, non notare hominem absolutè non renatum, sed tantùm naturæ depravationem, & malum originis; quod non inferat absentiam renovationis, sed innuat tantùm, hanc esse imperfectam, non

verò penitus nullam. *Si enim renatus ille demum est, qui carni & peccato dominatur, sic ut non carnis nec peccati, sed spiritus ductum in omnibus actionibus sequi soleat, quo pacto carnalem & peccati captivum esse absentiam renovationis non inferet? & imperfectionem tantùm quandam ejus esse innuet, non verò cum ea prorsus pugnabit? Nam quòd in renatis caro adversus spiritum concupiscat, id nō in omnibus fit renatis, nec semper; qua de re jam antè dictum est: nec tamen propterea, qui istos carnis stimulos ad peccatum non ampliùs sentit, vel angelicam perfectionem sibi arrogat, vel Christi spiritum non habet, ut tu dicis. Angelica enim perfectio non in eo consistit, ut carnem spiritui obsequentem habeamus, sed ut ea penitus careamus. Spiritus etiam Christi non tantùm carnem adversum se excitat, quam excitat mens quoq; nostra, & lex divina; sed etiam domat, subigit, & diuturna bene agendi consuetudine sic sæpe in ordinem redigit, ut plerumq; adversus ejus imperata ne mußitet quidem. Quocirca tantum abest, ut caro edomita spiritus Christi absentiam arguat, ut nullum certius sit inhabitantis in aliquo Christi spiritus argumentum, quàm caro adversus honesta ac Deo placentia non ampliùs recalcitrans.*

At caro, *inquis*, non adversus carnem, sed adversus spiritum concupiscit. Hunc ergo qui accepit, carnem adversantem protinus sentit, ideoq; si non sentiat, spiritum Dei nondum accepit. *Neq; carnis adversantis repugnantia indicium*

cium est spiritum Christi adesse; neq; illius promta obedientia signum est, illum abesse: cùm & caro non tantùm adversus spiritum, sed etiam adversum mentem ac rationem concupiscat; et spiritus, ut dictum est, non tantùm carnem adversum se irritet ac provocet, sed etiam tandem domet, & penitus sibi subjiciat. Neq; *enim illa Pauli verba,* Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem, *sic debent accipi, quasi necesse sit, ut caro perpetuò concupiscat; sed tantùm carnem, quotiescunq; concupiscit, semper contra spiritum concupiscere. Hæc enim verba non ideo protulit Apostolus, ut ostenderet, in renatis esse perpetuam carnis & spiritus luctam, sed ut rationem afferret, cur dixerit, Galatas,* si spiritu ambulaverint, *id est, illius ductum secuti fuerint,* carnis cupiditatem non esse perfecturos; *quia nimirum contraria sint carnis & spiritus vota ac desideria. Verùm esto, carnem in renatis perpetuò spiritui adversari, num tamen inde sequetur, Renatum idcirco carnalem, & peccati captivum ac mancipium posse dici, licèt carnem frustra reluctantem per spiritum retundat, & opera carnis non perficiat, sed fructus spiritus uberrimos producat?*

Præterea etiamsi tanta esset in Renato mixtura carnis & spiritus, quantam tu dicis, non tamen simpliciter vel carnalis, vel spiritualis, vel novus, vel vetus homo, vel lux, vel tenebræ appellari posset, cùm neutrum sit, sed aliquid ex utroq; mixtum. Sic nemo hominem ex morbo convalescentem simpliciter sa-

num vel ægrotum dicit: nemo crepusculum simpliciter lucem vel tenebras, vinum dilutum simpliciter merum vel aquam vocat. Quocirca nec homines ex carne & spiritu mixti, quos Meisnerus renatos esse dicit, simpliciter vel carnales vel spirituales, frigidi vel calidi, sed tepidi (quales Christus ferre non potest) appellari deberent: nec de illis dici posset, quòd ambulent vel secundum carnem, non secundùm spiritum, quod in illo homine locum habet; vel secundùm spiritum, non secundùm carnem, quod de renatis asseritur, sed quòd ambulent & secundùm carnem, & secundùm spiritum, eorumq; vitam nec malam nec bonam esse, sed ex vitiis & virtutibus mixtam. O egregiam Christianorum pietatem! Hoccine est illud, quod scribit Apostolus, Deum nos sibi reconciliasse per mortem Christi, ut nos constitueret sanctos, & irreprehensibiles, & inculpatos coram se? Christum seipsum tradidisse pro Ecclesia, ut eam sanctificaret, & exhiberet sibi gloriosam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi? *Hæccine est illa sincera pietas, quam Apostolus in Christianis requirit, cùm jubet,* ut sint sinceri, & sine offendiculo, in diem Christi, pleni fructuum justitiæ eorum, quæ per Christum Iesum in gloriam & laudem Dei? *Quid? talis mixtura carnis & spiritus hominem non nisi malum & carnalem efficere potest. Virtutes enim cum vitiis misceri se non sinunt. desinit esse virtus, cùm vitiosa actio repetitur. Itaque si iste homo*

homo Paulinus ex carne & ſpiritu, ex luce & tenebris, ex novitate & vetuſtate, ex virtutibus & vitiis mixtus & coagmentatus erat, eo ipſo renatus, ſpiritualis, verè Chriſtianus non erat. Qui enim Christi ſunt, in carne ampliùs non ſunt, carnem crucifixerunt cum affectibus & concupiſcentiis, lux in Domino ſunt, in luce ambulant, filii lucis ſunt, novi ſunt, vetuſtatem depoſuerunt, *omnibus denique virtutibus ornati, nullo vitio contaminati ſunt.*

Hoc inſuper hîc notandum eſſe monet Meiſnerus, homines in Scripturis duplici ſenſu dici carnales. 1. quidam ſunt carnales purè & ex toto, in quibus caro unicè dominatur, ut in non renatis. 2. quidam ſunt carnales reſtrictè, & ex parte, in quibus caro quidem adeſt, ſed per ſpiritum ſupprimitur, non dominatur, ut in renatis. *Obſcurè loqueris Meiſnere, & monſtrum aliquod tegis, cùm carnem in non renatis* unicè *dominari aſſeris. Quid enim ſi non* unicè *ſeu nō ſola caro dominatur, ſed etiam dominatur ſpiritus, & partitam inter ſe habeant dominationem, ſic ut nunc caro imperet, nunc ſpiritus? An tu iſtum hominem purè & ex toto carnalem, & non renatum, an verò reſtrictè tantùm carnalem, id eſt, renatum, appellabis? Si prius, quomodo iſte Paulinus purè & ex toto carnalis non erit, qui nunquam ſpiritui, ſed ſemper carni, licèt invitus, morem geſſerit? Si poſterius, apage cum tali genato, qui nunc ſecundùm carnem, nunc*

secundùm spiritum ambulat. Renati qui sunt, nō ambulant secundùm carnem, sed secundùm spiritum, peccato sunt mortui, carnem crucifixerunt, spiritus in illis vita est propter justitiam, caro mortua est propter peccatum. Quodsi verò non divisum carnis cum spiritu imperium in renatis significas, & per istos restrictè & ex parte carnales eos intelligis, qui carnem per spiritum plerumque & ex consvetudine supprimunt, nec unquam vel ex habitu, vel deliberata voluntate, graviterq́ peccant, istos in Scripturis carnales appellari, quo Scripturæ loco evinces? Num verò talis fuit iste Paulinus homo? num supprimebat carnem per spiritum, qui carnis & peccati mancipium se fuiße apertissimè testatur, & eo nomine miserum se eße queritur? Imò verò caro supprimebat mentem & hominem ejus interiorem, eumq́ invitum ac reluctantem legi peccati mancipabat.

Quidam, *inquis*, sunt carnales ob servitium, quidam tantùm ob sensum carnis: illi peccato consentiunt, hi duntaxat sentiunt. *Nec sentire tantùm carnem aut peccatum, carnalem hominem constituit; nec iste homo tantùm sentiebat carnem vel peccatum, sed planè carni serviebat, & peccato consentiebat.* Illi peccant mortaliter, *inquis*, hi venialiter. *Illos quidem mortaliter peccare, idq́ si graviter aut ex consvetudine peccent, concedimus; hos verò verè peccare negamus.* Illi, *pergis*, totaliter & absolutè caro, hi verò tantùm carnales dicuntur. *Nec illi uspiam in sacris literis caro,*

nec

nec iſti carnales appellantur. Caro appellantur homines propter naturæ fragilitatem & imbecillitatem, quæ non minùs renatis, quàm non renatis competit. Carnales autem appellantur propter vitia & vitam carnalem; quæ in illis haud eſt, qui tantùm ſentiunt carnem, non vero illi ſerviunt, vel conſentiunt. Planè ergo vocabulorum ſignificationem pervertit Meiſnerus, & quod nomen renatis pariter & non renatis commune eſt, non renatis proprium; quod verò his proprium eſt, utrisque commune facit. Itaque non Photiniani, *ut addis,* propterea, quòd iſtas diverſas ſignificationes carnalium hominum confundant, turpiter errant: *ſed Meiſnerus diverſas ſignificationes illîc quærens, ubi nullæ ſunt, pernicioſo errori patrocinium excogitat.*

II. De Auguſtini hujus loci expoſitione.

S*Cribit Socinus, Auguſtinum credidiße,* Pauli ſententias in hoc capite ita poſſe ac debere accipi, ut de ipſa tantùm concupiſcentia verba fiant, ſine ullo ei adhibito aſſenſu, nedum ut ea ad effectum perducatur. *&c. &c. Meiſnerus non ſolùm hanc Auguſtini mentem fuiße concedit, ſed etiam hanc ipſam eße veritatem aßerit. Gratulamur ſanè Meiſnero, quòd licèt falſam, minùs tamen noxiam & periculoſam hujus loci amplectatur explicationem. Cæterùm nullâ injuriâ Evangelicos iſtos, contra quos ſcribit, Socinus afficit, cùm aßerit,*

illos ex hoc loco potiſſimùm ſtatuere, hominem quantumvis regeneratum et juſtificatum, donec in hac vita mortali fuerit, ab ipſius peccati ſervitute minimè liberum eſſe. *Iſti enim Evangelici ita planè ſtatuunt, licèt Meiſnerus aliter ſe ſtatuere, & Auguſtini exegeſin ſequi dicat. Et ſanè, ſi verum eſt, Apoſtolum hîc de ſeipſo, & quidem Chriſti ſpiritu jam regenito loqui, jure ac meritò id ex hoc loco ſtatui deberet, cùm Apoſtolicæ orationis & ſcopus, & ipſa verba, quemadmodum ſuprà vidimus, non patiantur, ut hunc locum de ſola peccati concupiſcentia irrita & inefficaci accipiamus. Adde, quòd ipſe Meiſnerus infrà contendat, etiam irritam ac repreſſam concupiſcentiam peccatum eſſe. Porrò ſi id, quod dictum eſt, ſtatuatur, conſequi ex eo neceſſariò, quòd nihil ſit opus ad ſalutem, ut homo Chriſtianus à peccati ſervitute ſit liber, ne Meiſnerus quidem negaturus eſt. Injuriâ igitur Socino* crimen falſi *objicit, quòd hoc ex illa ſententia neceſſariò fluere oſtendat. At* quinam, *inquit*, ex noſtris ita docuerunt unquam? *Non longè teſtes arceſſendi ſunt, tu ipſe es Meiſnere, qui hoc doces. cujus rei te in proximo quod ſequitur membro, ſtatim convincemus. Sed non docuerint hoc Lutherani; at docuerunt & docent illi, quos Socinus oppugnat. Scriptum in epiſtola quadam reliquit Beza:* Velle peccatum & facere, eorum demum eſt, qui ſunt in peccato mortui, id eſt, omnium, qui non ſunt renati. Nolle autem malum & tamen facere, ſanctorum eſt,
qui

qui luctantur. Nec velle verò malum nec facere, ejus demum victoriæ donum eſt, quam in altero ſeculo ſperamus. *An iſte non apertiſſimè ſanctis & renatis tribuit, quòd malum faciant, non ſecùs ac non renati, tantùm in eo alteri ab alteris differant, quòd hi volentes, illi nolentes id faciant? Num verò hoc non eſt ſub peccati jugo & ſervitute perpetuò verſari? Quid? gravior eſt iſta ſervitus, quam quis invitus tolerat, nec à cervicibus ſuis dejicere poteſt, quàm cui libens volensq; ſe ſubjicit.* Libertatis ſervaveris umbram, *inquit ille*, ſi, quidquid jubeare, velis.

III. An ex Lutheranorum de bonis renatorum operibus, deq; juſtificatione doctrina, ſequatur, ad ſalutem opus non eſſe, ut à peccati ſervitute ſimus liberi?

QVomodo, *inquis*, probabit Socinus talia & tanta abſurda ſententiam noſtram conſequi? *Fortaſſis, Meiſnere, ſi veſtram ſententiam clariùs & ingenuè, ut decet, exponeretis, id ipſum ex ea conſequi, ſeu potiùs in ea dici, demonſtratu non fuerit difficile. Dicitis quidem, in renatis non dominari carnem, ſed ſpiritum: dicitis, eos liberatos eſſe à ſervitute peccati: dicitis, eos non tantùm velle, ſed etiam reipſa bene agere: Verùm, quid per dominatum vel carnis vel ſpiritus, quid item per ſervitutem peccati intelligatis, & quàm latè iſta bona opera extenda-*

tis,

tis, clarè dicere non audetis. Quid enim per dominatum carnis intelligitis aliud, quàm si quis sine ulla spiritus lucta malum velit & faciat; per dominatum autem spiritus, si quis adversùm carnem id, quod bonum est, velit & cupiat, licèt plerunq; vincat caro, & ipso opere nos complere malum faciat. Similiter per servitutem peccati talem servitutem intelligitis, cùm quis prorsus in eam animo consentit, nec eam excutere perpetuò cupit. Deniq; bona opera non ita extenditis, ut omnis vitiosus habitus penitus absit, omnes autem virtutes adsint. Itaq; vestrâ sententiâ ad id, ut aliquis verè renatus ac proinde justificatus sit, hoc solùm reqiritur, ne in ipso caro, ut suprà locutus es, unicè *dominetur, ut carnis & spiritus luctam sentiat, ut nolens sit in carcere peccati: hæc enim renatorum eße propria, quæ illis solis competant, ipse suprà dixisti, pag. 126, 127: nõ verò ne ullo modo caro in ipso dominetur, nec ullius actionis vitiosæ habitu sit infectus. Hinc tu suprà tantam carnis & spiritus, lucis & tenebrarum, vetustatis & novitatis, mixturam in renatis invexisti,* eorumq; renovationem imperfectam, nõ penitus nullam *eße statuisti: in ipso Paulo, quatenus Renatus ex spiritu erat,* aliquid tantùm boni habitare *affirmasti:* renatos non in plena spiritus luce, sed tantùm in spiritus crepusculo hic vivere *dixisti. Hinc etiam alibi* renatos quotidiana peccata committere *aßeruisti pag. 119. Quæ omnia manifesto sunt indicio, te nequaquam renatis solidam ac sinceram vitæ sanctimoniam,*

moniam,

moniam, quæ omnem prorſus peccati conſuetudinem excludat, tribuere. Atq; id procul dubio ſignificare voluiſti, cùm hîc de eo, quantam pietatem in renatis agnoſcatis, diſſerens ad extremum ſubjicis; quanquam negare haud poſſumus, quòd talibus actionibus quædam adhæreat imperfectio, & Legem renati velint pleniùs obſervare, quàm poſſunt ob carnis infirmitatem. *Quæ verba ſi de ea imperfectione loquantur, quòd interdum renati ex infirmitate, non verò ullo pacto ex habitu & conſuetudine ullâ peccent, vera ſunt, & à nobis lubenter conceduntur: Si verò de ea imperfectione agunt, quâ quis inſitæ, ut vobis videtur, vitioſitati ſic mancipatus eſt, ut ei obſequi ſæpè cogatur, falſa ſunt, & veſtram de renatorum mutila ac manca pietate ſententiam produnt. Hinc etiam factum fuiſſe puto, cur Socini verba, quibus Evangelicis objicit, quòd regeneratum & juſtificatum, Deo Chriſtoq; gratum hominem, peccati ſervum eſſe putent, anxiè & ſolicitè colligens, eaq; ſugillans, illorum nullam feceris mentionem, quibus, quâ in re Evangelici univerſam hominis renati pietatem collocent, clariſſimè exponit, cùm ait,* Evangelicos ſtatuere, in iis, qui coram Deo juſtificati ſint, ſincerum quidem ſtudium & conatum eſſe debere Chriſti præceptis obtemperandi, cæterùm effectu ſuo ſtudium & conatum iſtum plerunq; carere, & vitioſitatem, quæ in contrariam partem rapiat, & peccati jugum excutere non ſinat, omnibus juſti-

ficatis

ficatis & regeneratis perpetuò inesse. *Nimirum istud ipsum & tu sentis Meisnere, ideoq; hæc verba ne commemoras quidem, ullāve vobis per ea fieri injuriam conquereris. At si hæc est renatorum hominum pietas, annon inde neceßariò consequitur, non opus eße, ut studium & conatus Christi præceptis obtemperandi plerunq; effectum suum habeat, utq; peccati, id est, malarum actionum jugum à cervicibus nostris, quandiu hîc vivimus, dejiciamus. Hanc verò sententiam cùm ex isto Pauli loco cap. 7. ad Romanos hauseritis, meritò vobis id ipsum objici potest, quod aliis Evangelicis Socinus objecit, qua in re tu insigni vos affici injuriâ, & à Socino crimen falsi committi dixisti.*

Vnde porrò apparet, fucatum & fictitium id esse, quòd dicatis, vos cum Augustino istum Pauli locum, de sola concupiscentia, sine ullo ei adhibito assensu, nedum ut ea ad effectum perducatur, *accipere; cùm talis homo, qui concupiscentiam, & voluntate & factis, perpetuâ consuetudine reprimere soleat, ullius actionis vitiosæ mancipium nequaquam eße dicendus sit. Adde, quòd si hæc verba cap. 7. de ipso Paulo regenito intelligi debeant, quæcunq; tandem vobis eorum explicatio & sensus eße videatur, non debebas simpliciter dicere, Socinum vos insigni injuriâ afficere, & crimen falsi committere, quòd dicat, vos ex hoc loco statuere, hominem regenitum à peccati servitute in hac vita minimè liberum eße, ac proinde non eße opus, ut quisquam ab*

ea sit

ex sit liber; cùm iste homo apertissimè se peccati mancipium & captivum esse, se peccato servire, bonum quod animo approbet, non facere, malum verò quod improbet, contra animi sui voluntatem, quæ maxima est servitus, patrare, fateatur. Sed debebas vel Socini verba admittere, vel saltem per distinctionem aliquam ad ea respondere, & certo sensu concedere, certo negare. Concedere, si cum Augustino per peccatum, *&* malum, quod iste homo faciebat, *nuda concupiscentia intelligatur: Negare, si actio vitiosa ex ista concupiscentia orta. Verùm quomodo istud negare ausus esses, qui istud ipsum, ut antè comprobavimus, sentias? Quid ergò? Num ultro cadit Socini criminatio, ut subjicis, cùm ait,* Satanam, sicut per Evangelicorum de prædestinatione & servo arbitrio sententiam effecerit, ut homines credant, nihil quod ad vitæ sanctitatem attinet, in sua potestate situm esse, sic per eorundem de justificatione sententiam effecisse, ut credant, sanctimonia vitæ ad salutem opus non esse? *An enim opus est ad salutem vera vitæ sanctimonia, id est, perpetua benè agendi consuetudine, si bona opera nihil ad salutem conducunt? An opus est, ne in ullo peccati habitu maneas, si regeniti & justificati homines plerumq; peccent, seu ob insitam vitiositatem peccati habitus deponere non possint? An opus est propria vitæ innocentia, si Christus & agendo & patiendo pro nobis satisfecit, nec quicquam aliud ex nostra parte ad salutem requiritur,*

quàm

quàm ut paratam alienis meritis justificationem, exerta tantùm fidei manu apprehendamus, Christiq́, merita nobis applicemus? Et tamen quæris: Quæ est assertio, quod principium nostrum, ex quo illud consequatur?

Ais, multa potiùs esse in religione vestra incentiva, quæ ad curandam vitæ sanctimoniam instigent. *At num ista quoq́, quæ commemoravimus, dogmata inter incentiva pietatis numeranda sunt? Quid verò attinet vel mille alia dari in religione vestra sectandæ pietatis incentiva, si, quod una manu adstruxistis, altera destruatis. Verùm age, incentivorum istorum vim expendamus. 1.* Nostra, *inquis*, religio docet fidem justificantem non esse otiosam, sed in exercitio virtutum negotiosam. *ad quod declarandum paulò pòst addis:* Vt èformis proprietates ebulliunt, & ex bona arbore fructus nascuntur: ita fidem justificam bona opera semper comitantur. *Aut, Meisnere, istud, quod dicis, falsum est; aut vestra fides, quam justificam dicitis, vera fides non est. Quis enim est, quæso, nexus, quæ copula inter istam fidem, qua creditur, Christum pro nobis Deo & agendo & patiendo plenissimè satisfecisse, & inter bonorum operum studium? Ostende, quæso, quam vim habere possit ista fides, ad adjungendum sibi virtutum omnium comitatum? Si Christus omnia pro me præstitit, omnes pœnas pro me dependit, omni debito me liberavit, nec quidquam aliud ex mea parte requiritur, quàm ut*

rem ita ſe habere credam, hoc ſi credidero, eo ipſo juſtificatus jam ſum. Ergo peccare, carni indulgere, non debeo? Profectò hoc ex illo conſequi, ut eadem illa veſtra fide, qua creditis omnia, credatur oportet. Quid enim ſi id facere nolim, ſi in peccatis hæſero, quid fiet? Num propterea damnabor, & à ſalute excludar, qui firmiſſima fide Chriſti meritum amplector? Si damnabor, jam præter fidem, bona opera ad juſtificationis adeptionem pertinebunt. Si verò non pertinent, damnari, cùm fidem habeam, licèt bona opera non habeam, quî potero? At fidem nõ habes, niſi bona opera habeas. Oſtende igitur, quo vinculo iſti fidei adhæreant bona opera? An quia gratus eſſe debeo? At ſi me iſtud facere peccati ſuavitas, virtutis aſperitas non ſiverit, num idcirco mea fides nullarum erit virium? Num fortè accepta beneficia hominem gratum, & quidem adeò gratum, ut omne prorſus peccatum abjiciat, protinus efficiunt? Hoc ſi verum eſt, nullus ingratitudini, quâ nihil eſt frequentius, relinquitur locus. Quid? nonne Chriſtus noſtri loco, ut omnes alias virtutes, ita & gratum animum Deo præſtitit? Quid igitur opus eſt ut ipſi grati ſimus, ſi Chriſti gratitudinem nobis imputari firma fide credamus?

Iam alibi, niſi fallor, oſtendimus, Meiſnere, involvi contradictionem, cùm bona opera ad juſtificationem nihil prodeſſe dicuntur, & tamen bona opera ex fide neceſſariò fluere & oriri affirmantur. Fides enim omnem vim pariendorum ex ſe naturâ ſuâ bonorum operum inde habet, quòd credantur ad com-

parandam nobis justificationem & æternam salutem conducere. Hoc nisi credatur, ne fingi quidem ulla fides potest, quæ ea vi naturaq; sua secum trahat. Quid enim aliud est, quod homines ad bona opera, eaq; adeò ardua, qualia pietas Christiana requirit, ita impellere possit, ut ea omittere planè nolint, quàm summi boni & felicitatis per ea consequendæ spes certissima. Iam verò si credatur, illa ad felicitatem istam consequendam nihil facere, sed aliud quidpiam multò facilius illius consequendæ esse remedium, quis erit adeò sibi & carni suæ infestus, ut eam crucifigere velit, & perpetuo bonorum operum exercitio frangere ac fatigare? Itaq; vanum prorsus est istud vestrum inventum, quo bona opera à causis justificationis excluditis, fidem tamen bonorum operum esse feracem dicitis. an quia fides miraculosa quadam ratione bona opera secum trahat? at talem fidem docere, quid aliud est, quàm omne bonorum operum studium compendio evertere? quis enim de bonis operibus erit solicitus, qui sciat, se miraculo probum fieri posse?

Quodsi autem nulla fides naturæ vinculo bona opera secum trahit, quin illa ad salutem & justificationem per se requiri, ac illius esse causa statuantur, minimè omnium id faciet ista fides, qua Christi meritum apprehendimus. Hæc enim suâ naturâ sic est comparata, ut bonorum operum studium mirificè impediat. Quis enim bona opera summo studio sectabitur, qui non tantùm ea ad justificandos homines nihil spectare persvasum habeat, sed etiam plenissimè

pro se

pro ſe, ſive obedientiam Deo præſtandam, ſive pœnas Deo debitas reſpicias, ab alio ſatisfactum eſſe credat? Sanè mirum non eſt, Meiſnere, quòd bona opera adeò imperfecta eſſe dicatis, ut multò magis in irrito conatu Chriſti præceptis obtemperandi, quàm in ipſa obedientia vobis ſint poſita; cùm iſta veſtra fides ne ad talia quidem producenda ullam vim habeat, nedum ut veram ac ſolidam pietatem, qualis in Chriſtiano homine requiritur, producere poſſit. Rurſum pietati Chriſtianæ adeò decurtatæ, quid mirum eſt, quòd nullas juſtificandi hominis coram Deo vires tribuatis? Sic error errorem trahit. Nam & ideo friget bonorum operum ſtudium, quòd bona opera ad juſtificandum & ſalvandum hominem non pertinere credantur: & quia frigent, jure non pertinere dicuntur.

2. Noſtra religio, *inquit,* legem moralem non deſtruit, ſed omnibus renatis ceu normam operum proponit ac inculcat. *Quid juvat proponere & inculcare legem moralem, ſi illius obſervatio nihil pertinet ad hominem juſtificandum? ſi ſola fides, quatenus quibusvis bonis operibus opponitur, ad ſalutem æternam ſufficit? ſi Chriſti perfectiſſima obedientia per iſtam fidem omnibus applicari, & imputari poteſt?*

3. Noſtra religio quotidianam carnis mortificationem præcipit. *At cur præcipit, & quo ſucceſſu, ſi carnis mortificatio nihil ad ſalutem comparandam pertineat? Veſtra igitur religio ſibi ipſi non conſtat. Nunc bona opera à cauſis juſtificationis penitus*

nitus excludit, nunc tamen ea urget & præcipit. Itaque neceſſe eſt, ut iſta præceptio vana ſit, & inefficax, quod etiam ipſa teſtatur experientia. Qualem verò tu mortificationem carnis quotidianam *intelligis Meiſnere, cùm huic doctrinæ maximam vim ad excitandam veram ſanctitatem, & ardens bonorum operum ſtudium adſcribis? Talemne, quæ luctam tantùm quotidianam ſpiritûs cum carne, non verò quotidianam victoriam, aut ſi victoriam, non minùs, imò etiam multò magis carni, quàm ſpiritui communem deſignet? Atqui tantum abeſt, ut doctrina de tali carnis mortificatione hominem ad veram ſanctitatem excitet, ut ne aſpirare quidem ad eam quenquam ſinat. Si enim renatorum ſanctitas in eo conſiſtit, ut ſpiritus cum carne luctetur, licèt ab ea creberrimè vincatur, an quisquam eò contendet, ut carnem domet, & ſpiritui ſubjectam reddat? quâ in re demum vera Chriſtianorum ſanctitas conſiſtit.* At hominis renovatio non fit ſtatim, ſed paulatim. *Quid tùm? paulatim ergo, & quotidie ſpiritus carni ſpolia detrahat, eamq́ue continuis victoriis, novisq́ue ſubinde cladibus affectam domet, & ſibi ſubjiciat.*

Oritur, *inquis*, ex hac doctrina humilitas, quia infirmitatem ſuam agnoſcere diſcunt renati. *At infirmitatem ſuam diſcere poſſunt aliunde, etiamſi non peccent crebrò, & ex conſvetudine. Hæc enim non infirmitas eſt, ſed improbitas. Diſcere poſſunt ex eo, quòd etiamſi nolint, tamen labi eos interdum contingat; itemq́ue ex eo, quòd propriis viribus,*

ſine Chriſti ſpiritu, carnem vincere non poſſint; denique ex eo, quòd ſtimulos carnis ſentiant, quanquam alii crebriùs, alii rariùs, alii majores, alii minores, prout renovatio eſt major & perfectior.

Oritur, *pergis*, & fidelis precatio, quia pro remiſſione peccatorum quotidie ſuſpirant. *Iſtud facere poſſunt, etiamſi quotidie non peccent, nec in ullo peccato hæreant. imò quantò ſunt juſtiores, tantò eorum precatio eſt ardentior & efficacior. Quaſi verò, ut poſſimus fideliter quotidie remiſſionem peccatorum petere, neceſſe ſit quotidie peccare? An ea, quæ jam commiſimus, peccata tanti non ſunt, ut eorum remiſſionem intimis & ardentiſſimis ſuſpiriis à Deo nō tantùm quotidie, ſed indeſinenter petamus?*

Vera ſpes & fiducia, quia ad ſolum Deum confugiunt. *An qui carnem domuerunt, & ſpiritui penitus emancipârunt, ad ſolum Deum non confugiunt? Num vel ſine Deo ad hunc ſtatum pervenire, vel in eo perdurare, majoresq́ in dies in pietate progreſſus facere poſſunt?*

Filialis timor, quia de nulla perfectione gloriari poſſunt. *quaſi verò de perfectione aliqua gloriari, ſi quis in Domino glorietur, cum filiali timore pugnet. adde quòd ea quam in renatis agnoſcimus pietatis perfectio, multis partibus imperfecta ſit.*

Et conſtans ſub cruce patientia, quia ſe crebrò cecidiſſe recordantur. *Eſto, ſed cùm nondum verè renati eſſent: poſtquam autem verè renati ſunt,*

 non

non ampliùs crebrò cadunt, id est, peccant; crebrò, inquam, sic, ut peccato dediti esse meritò dici possint. Neque verò tantò minùs patientes in cruce erunt, quantò minùs peccant, cùm hoc ipsum, in cruce patientem esse, eximia sit virtus, multarumq́ virtutum effectus. Num quia Christus innocentissimus fuit, idcirco minùs in cruce fuit patiens? Malorum est hoc solatium, ideo crucem patienter ferre, quòd eam fueris meritus. bonos contrà innocentia solatur, & in cruce patientes atque constantes facit.

Et promptitudo ignoscendi proximo, quia neminem à labe immunem fatentur. *Quasi verò & ille, qui cujusvis peccati consuetudinem deposuit, ab omni labe idcirco sit immunis, nec peccatorum remissione indigeat?*

Vera animi contritio, & perpetua pœnitentia, quia in carne sua peccatum habitare non inficiantur. *De renatis uspiam in sacris literis dici, quòd peccatum in carne ipsorum habitet, falsum est. imò si in carne non sunt, si carnem crucifixerunt, si peccatum in carne ipsorum damnatum seu exauctoratum est, si justitiæ serviunt, & justitia in illis habitat, quomodo ampliùs peccatum in carne renatorum habitare dici potest? Unde etiam apparet, non rectè Augustinum, in verbis à te initio hujus tertii incentivi citatis, de renatis scripsisse:* Quandiu vivis, necesse est peccatum esse in membris tuis, saltem illi regnum auferatur. *Non animadvertit Augustinus, idem esse apud Paulum, peccatum in*

nobis

nobis habitare, & peccatum in nobis regnare. Regnat enim peccatum, cùm non facimus bonum, quod volumus, ſed malum, quod nolumus. At idem efficit etiam habitans in nobis vel carne noſtra peccatum, quemadmodum ex Pauli verbis Rom. 7. ver. 17, 18. manifeſtum eſt. Porrò ſi per veram animi contritionem, & perpetuam pœnitentiam eam intelligis, quæ ex eo, quòd quis perpetuò, vel ſaltem ſubinde, & quotidie peccet, oriatur, apage à renatis talem contritionis & pœnitentiæ perpetuitatem. Pœnitentia & contritio animi non peccando perpetuanda eſt, ſed dolendo & reputando, quàm graviter Deum perſæpe offenderis, & quàm etiam adhuc à peccando prorſus immunis non ſis. Nec ſubinde nova, ſed vetera peccata deflenda ſunt; ut tantò meliùs pœnitentiæ lachrymis elui poſſint, quantò diutiùs eluuntur. Quid prodeſt pœnitentia, quam repetita excipiant peccata? Qui tacto mortuo lavat, *inquit Eccleſiaſticus*, rurſumq; tangit, quid lotione profecit? Similiter homo, qui propter peccata ſua jejunat, deinde rurſus eadem commiſſum it, ejus preces quis exaudiet? aut quid is ſeipſum affligendo proficit? *Illudere hoc eſt Deo, non veram & ſeriam pœnitentiam agere.*

Voluptatum mundanarum contemtus, quia carnem mortificare & reprimere annituntur. *Imò verò voluptates mundanas adhuc verè non contemnunt, qui carnem mortificare tantùm & reprimere annituntur, nondum verò mortificârunt & repreßerunt:*

preßerunt: nec illi, qui annituntur carnē crucifigere, sed qui re ipsa crucifixerunt, verè Christi sunt, Gal. 5. & isti demum voluptates mundanas contemnunt.

Ardor ad audiendum verbum Dei, quia ex illo concupiscentiam potenter reprimi experiuntur. *At quomodo experiuntur, ex verbo Dei concupiscentiam potenter, potenter, inquam, reprimi, si nonnisi quotidie & creberrimè peccare poßunt? si quamdiu vivunt, carnem sic domare nequeunt, etiamsi omnibus viribus contendant, ne ullam vitiosam actionem subinde repetant? Quodsi ergo illi demum ardent divini verbi audiendi desiderio, qui ejus summam vim in domanda carne sentiunt & agnoscunt, quinam magis illius audiendi amore flagrabunt, quàm qui per illud carnem & ejus cupiditates sic repreßerunt, ut rarò vel nunquam peccent?*

Et certitudo de inhabitante Spiritu sancto, quia luctam carnis nonnisi renati sentiunt. *Hoc falsum eße, suprà docuimus. deinde non illi confestim filii Dei sunt pleno sensu, & vitæ æternæ hæredes, in quibus divinus spiritus habitat, sed qui eo se regi duciq; sinunt, Rom. 8. 14.*

Denique serium mortis desiderium, ardensq; vitæ æternæ cupiditas, quo tandem plenè renoventur, ideoq; exclamant cum Apostolo Paulo: Infelix ego homo, quis me liberabit ex corpore mortis hujus? *Num etiam hoc inter virtutes numerandum est, Meisnere, si quis mortem seriò desideret? Paulus certè vivus transmutari*

tari maluisset, quàm mortuus. Quod verò alibi mortem proponat vitæ, id non virtutis, sed privati commodi causâ fecit. David certè vivere maluit, quàm mori, idq́ ideo, ut Deum colere & laudare posset. Neq́ *iste Paulinus homo, cùm dicit,* infelix ego &c. *mortem ullam optat, sed à morte liberari cupit, illâ nempe, de qua superiùs est locutus, quæ peccati servitus est; ideoq́ non simpliciter dicit, ex corpore mortis, sed* mortis hujus. *Unde etiam apparet, corpus mortis non significare corpus mortale, sed Hebraico more poni pro ipsa morte, ut cap. 6. 6. corpus peccati, pro ipso peccato, ad Coloss: cap. 2. 11. corpus peccatorum pro ipsis peccatis. Quodsi verò mortis desiderio teneri, adeò præclarum Meisnero videtur, cui magis id convenit, quàm illi, qui paratus est mori? Ille verò demum paratus est, qui carnem subegit, & domuit assvetudine virtutis, qui se victorem carnis & totius mundi videt. Victori enim reposita est corona vitæ, & cœlestium bonorum possessio. At mortem ideo desiderare, quòd caro tibi molestiam facessat, quòd te invitum et reluctantem vitiosæ actioni mancipet, iis simile est, qui desperatione adacti venenum hauriunt. Qui spiritum Dei ac Christi habet, in quo ipse Deus & Christus habitat, huic carnem vincere, & plenè renovari non adeò est arduum, ut morte sit opus; quâ non tantùm vitia, sed & virtutes simul tolluntur.*

Quod verò ad ardentem, eamq́ constantem vitæ æternæ cupiditatem attinet, hæc similiter eorum demum est, qui sanctè & inculpatè coram Deo vivunt.

Nam quanto quis sanctiùs vivit, tanto ardentiùs ad æternam salutem suspirat: Contrà etiam, quanto quis ardentiùs salutem expetit, tanto sanctiùs vivit. Mutuò sibi ista subserviunt. Neq; verò vitam æternam idcirco cupimus, ut tandem plenè à vitiis renovemur, cùm vitiis, ut nec virtutibus multis, in cœlesti vita nullus futurus sit locus, non erimus illic magis justi, (quis enim locus est justitiæ, ubi null⁹ est locus injuriæ? quis sobrietati, ubi neq; venter est neq; cibi? quis castitati, ubi angelicæ omnium erunt nec ullis nuptiis aut libidini obnoxiæ naturæ? quis item patientiæ, ubi non erit quod patiaris; aut liberalitati, ubi non erit quo indigeas, relinquetur locus?) sobrii, casti, injuriarum patientes, liberales, benefici. Ideo Paulus monet, ut in hoc seculo *sobriè, castè, justè, piè vivamus: Sed vitam æternam cupimus; ut ratione naturæ non plenè, sed planè, & de integro renovemur, seu, ut mortali natura deposita, immortales evadamus, & ingentia illa pietatis præmia referamus.*

Iam porrò, Meisnere, ut eò unde profecti sumus, revertamur, si per quotidianam carnis mortificationem, *eam, quæ verè mortificatio est intelligas, nempe ut spiritus non tantùm perpetuò cum carne luctetur, sed etiam perpetuò carnem premat & subigat, aut rarò admodum, idq; in rebus tantùm levioribus, non subigat: de tali mortificatione carnis doctrinam, magnam vim habere ad excitandam veram sanctimoniam, lubenter concedimus, & ipsi urgemus. Verùm, ut dictum est, talem doctrinam vestra de Iu-*

stificatione

ſtificatione & bonis renatorum operibus ſententia penitus excludit: & tu ipſe etiam poſt enumeratas illis virtutes, quæ ex carnis perpetua rebellione & crebra victoria, id eſt, ex vitiis naſcantur, ſubjicis: Hæc omnia virtutum exercitia impediunt ii, qui perfectam piorum renovationem fingunt. Ex quibus verbis apparet, te nolle piorum perfectam renovationem admittere: quod nihil aliud eſt, quàm te velle, ut peccata à piis committantur, quò iſtis à te commemoratis virtutibus locus relinquatur. hoc verò quid aliud eſt, quàm Eſſe facienda mala, ut eveniant bona? Annon multò magis florerent virtutes, ſi vitia penitus extirparentur? Verùm cùm perfecta renovatio piorum triplicem adhuc gradum habeat: unus eſt, cùm caro quidem adhuc repugnat ſpiritui, ſed plerunq; vincitur: ſecundus, cùm caro ſic domita eſt & manſvefacta, continuo & diuturno rectarum actionum uſu, ut jam in plerisq; ferociam omnem poſuerit, & prona cervice ſpiritus jugum ſubierit, licèt in quibusdam adhuc non ſolùm recalcitret, ſed etiam ſpolium aliquod ſpiritui detrahat: tertius eſt, isq; ſummus & eminentiſſimus, cùm caro nulla ampliùs in re ſpiritum vincit ac ſuperat: In primo quidem gradu neceſſe eſt ut omnes conſiſtant, quicunq; pro renatis haberi, & à Deo plenè juſtificari volunt. in reliquis duobus ut conſiſtant, abſolutè neceſſarium non eſt, ſed qui conſtanter permanſerit in primo, evehi poterit in ſecundum, & qui in ſecundo, tandem in ſummum. Iam quomodo iſta doctrina ullum virtutis exercitium impe-

um impedire dici poteſt, cùm nihil aliud, quàm exercitium virtutum contineat?

Animus, *inquis*, phariſaica hypocriſi imbuitur. *At ſi hypocrita eſt, in nullo adhuc renatorum gradu conſtitit.* De ſanctitate ſua gloriatur. *At vel gloriatur in Deo, vel in ſeipſo. Illud pietatis eſt, hoc cum perfecta renovatione pugnat.* In deprecatione peccatorum ob perfectionis imaginationem laſſus redditur. *At pars eſt pietatis, peccatorum veniam indeſeſſo ſtudio precari.* Alios, qui adeò ſancti non videntur, contemnit. *Vitioſum tu nobis hominem inducis Meiſnere, non pium & renatum. alios præ ſe contemnere carnis opus eſt, non ſpiritus.* In Chriſti merito fiduciam unicè non ponit, ſed in ſuis etiam operibus ſalutis meritum quærit. *Prius verum eſto: ſed poſterius ſalſum eſt. Nullis, nec ſuis, nec alienis meritis fidit, ſed divinæ miſericordiæ, ſub Novo Fœdere per Chriſti ſangvinem omnibus, qui ſanctè vixerint, partæ atq; ſancitæ. Vnde fit, ut licèt opera ſua multis ex partibus imperfecta, & minimè meritoria eſſe videat, non tamen ullis, ut tu ſubjicis,* dubitationibus implicetur, & in horrendam deſperationis voraginem abripiatur. *Hoc illis uſu venit, qui alienis meritis confidunt, & propria ſanctitate deſtituti ſunt, ut aut ſtupore quodam mentis non videant, quàm umbratili fulcro nitantur, aut nullum verum & ſolidum ſolatium in anxietate mentis, & divini judicii terrore conſtituti invenire poſſint.*

Quartum

Quartum incentivum. Deniq;, *inquis*, noſtra religio multas cauſas allegat, propter quas ad bona opera hortatur, & eorum neceſſitatem adſtruit. *Nihil hîc dicis, ad quod ſuperiùs reſponſum non ſit. Licèt enim vel innumeras cauſas alleges, ut homines ad bona opera adducas, ſi, ut hîc apertiſſimè confiteris*, ad ſalutem conſequendam neceſſaria non ſunt, *omnes illas cauſas enervas. Solum immortalis vitæ præmium, bonis operibus deſtinatum, tantarum eſt virium. Quam verò eorum neceſſitatem adſtruere poteſt veſtra religio, ſi ſine illis ſalutem conſequi poßumus? poßumus autem, ſi ad eam cõſequendam neceßaria nõ ſunt.* At, *inquis*, immediatum juſtificationis ſunt conſequens, & neceſſariò cum fide juſtificante cohærent. *Non ergo dicere debebas illa ad ſalutem conſequendam neceßaria haud eße. Erunt enim neceßaria, licèt non ut cauſa, tamen ut immediatum fidei & juſtificationis conſequens. Sed vanum eſt, ut alibi diximus, commentum iſtud. Quisquis bona opera à cauſis juſtificationis excludit, is nullam inter ea, & juſtificationem, vel fidem juſtificantem, naturæ vinculum, quale eſt inter hominis formam & viſibilitatem, quo exemplo hîc utitur Meiſnerus, unquam oſtendet. Hinc apparet, quam vim habeat id*, quod, *ut ipſe ais*, majores veſtri articulo 6. Aug. confeſſ. & 20. dicunt: nos debere bona opera facere propter voluntatem Dei. *Aut enim Deus bona opera à nobis requirit tanquam conditionem adipiſcendæ ſalutis, aut ſecùs:*

Si prius

Si prius, quomodo bona opera non erunt salutis causa? Si posterius, quam vim habebit divina voluntas?

Pergit Meisnerus, & ostendere conatur, doctrinam de satisfactione Christi, ejusq; imputatione, studium pietatis non tollere, neq; necessitatem sanctimoniæ. *Ait enim,* Scripturam utrumq; conjungere, Christi meritum, & pietatis studium. *Hoc ipsum est quod negamus, dum per Christi meritum, pro ut à vobis intelligitur, ejusq; applicationem, pietatis studium everti contendimus. Itaq; dum hoc dicit Meisnerus, petit principium. Sed ubi, quæso, Scriptura hæc cojungit? Citat primùm locum 2. Cor. 5. 15. cùm Paulus dicit,* Christum pro omnibus esse mortuũ, ut qui vivunt, posthac non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est & resurrexit. *At hîc ne verbo quidem ullo innuitur, Christum pro nobis satisfecisse? Num idem est pro aliquo mori, & pro aliquo satisfacere? Nonne pro nobis mortuus est Christus, si magno nostro bono mortuus est? Num verò nostro magno bono mori non potuit, quin pro nobis satisfaceret? An mori non potuit, ut sine ulla satisfactione victima, ita volente Deo, pro peccatis nostris esset, suoq; nos sangvine ab eorum reatu ac pœna liberaret? ut Novum Fœdus obsignaret atq; sanciret, & sic nobis certissimum jus peccatorum remissionis, & vitæ æternæ adipiscendæ faceret? ut vultui Dei pro nobis in cœlesti illo sacrario, tanquam cœlestis noster Pontifex, appareret, plenissimamq; nos servandi potestatem adipisceretur? ut viam, per*

afflictiones

afflictiones & mortem ignominioſam ad æterna gaudia ducentem, initiaret & conſecraret, utq́ ſuo ipſius exemplo oſtenderet, patere ex morte quamvis truculentiſſima glorioſiſſimum exitum, & ſic nos omni mortis metu liberatos certiſſima ſempiternæ felicitatis ſpe impleret? ne nunc alios mortis Chriſti inſignes fructus commemorem. Et *ſanè, ſi pro nobis mori nihil aliud eſt, quàm pro nobis ſatisfacere, ſeu pœnas noſtri loco pendere, etiam pro nobis reſurgere nihil aliud erit, quàm reſurrectionem noſtri loco conſequi.*

Secundò citat locum Gal 5. 13. Vos in libertatem vocati eſtis, fratres. *poſt quæ verba adjicit de ſuo,* nempe per meritum & ſatisfactionem Chriſti, *& demum reliqua Pauli verba ſubjicit,* tantùm ne libertatem in occaſionen detis carni, *&c. At* hoc, *Meiſnere, non eſt Scripturæ dicta, ſed propria commenta citare, & pro Scripturæ dictis obtrudere. Annon manifeſtè id, quod in principio petis, dum iſta Scripturæ dicta hoc pacto ſumis & explicas?* Nonne, *dum dicimus, ſatisfactionem iſtam impedire pietatis ſtudium, imò dum eam apertè negamus, eo ipſo talem Scripturæ locorum interpretationem inficiamur? Quæ verò in hoc loco vel tenuiſſima iſtius ſatisfactionis umbra apparet, Meiſnere?* Ad libertatem Evangelicã à Legis jugo vocati ſumus. *Ergo* per meritum & ſatisfactionem Chriſti? *Quid habet iſta libertas commune cum hoc merito? Imò verò, ſi ad libertatem tantùm, non verò ad licentiam vocati ſumus, meritum iſtud & ſatisfactio*

excludi

excludi debet; per illud enim non libertas, sed licentia inducitur.

Tertius locus est Tit. 2.14. ubi dicitur Christus dedisse semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, *&c. Hic similiter video, cum Christi morte conjungi nostram pietatem, sed eam cum Christi merito & satisfactione conjungi non video. Dum autem Meisnerus per mortem Christi pro nobis susceptam istud meritum & satisfactionem significari vult, in eo principium apertè petit. Neq; sanè mors Christi, quatenus vim meritoriam & satisfactoriam habere dicitur, eatenus nos à peccatis abducit, quæ hac ratione nos in peccatis magis securos redderet; sed quatenus per eam certissima spes fidesq; omnibus pœnitentibus, & à peccatis recedentibus, sempiternæ salutis est facta, quod etiam quarto, quem citas, loco Hebr. 9.14. continetur. Non ergo sacri Scriptores, ut tibi visum est, tanquam* ὑπάλληλα Christi satisfactionem, gratuitam justificationem, verum pietatis studium *conjungunt; cùm ista invicem apertè pugnent, & prius posteriora duo tollat, vicissimq; à posterioribus tollatur: sed Christi mortem cum gratuita justificatione & ardenti pietatis studio conjungere solent, quippe quòd per eam & impunitas nobis ex Dei gratia, & impunitatis, si peccato mortui justitiæ vivamus, spes haud dubia sit facta. Quare non erat, cur nobis recoctam crambem apponeret Meisnerus, dum ait,* se velle stimulos istos, qui ex doctrina de satisfactione ad bene agen-

agendum oriuntur, repetere, ut adverſariis omne os obſtruatur. *Os enim adverſariis obſtrui debet non inani verborum repetitione, ſed argumentorum pondere ac firmitate.*

Primum ſtimulum petit à fine mortis Dominicæ, *quem duplicem eſſe dicit*, unum principalem, alterum ſubordinatum: illum eſſe, ut moriendo pro nobis ſatisfaceret; hunc, ut ſibi populum ſanctificaret ſectatorem bonorum operum. *Atqui, dum hæc dicis, principium apertè petis. Hoc ipſum enim eſt, quod negamus: nempe fines iſtos duos poſſe ſimul conſiſtere, & alterum alteri ſubordinari.* Quemadmodum, *inquis*, is, qui alterius debita ſolvit, ſeriò vult, ſi aliàs ſincerus eſt amicus, ut nullum deinceps æs alienum contrahat: ſic Chriſti voluntas eſt, ne novum debitum contrahamus. *At non de eo nunc quæritur, an hæc ſit Chriſti voluntas; ſed an efficaciam ullam habitura ſit, nos à contrahendis peccatorum debitis avocandi? Quomodo verò hanc efficaciam habitura eſt, ſi non tantùm ea debita, quæ præteritis temporibus contraximus, ſed ea etiam omnia, quæcunq; contracturi unquam ſumus, pleniſſimè diſſolvit? An qui ſciret omne æs alienum, quodcunque unquam contraxerit, jam ab alio diſſolutum eſſe, iſtâ liberalitate avocaretur à contrahendo ære alieno, & non potiùs ad illud contrahendum, tantâ munificentiâ utendum eſſe ratus, incitaretur? Si Chriſti morte præterita tantùm peccata diſſolvi diceretis, pugnaret quidem hæc*

dem hæc sententia cum gratia ac peccatorum remissione; sed non pugnaret cum vitæ emendatione: verùm cùm dicitis, morte Christi non tantùm pro præteritis, sed etiam pro futuris omnibus peccatis abundè satisfactum esse, simul & gratuitam remissionem tollitis, & serium pietatis studium planè inhibetis?

2. A jure redemtionis. A quocunque redimimur, illi redemtionis jure ad serviendum & obsequendum obstricti sumus. Atqui à Christo sumus redemti. *Verùm ignoras elenchum, Meisnere. Non enim de eo agitur, an obstringamur aliquo jure per istam satisfactionem ad serviendum Christo; sed an tali jure obstringamur, ut nobis impunè officium deserere non liceat? At verò quomodo non licebit, si etiam pro hoc ipso jam solutum est? Adde, quòd istud argumentum in te retorqueri debeat. Si enim per Christum ex Dei ipsius manibus redemti sumus, annon jure, quo ei ad serviendum obstricti fuimus, soluti sumus? Is enim, à quo captivus redimitur, omni jure cedit, quod in eum habuit. Itaque vel hinc apparet, Christum nos non ex manibus ipsius Dei redemisse, siquidem Deo nos emit, vel potiùs Deus ipse nos sibi emit, Christi, filii sui unigeniti, sangvine; sed ex manibus hostium nostrorum, peccati, mundi, mortis, Diaboli; dum nimirum per mortem suam illorum potentiam & tyrannidem fregit & abolevit. Et de hac liberatione loquitur locus Zachariæ à te citatus:* Vt sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi in sanctitate &

juſtitia coram ipſo, omnibus diebus vitæ noſtræ. *Ideo etiam iſtam liberationem Zacharias ipſi Deo in ſolidum tribuit & acceptam fert. Quam tu dum ad ſatisfactionem Deo præſtitam accommodare videris, tacitè Deum, Patrem noſtrum benigniſſimum, qui nos ſibi tam caro pretio emit & vindicavit, in inimicorum noſtrorum numerum refers.*

3. A beneficio gratuitæ remiſſionis. Ob Chriſti meritum gratis condonantur nobis peccata, ſine ſatisfactione propria. Ergo æquum & neceſſarium eſt, ut viciſſim grati ſimus. *An ibi ſit gratuita remiſſio, ubi eſt verum meritum, & an dicere,* ob Chriſti meritum gratis condonari peccata, *contradictionem non implicet, inferiùs videbimus; nunc demus, ſolutionem debiti, eamq; ſufficientiſſimam, cum remiſſione, eaq; pleniſſima, ejusdem debiti, non pugnare: quomodo iſta remiſſio, quæ ex pleniſsima ſatisfactione pro omnibus noſtris peccatis, & præteritis, & futuris proficiſcitur, eam vim habere poterit, ut, ne in poſterum peccemus, efficiat? Num ſi gratos nos eßе vera vitæ emendatione teſtati non fuerimus, ſatisfactio iſta, firma fide apprehenſa, nobis non proderit, nec ad ingratitudinis iſtam maculam eluendam pertinget? Davidis verba, quæ ex Pſal. 130. 4. citas,* Copioſa eſt apud te remiſſio, ut timearis, *de ea remißione loquuntur, quæ ſine ſatisfactione, ex ſola Dei miſericordia proficiſcitur: & talis remißio eam vim habet, ut homines ad Deum & amandum & timendum obſtrin-*

gat. ad amandum quidem, quòd tantam clementiam erga eos exercuerit; ad timendum verò, quòd facilè videant, se, si peccare, Deumq́ offendere pergant, tantò graviùs punitum iri, quantò majorem clementiam fuerant experti. Alter locus Luc. 7. 47. eodem pacto intelligendus est.

4. A gravitate pœnarum. Christo carè constitit debitorum nostorum solutio. Quare non ampliùs pecces, ne pœnas illas cumules, & Christum denuo affligas. Voluntariè enim peccare post λύτρον præstitum, est Filium Dei conculcare, *&c.* Hebr. 10. 29. *Obtusus admodum est stimulus iste, Meisnere. Si de pœnis illorum ipsorum, qui* post acceptam veritatis notitiam, *ut habet locus à te citatus, (non verò, ut tu falsò putas,* post λύτρον præstitum, *cùm omnes, quicunque ad Christum post illius mortem convertuntur,* post λύτρον præstitum! *convertantur)* voluntariè peccant, *loquereris, acutior esset iste stimulus: sed quia de pœnis & afflictionibus alienis loqueris, iisq́ non veris, sed metaphoricis, quam quæso vim habere potest, ad homines à peccatis prorsus abducendos? Quodsi ideo hæc dicis, ut ostendas, quàm gravia sint ista peccata, quæ post veritatis acceptam notitiam voluntariè committuntur, quid & hoc juvabit, si pro iis nihilominus abundè satisfactum est, & si sola meriti Christi fiducia & apprehensione elui possunt. Quodsi dicas non posse, jam necesse est te fateri, dari quædam peccata, ad quæ Christi meritum & satisfactio*

non

non pertingat, ac proinde aliud aliquid præterea ad salutem requiri, quàm solam meriti Christi apprehensionem. Istud autem dicere te cogit locus iste à te citatus. Clarissimè enim in illo dicitur; Voluntariè peccantibus post acceptam veritatis notitiam non ampliùs pro peccatis relinquitur victima, sed terribilis expectatio judicii, *&c. idq; deinde, per comparationem rejectionis legis Mosaicæ cum ipsius Fili Dei conculcatione, à minori ad majus solidissimè probatur. Quodsi ergo victimâ & oblatione ipsius Christi voluntariè peccantes post acceptam notitiam veritatis, si nimirum peccata non deponant, nec ex Christi præscripto vitam componant, expiari nequeunt, sed sine ulla misericordia damnari debent, quomodo ad ipsos pertinget Christi mors, vel satisfactio? quomodo peccata ista solâ meritorum Christi fiduciâ deleri poterunt?*

5. Ab iræ divinæ immensitate, cujus speculum fuisse, *dicis*, Christi passionem, quem, licèt innocentissimum, iram divinam sensisse, *ais*, in horto, adeò ut sanguineas etiam guttas emiserit: tantamq; Patris indignationem fuisse, ut nulla alia re, quàm morte Filii unigeniti placari potuerit. Ergóne non reverebimur, *inquis*, hanc iram? quæ, nisi pro satisfactione grati simus, & piè vivamus, duplicatur. *Equidem fateor, piè vivendum esse, si ira divina duplicatur, nisi pro satisfactione grati simus, & piè vixerimus: verùm iste piè vivendi stimulus non ex satisfactione oritur,*

sed ex metu iræ divinæ. Deinde annon hac ratione fateris, gratitudinem pro satisfactione, & vitam piam, esse conditionem effugiendæ iræ divinæ, ac proinde & justificationis adipiscendæ? qui enim iram divinam effugit, is justificationem consequitur; cùm Deus nonnisi iis justificationem deneget, quibus irascitur. Iam verò si conditio est, etiam erit justificationis causa; conditio enim præstita, causa est illius rei, cujus erat adipiscendæ conditio. Deniq; si ira divina duplicatur, nisi piè vivamus, & grati pro satisfactione simus, quomodo pro omnibus peccatis satisfactum est? pro ingratitudine enim ista satisfactum non erit. quodsi & pro illa satisfactum est, quomodo propter illam ira divina existere, nedum duplicari poterit, præsertim si satisfactionem istam firma fide apprehendamus? Contradictoria ergo sunt ista, satisfactum pro omnibus peccatis esse, & iram divinam duplicari, nisi pro satisfactione grati simus, & piè vivamus. Alterutrum vobis dicendum est, Meisnere: dum utrumque dicitis, utrumque tollitis.

Multos præterea hîc intexis errores. Christi passionem fuisse speculum iræ divinæ, idq; immensæ. *Imò verò speculum fuit illustrissimum immensæ charitatis divinæ erga humanum genus. Hoc testatur ipse Christus, cùm ait:* Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret. *ubi notanda est particula* sic, *quæ emphasin insignem habet, & idem valet quod* adeò. *Hoc Apostolus illius Paulus:* Charitas Dei, *inquit,* effusa est in cordi-

bus

bus nostris per spiritum sanctum. Adhuc enim Christus, cùm essemus infirmi secundùm tempus, pro impiis mortuus est. Vix enim pro justo quis moritur. Commendat autem suam in nos charitatem Deus, quòd cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. *Hoc alter Apostolus, Iohannes:* In hoc est charitas, nō quòd nos dilexerimus Deum, sed quòd ipse dilexit nos, & misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris. *Et sanè quid cogitari potest, ex quo immensus Dei erga humanum genus amor magis & certiùs perspici possit, quàm quod unigenito filio suo illius causâ non pepercerit, & in mortem eum adeò acerbam tradiderit? Paulus sanè reliqua omnia divini amoris effecta ex hoc uno infert.* Deus, *inquit*, proprio suo Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum ipso omnia nobis donabit? *Non ergo vos pudet, iram divinam, eamq́ immensam ibi fingere, ubi nil nisi immensus amor elucet? Et sanè, cui, quæso, irascebatur Deus, cùm unigenitum filium in mortem dabat? Num ipsi Filio obsequentissimo, qui Patri suo obediens fuit ad mortem, mortem autem crucis, cujus factum hoc, quòd hominum saluti animam suam volens impenderit, adeò fuit Deo gratum & acceptum, ut illud Paulus oblationem ac victimam Deo in odorem suavitatis appellaverit, propter quod etiam ingentibus præmiis à Deo Patre suo affectus fuit, & ipse se eo nomine à Pa-*

 tre di-

tre diligi, quòd animam ſuam poneret, teſtatus eſt? An verò nobis inſenſus erat Deus, qui nos adeò impensè dilexit, ut noſtræ ſalutis cauſâ unigenitum filium in mortem adeò acerbam daret?

Ex hoc errore fluunt reliqui, Quòd Chriſtus, licèt innocentiſſimus, iram divinam ſenſerit. *Apageſis, & innocentem, & quidem ipſum Chriſtum, unicum Filium & Dei & juſtiſſimi, & Patris benignisſimi iram unquam ſenſiſſe. Tantam præterea iſtam Dei iram fuiſſe fingitis, ut Chriſto ſangvineas etiam guttas expreſſerit. Non vos iſtarum ineptiarum, ne quid gravius dicam, piget pudetq́? Cur ergo Chriſtus in iſtis anguſtiis conſtitutus filiali fiducia Deum Patris nomine Luc. 22. 43. compellat, ut iſtum anxietatis calicem à ſe transferat? cur votis reſpondet eventus? cur mittit Deus angelum ſuum, qui Chriſtum in tanta anxietate conſtitutum erigeret, ſi tùm temporis ira ac odio incenſus nil niſi vindictam ſpirabat, & in eo erat, ut eam omnibus pœnarum ſpiculis conſumtis expleret?*

Sangvineas etiam guttas Chriſtum ſudaſſe, vereor an non inconſultæ credulitatis ſit, quæ verba Lucæ, quibus dicit, Chriſti in illo certamine verſantis ſudorem fuiſſe, ſicut guttas ſangvinis decidentes in terram, *temerè fortaſſis arripuit. Apertè enim dicit Lucas, Chriſtum ſudorem ſtillaſſe, non ſangvinem. Verùm cùm ex magnitudine ſudoris vellet certaminis magnitudinem oſtendere, docet ſudorem hunc non vulgarem & conſuetum fuiſſe, ſed guttis*

ſangvinis

sangvinis in terram decidentibus similem. quod quid aliud est, quàm sudoris Christi guttas inusitatæ fuiße magnitudinis, instar guttarum sangvinis, qui cùm ex altiore loco in terram destillat, ob densitatem suam in majora corpuscula, quàm aqua, conglobari solet? nonne id requirit particula tanquam *in Lucæ verbis expreßa, qua sudor iste cum guttis sangvineis confertur, non verò confunditur? Sudorem verò tantum, non ira divina Christo expreßit, sed animi ob mortis adeò acerbæ instantis metum anxietas, quam, non ut iram suam exsatiaret, filium suum experiri voluit Deus, sed ut duris malorum rudimentis exercitus misericors efficeretur Pontifex, & suis in anxietate constitutis, & sub cruce gementibus, ipse mali non ignarus, tanto promtiùs succurreret. Idcirco etiam Deus hunc sudorem illi, mißo deinde auxilio, paterna manu absterſit; nec ampliùs post illas ardentes preces, & mißum angelum, Christum ullum pavoris & trepidationis signum edidiße legimus.*

Illi porrò clementißimo ac benignißimo Patri cœlesti ingentem facitis injuriam, dum ejus tantam fuisse indignationem, ut nullâ re aliâ, quàm morte Filii unigeniti placari potuerit, *dicere non exhorrescitis. Quid enim hoc revera aliud est, quàm ex mitißimo & optimo Patre, sævum nescio quem tyrannum facere, imò omnibus tyrannis sæviorem? Illiusne tanta fuit erga humanum genus indignatio, tantum irarum incendium, ut non nisi innocentißimi & unici Filii cæde restingvi potuerit, qui*

 nos

nos prior dilexit, & Filium suum ad nos misit, ut vivamus per eum; qui nobis per viscera miserationum suarum, omnium peccatorum veniam obtulit; qui nos ad æternam suam gloriam & regnum capeßendum vocavit; cujus inaudita benignitas & φιλανθρωπία omnibus seculis prædicanda in Christo Iesu apparuit; qui nostram indignissimorum suorum mancipiorum amicitiam tantopere ambivit, & nos, ut secum reconciliari velimus, per Filium suum, aliosq́ legatos suos, precibus etiam adhibitis, hortatus est; qui adeò salutis nostræ sitiens fuit, ut etiam unici Filii impendio quærendam non dubitaverit? Et tantorum causa vobis errorum, est vestra satisfactio. Quia enim creditis, Christum morte sua pœnas nostrorum scelerum verè dedisse, & hac ratione divinæ justitiæ satisfecisse; idcirco, contra apertissima spiritus sancti testimonia, Deum ira & ultione ardentem, ac pœnas nostras sitientem, tùm cùm filium suum in mundum misit, & totius mundi salutem unicè quæsivit, fingitis. At verò si unà nobiscum agnosceretis, ingenti amore Deum erga humanum genus tùm temporis flagrasse, & de jure suo, quod ad exigendas pœnas habuit, ultro cedere voluisse, idq́ hominibus obtulisse, addito insuper omnium maximo immortalis vitæ promisso, ea conditione, ut peccatis relictis ipsi inposterum ex animo obtemperent, & ex illius præscripto reliquum vitæ exigant: facilè etiam nobiscum agnosceretis, Christi mortem non immensæ iræ, sed immensæ charitatis Dei fuisse effectum, nec ad placandum ac

dum ac mitigandum iratum insensumque Deum: sed potiùs ad ipsius ingentem amorem testandum ac declarandum, simulque etiam ad ipsum oblatæ remissionis peccatorum effectum nobis comparandum, ad novum hoc fœdus obsignandum, ad æternum Christo regnum & sacerdotium, unde nostra salus proficiscitur, conciliandum, ad nos spe æternæ salutis replendos, & divinæ voluntati penitus mancipandos intervenisse. Et sic maneret Deo ingentis erga humanum genus amoris ac beneficentiæ illibata gloria: maneret plana & aperta, non miris tricis & meris contradictionibus involuta, salutis nostræ ratio: manerent perpetuæ & efficacissimæ pietatis in nobis excitandæ & sovendæ causæ.

Nam licèt mortem Christi non pro iræ divinæ, sed pro divinæ charitatis speculo agnoscamus, non idcirco tamen mors Christi vi sua, quam in excitando pietatis studio habet, destituitur. Nam & Dei charitas non minorem vim habet ad homines ipsi mancipandos, quàm illius ira; imò multò majorem: & tamen ex Christi morte facile est conjicere, quanta futura sit ira Dei erga homines in peccatis perseverantes. Si enim non aliter quàm fuso priùs sangvine Filii sui peccata nobis remittere voluit, si ut nos à peccatis abduceret, Christum tam acerbam mortem subire voluit; annon hinc apparet, quanto odio peccata prosequatur, & quantopere illa detestetur, quantisque suppliciis sit affecturus illos, qui tam pretiosum Filii Dei sangvinem contemserint, nec per eum à peccato-

rum suorum sordibus purgari se passi fuerint? Nam si & innocentem, & filium, & unicum filium adeò acerba & dira pati voluit Deus, quas tandem quàmq; certas pœnas manere putamus ipsius Dei perduelles, qui in peccatis perseverant, nec ad clementissimum hunc Patrem, illis immensam gratiam & clementiam suam offerentem, toto pectore converti volunt? Si hæc fiunt in viridi, *dixit ipse Christus, cùm ad mortem raperetur,* quid fiet in arido? Si justus vix servatur, peccator & impius ubi comparebit? *Contrà verò, quæcunq; tandem fuerit ira Dei, exaggerate illam ut lubet, annon fuso filii Dei sangvine illico restincta est, nec ulla alia re est opus, quàm ut ipsius satisfactionem nobis applicemus?*

Ex machina tandem auxilium advocat Meisnerus, ut ostendat, quomodo satisfactio pietatem in hominibus producat. Vbi, *inquit*, Christi satisfactio apprehenditur, ibi 1. spiritus sanctus in corde habitat. 2. fides justificans adest. Vtrumq; est causa efficiens bonorum operum, *&c. Velim primò scire, quid priùs in homine insit, an spiritus sanctus, an fides justificans? Si spiritus sanctus, cur ergo vis priùs satisfactionem apprehendi? Satisfactionem enim apprehendere est fides justificans. Cur paulò pòst dicis, spiritum sanctum animam immundam non ingredi Sap. 1. v. 4.? num verò munda est anima fide destituta? Adde, quòd hoc falsum sit. nunquam enim nisi credentibus promissus est & datus spiritus sanctus. Si verò fides justificans, cur primò spiritum*

ritum sanctum in corde habitare dixisti, secundò demum fidem justificantem adesse? cur paulò pòst dicis fidem à spiritu sancto proficisci? Quodsi ergo à spiritu sancto proficiscitur ista vestra fides justificans, quæ Christi satisfactionem apprehendimus, quidquid spiritus sanctus virium habere dicatur, ad producendam in nobis pietatem, istud nihil ad satisfactionem istam pertinet. Nec *enim opus est ut per satisfactionis apprehensionem pietatem in nobis producat, qui ut hanc ipsam satisfactionis apprehensionem haberemus effecit. Si verò propter istam fidem spiritum sanctum alicui dari dicatis, qui postea in hominibus pietatis studium & bona opera producat, istud primò vobis nequaquam concedimus. Quid enim habet ista vestra fides, ut spiritus sancti tanto munere digna sit? Quia credimus pro nobis satisfactum, pœnas datas, Legem impletam esse, idcirco novo adhuc insuper dono cumulabimur?* Non *hæc est illa fides, quâ in tantæ gratiæ consortionem venimus: sed qua Iesum illum crucifixum pro Domino nostro agnoscimus, illi inposterum servire, & ex ejus præscripto universam vitam componere vovemus.* Talem *fidem olim consequebatur spiritus sancti donum: hodiernis autem temporibus, etiam ex fide ipso facto manantem pietatem, & assiduas preces. Itaq; jam antè in nobis debent esse bona opera, quàm spiritus sancti donum cœlitus in animos nostros illabatur. Verissimè enim à te usurpatum est illud Sap. 1. v. 4.* Spiritum sanctum *(licèt illic res sit de Sapientia)* immundam animam

mam non ingredi, nec habitare in corpore peccatis obnoxio. *Fruſtra ergo, Meiſnere, ut ſatisfactionis tuæ fœcunditatem in pariendis bonis operibus nobis oſtendas, ad ſpiritum ſanctum confugis, qui adveniens jam invenire debet in nobis bona opera, non vitia.*

Præterea an tu putas ſpiritum ſanctum bonorum operum fructus in hominibus neceſſariò producere, ita ut in quocunque ſit ſpiritus ſanctus, in eo neceſſariò ſint bona opera? annon putas, hominum etiam voluntatem, ſtudium, laborem, induſtriam, diligentiam, utque ſpiritum ſanctum perpetuò in ſeſe excitent ac foveant, requiri? Cur ergo homines ſpiritum ſanctum ſæpe fugant & expellunt? qua de re eodem libri Sap. loco v. 5. præclarè ſcriptum eſt: Sanctus diſciplinæ ſpiritus fugit dolum, et à ſtultis cogitationibus abigitur, & injuſtitiæ adventu fugatur. *Cur monemur, ut à ſpiritu ſancto nos regi patiamur?* Si ſpiritu vivimus, *inquit Paulus,* ſpiritu etiam incedamus. *An Corinthii, verbi causâ, ſpiritum ſanctum non acceperant? an ſpiritualem cibum non ederant, nec potum ſpiritualem biberant? & tamen illis Iſraelitarum exemplum, qui tot divinis beneficiis affecti, nihilominus in deſerto variis cladibus & ſuppliciis exhauſti fuerant, proponit Paulus, ut eos à variis peccatis deterreat; nimirum quia ſpiritum ſanctum accepiſſe ſatis non eſt, niſi etiam illi te regendum ac gubernandum tradas. Cùm igitur nec iſta veſtra fides quidquam cum ſpiritu ſancto commune habeat, nec*

nec ſpiritus ſanctus neceßariò pietatem producat, ſed ejus operatio hominum culpâ impediri, imò ipſe abigi & fugari queat: hinc apparet, quàm nihil te iſta tua machina juvet.

Quod verò ad fidem attinet, quam ſimiliter charitatem & bona opera neceßariò producere affirmas, non ſecùs ac è formis rerum nunquam non ebulliant affectiones propriæ: *in eo & id, quod falſum eſt, dicis; & principium apertè petis. Falſum enim eße jam antè à nobis probatum eſt, fidem eo modo, quo vos facitis, explicatam, nempe, ut ſignificet Chriſti meriti apprehenſionem, naturâ ſuâ parere charitatem & bona opera. Principium verò petis, quia per id ipſum, quod à nobis negatur, theſin tuam probas. Qui enim negat, doctrinam de ſatisfactione pietatis ſtudium in hominibus excitare, imò vehementer impedire aßerit, is etiam eo ipſo minimè concedit, fidem, quæ nihil aliud ſit, quàm iſtius ſatisfactionis apprehenſio, charitatis bonorumq́; operum veram propriamq́; eße cauſam.*

Vltimo loco ait Meiſnerus, doctrinam de ſatisfactione eſſe ab ipſo Deo in ſacris literis revelatam, tot martyrum ſangvine obſignatam, *unde concludit,* illam Chriſtianæ vitæ & ſanctimoniæ non poſſe eſſe contrariam. *Et hîc principium petit Meiſnerus. Qui enim affirmat, doctrinam de ſatisfactione pietatis ſtudium impedire, is eo ipſo negat, eam à Deo in ſacris literis eße traditam & revelatam. & facilè hoc argumentum inverti, & in te retor-*

te retorqueri potest. Quid? idcirco nos vel inprimis doctrinam istam de satisfactione tanquam sacris literis contrariam rejicimus, quòd eam ad pietatis destructionem tendere videamus. Porrò qui sunt isti martyres, qui tanto numero propter doctrinam de Christi satisfactione sangvinem fuderint? Si veteres illos intelligis, Apostolos, & Apostolorum primos discipulos, hîc quoq; principium petis. Si istos, qui à Pontifice Romano sunt cæsi, hoc quomodo verum esse potest, cùm ille hanc doctrinam similiter propugnet? Sed demus fuisse aliquos, imò etiam plurimos, qui istam doctrinam sanguine suo obsignârint, num idcirco vera erit? an isti homines falli non potuerunt, & id pro verissimo credere, quod tamen verum non esset? Quot Iudæi crudelissimè mactati sunt, quòd Iudaicam religionem veram, Christianam verò falsam & impiam esse censuerunt? Num idcirco illis subscribemus? An pauci Calviniani, Anabaptistæ, & alii propter sua dogmata, quæ vobis ipsis falsa videntur, indignissimis modis vexati & trucidati fuerunt? Cur igitur eorum sententias pro veris non amplectimini? At martyres isti fuerunt sanctitatis vitæ studiosissimi. *Fuerint sanè. Num idcirco non poterant doctrinam aliquam pietatis studium per se impedientem & retinere, & ad mortem usq; propugnare? Poterant alias pietatis habere causas. Ipsa persecutio animos eorum, ut solet, accendere ad pietatem poterat. Spes æternæ salutis, & ardentissimus erga Deum ac Christum amor, quòd illos ad æternam suam*

gloriam

gloriam & felicitatem vocaßet, & multis in rebus luce veritatis suæ iis affulsißet, obruere quodammodo istius opinionis de satisfactione vim noxamq́; poterant. Et deniq; quis scit, an omnes eadem sanctitate vicerint carnales suas in vita concupiscentias & affectus, quâ mortem? Itaq;, jam vides Meisnere, an, quemadmodum concludens ais, ostenderis, vestram de satisfactione & de bonis operibus doctrinam non impedire, sed promovere pietatis studium. *Spero enim abundè me demonstraße, quàm vana sint argumenta, quibus id, quod isti doctrinæ à Socino objectum est, amoliri, & contrarium ejus evincere es conatus.*

IV. De imputata Christi justitia.

SCribit Socinus pag. 19. invaluisse apud Evangelicos opinionem imputatæ credentibus Christi justitiæ, quo fiat, ut etiamsi Christi fideles, & sic justificati coram Deo homines propria sanctitate vitæ non sint præditi, non tamen ipsâ carere dici possint, quippe quibus Deus Christi sanctitatem & innocentiam imputet. *Hîc tu Socino duo crimina falsi objicis. Liberalis es in objiciendis criminibus, Meisnere. At quomodo ista crimina explicas?* Dum, *inquis*, & in relatione nostræ sententiæ, & in fine scopoq; assignando, fallit & fallitur. *Hoccine est crimen falsi committere, aliqua in re falli, & cùm ipse fallaris, alios in errorem inducere? Profectò vix quisquam erit,*

rit, & ne tu quidem ipse, ab hoc crimine immunis. quis enim est, cui non aliquando falli & errare contingat? Sed videamus, an Socinus fallatur, & fallat.

Nequaquam statuimus, *inquis*, fideles & justificatos propria sanctitate vitæ non esse præditos. *At primò statuitis illos ante justificationem eâ præditos non esse. Expreßè enim hîc à te scriptum est:* Non quidem ex propria sanctitate justificamur, attamen postquam justificati sumus, mox corda renovantur, propriaqúe sanctitate imbuuntur. *pag. verò 147.* Iustitiam, propter quam fit remissio, oportet esse alienam, & per consequens Christi erit. *Hoc autem Socino sufficit ad id, quod dicit, affirmandum, nempe idcirco opinionem istam imputatæ credentibus Christi justistitiæ invaluiße, ne homines, qui à Deo justificantur, justitia & sanctitate vitæ destituti eße videantur. Istud enim, ut Socinus ait, ipso auditu horribile est, hominem justificari licèt justiciæ non sit deditus, nec ad justificationem illâ cuiquam eße opus. Deinde, de hominibus jam justificatis, non adhuc justificandis loquamur, qualem, quæso, vitæ sanctimoniam in illis agnoscitis?* Duplex, *inquis*, est fidelium sanctitas: altera imputata, quæ aliena & Christi: altera inchoata, quæ propria & inhærens. *Iam igitur tenemus, vos inchoatam tantùm sanctitatem in fidelibus & justificatis, cùm de propria illorum sanctitate agitur, agnoscere. Explicate porrò istam inchoatam sanctitatem:* Semper cum carne luctari, frequentissimè ab illa vinci & superari, non face-

re bonum quod velis, ſed malum quod nolis. *quemadmodum ſuprà vidimus. Hæccine eſt vitæ ſanctitas & innocentia, Meiſnere? Sanctitas & vitæ innocentia nequit cum unius peccati habitu & conſuetudine conſiſtere, nedum cum multis. Verbotenus igitur tantùm, & æquivocè in hominibus juſtificatis propriam vitæ ſanctitatem agnoſcitis, non verè & re ipſâ. Itaq; meritò vos eo nomine perſtrinxit Socinus.*

Hinc apparet, an in altero quoque fallatur, cùm affirmat, Evangelicos idcirco hanc opinionem de Chriſti juſtitiæ imputatione invexiſſe, ne credentes & juſtificati, vitæ ſanctitate carere dici poſſint? Ubi notandum eſt, Meiſnerum potiùs falſi crimen committere, dum Socino affingit, acſi ille diceret, idcirco Evangelicos imputatam Chriſti juſtitiam urgere, ne fideles in totum *dici poſſint propriâ ſanctitate carere. Cur addidit Meiſnerus iſta verba* in totum, *quæ non addit Socinus? Cur paulò pòſt dicit,* juſtificatos non carere omni juſtitia propriâ; non habere ſe opus excogitare dogma quoddam, per quod alicujus ſanctitatis fiant credentes participes? *Num negavit unquam Socinus, vos* aliquam juſtitiam *credentibus & juſtificatis propriam agnoſcere? Hoc negat, vos agnoſcere veram & ſolidam, & in omnis vitioſi habitus vacuitate poſitam. Hanc quia credentibus propriam eſſe negatis, idcirco ad alienam confugitis; non ut aliquam & inchoatam, ſed ut plenam & juſtificatione non indignam juſtitiam habeatis, & illâ varios vitiorum habitus obtegatis. Sed*

rem ipſam expendamus. Itaque primò videbimus, an quidquam in Scripturis de imputata Chriſti juſtitia habeatur? Deinde Meiſneri, de imputatione iuſtitiæ, ſententiam examinabimus.

I. An in Scriptura quidquam habeatur de Chriſti juſtitia nobis imputata, hoc eſt, ejus ſanctitate & innocentia nobis adſcripta & attributa?

N*Egat Socinus; affirmat Meiſnerus, & primò fatetur id verum eſſe,* ſi verba & literam ſpectes. *Magno præjudicio cauſam tuam gravâſti Meiſnere, cùm id faſſus, vel potiùs fateri coactus es. Quomodo enim dogmata, in quibus ſalutis noſtræ cardo vertitur, clariſſimis expreſſa verbis non extarent in Scriptura? Num ſpiritus ſanctus rei, quam omnibus notam eſſe volebat, verba propria, proxima, ſimplicisſima, maximeq́ nota & obvia ignorabat, atque in luce tenebras quærebat?*

Tribus verò Scripturæ locis imputationem iſtam Chriſti juſtitiæ probare conatur Meiſnerus.

Primus locus eſt Rom.4. 6. cùm Paulus Davidis teſtimonio probat, Beatum eſſe hominem, cui Deus imputat juſtitiam ſine operibus. *Hic locus adeò ad rem non facit, ut mirum prorſus ſit, Meiſnerum, qui eum ſtudioſè à nobis vult perpendi, tantopere in illius conſideratione cæcutiiſſe, ut non viderit, idem hoc loco eſſe* imputari juſtitiam ſine operibus, *quod* remittere iniquitates, tegere pecca-

ta, non

ta, non imputare peccatum. *Vt enim Apoſtolus beatum eſse probet hunc hominem, cui Deus juſtitiam imputat, affert Pſal. 31. verba quibus David* hominem beatum eſſe prædicat, cui remiſſæ ſunt iniquitates, & tecta peccata, cuiq; Dominus peccatum non imputat. *Si ergo hæc eadem ſunt*, imputare juſtitiam, *&* peccata remittere, *ſeu* tegere, ea non imputare, *quis non videt*, juſtitiam *hoc loco, quemadmodum & pleriſque aliis in hac epiſtola, non ſumi pro* vitæ innocentia, *ſed pro* juſtificatione? Ex *collatione etiam ver. 11. cum ver. 9. manifeſtè intelligitur*, imputari alicui juſtitiam *idem eſse, quod* fidem illi imputari ad juſtitiam. *Idem enim, quod Abrahamo contigiſse dicitur in præputio, nempe quòd illi* fides fuerit imputata ad juſtitiam, *ver. 9. 10. dicitur etiam contigiſse filiis ejus, hoc eſt, credentibus in præputio, ſcilicet quod* & ipſis imputetur juſtitia *ver. 11. cùm autem fides ad juſtitiam imputari dicitur, per juſtitiam non intelligitur vitæ innocentia, ſed juſtificatio. quare & cum juſtitia credentibus imputari dicitur, juſtificatio eſt intelligenda. Et cùm æquè de Abrahamo dici poſſit, quòd ei juſtitia imputata fuerit, non dicemus, illi juſtitiam & innocentiam Chriſti adſcriptam dici, cùm ei fides ad juſtitiam imputari dicitur? Porrò, imputari ad juſtitiam & juſtificari idem eſse, ex ver. 2. et 3. etiam ex Iacobo cap. 2. ver. 21, 23, 24. & juſtitiam hîc conſiderari tanquam præmium ac mercedem, ex ver. 4. tanquam beatitudinem, ex hoc ipſo ver. 6. luculentum eſt.*

Idem indicant addita à Paulo verba, sine operibus, *quæ nihil aliud significant, quàm, etiamsi homo operibus suis justificari non mereatur. quid autem operibus & vitæ innocentiâ meremur? certè non vitæ innocentiam, sive propriam, sive alienam; sed justificationem, si perfecta sit innocentia. adde, quòd hæc verba,* sine operibus, *tacitam quandam oppositionem contineant, & indicent, justitiæ attributionem suâ naturâ impediri, cùm absunt opera, adeò ut, nisi divina gratia accedat, ubi non sint opera, ibi non debeat eße justitia. At verò imputatio innocentiæ alienæ non habet locum, nisi ibi, ubi non sunt propria opera. Vbi enim est propria innocentia, ibi nihil est opus alienâ. At verò ubi sunt opera, ibi tantum abest, ut locum non habeat hæc justitia, ut potiùs non secundùm gratiam imputetur, sed secundùm debitum tribuatur, ver. 4. Et cùm Paulus Davidem istud re ipsa Psal. 31. dicentem faciat,* felicitatem hominis in eo sitam esse, cui Deus justitiam imputet; *num putabimus, Davidem etiam quidquam de imputatione Christi justitiæ, tùm cùm Psal. 31. ver. 1.* felicem esse diceret cui peccata sunt remissa, *somniâße.*

Et ut istas imputationis *phrases, quæ in hoc capite occurrunt, unâ operâ explicemus, dupliciter alicui aliquid imputari dicitur: vel simpliciter, vel ad aliquid. Simpliciter dicitur alicui imputari justitia ver. 6. peccatum ver. 8: Ad aliquid dicitur alicui imputari fides, nempe ad justitiam ver. 3, 5. Præterea*

vox

vox imputandi propriè & suâ naturâ actum liberæ voluntatis significat, qui citra omnem injustitiam omitti queat, &, si imputetur aliquod bonum, aut aliquid ad bonum, etiam gratiam imputantis includat. Cùm igitur iustitia alicui imputari dicitur, per Justitiam intelligenda est justificatio, & sensus est, justificationem alicui tribui, nullo ipsius merito, sed ex mera gratia & benignitate. Cùm verò fides dicitur imputari ad justitiam, significatur, fidem suâ naturâ non mereri, nec dignam esse justitiâ, sed solâ imputantis benignitate dignam censeri. Cùm verò peccatum alicui imputari dicitur, tacitè intelligendum est, id ad pœnam & damnationem fieri. quo loquendi modo significatur, peccatum omnino puniendum esse censeri, non quòd suâ naturâ pœnâ dignum non sit, sed quòd is, qui jus ad pœnam habet, jure suo cedere si velit, possit. Contrario enim modo sese res habet in imputatione peccati, & fidei, cùm illud ad damnationem, hæc ad justificationem imputatur: illud suâ naturâ damnationem meretur, & ideo meritò imputatur; hæc non meretur, nec tamen ideo non imputatur. Nam id, quod bonum est, immeritis etiam citra iniustitiam dare possumus, & sæpe summa cum clementiæ ac bonitatis laude damus: malo autem nonnisi merentes citra injustitiam possunt affici.

His ita explicatis, iam videt Meisnerus, argumentum ipsius ex hoc loco ductum penitus concidisse. Nec enim ullus ampliùs relictus est ipsius dilemmati locus, cùm quærit qualis justitia imputari dica-

tur? vel propria, vel aliena? *quandoquidem justitia non vitæ innocentiam in ista locutione significet, sed iustificationem: quæ antequam imputetur, nec propria est, nec aliena; post imputationem verò, seu per imputationem, fit illi, cui imputatur, propria.*

Ridiculi autem estis, cùm idcirco peccatori credenti propriam iustitiam imputari à Deo non posse vultis, quia illa revera destituatur; *quasi, si eam revera haberet, ista imputatione quidquam opus esset; aut quasi non æquè alienâ justitiâ & innocentiâ destituatur, quàm propria; et, si fingendum aliquid sit, quasi nō æquè fingi possit, peccatorem suā propriā habere innocentiam, quàm alienam. Nec enim magis, si rem ipsam spectes, peccator Christi justitiā habere potest, quàm propriam. Ideo etiam tu ipse infra pag. 153. imputationem istā nō realem, sed rationalem vocas.*

Porrò, quòd ex duplici imputatione negatâ, qua peccatum non imputatur; affirmatâ, qua justitia imputatur, *colligis,* justificandum ante sui justificationem carere justitiâ propriâ, &, quòd iniquitas potiùs ejus sit propria, quæ non debeat imputari: *verissimè id colligis, dummodo id rectè explicetur. Caret enim justitiâ propriâ, quæ mereatur justificationem; nec tantùm ante justificationem, sed etiam post eam: & idcirco, si justificari debet, peccatum illi imputandum non est, sed tegendum & condonandum. At verò nequaquam caret omni justitia propria, utpote cùm fide, eaq́ue viva & efficaci, quæ omnium virtutum est mater, sit præditus:*

præditus, & nisi hanc haberet, non imputaretur illi justitia, nec peccatum ejus tegeretur.

Hinc patet, quàm ineptum sit, quod porrò infers: proinde justitiam isti peccatori imputandam; & propter quam fit remissio, oportet esse alienam, & per consequens Christi. *Non enim hîc agitur de justitia, propter quam fit remissio; sed de justitia, quæ in ipsa remissione consistit, seu quæ ex remissione consequitur, hoc est, de justificatione. adde quòd, ut diximus, peccator justificandus suam propriam habere debeat justitiam, quæ, licèt imperfecta sit, peccatorum remissionem non excludit, imò, si perfecta esset, & omnis peccati exsors, eam excluderet.*

Patet deniq; quæ sit Socini mens, cùm phrasin Paulinam, imputari alicui justitiam, *explicat his verbis,* credentes in Deum pro justis haberi; *quam explicationem reprehendens Meisnerus, ait:* Socinum, si propriam & inhærentem justitiam intelligat, principium petere, & textui vim facere: si alienam, seipsum refutare, nec ullam aliam, quàm Christi nominare posse. *Pro justo enim haberi Socino nihil aliud est, quàm aliquem ut justum tractari, id est, liberum ab omni peccatorum reatu ac pœna, & æternæ vitæ gratuito præmio dignum pronunciari. Itaque Socinus nec principium petit, textuiq; vim ullam facit, nec seipsum refutat; sed ea dicit, quæ & ipse textus Apostolicus, ut jam ostendimus, & scopus exigit: qui nullus alius est, quàm homines ex gratia, non ex operibus, ac proinde ex fi-*

de justificari, non verò justitiam & innocentiam alienam, idq́; non ex operibus, sed ex fide illis adscribi.

Alter locus sumtus est ex eadem Epistola *cap.* 5. 19. Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita & per unius obedientiam justi constituentur multi. His verbis, *inquis*, docetur perspicuè, quòd per Christi sanctitatem & obedientiam justificemur, vel justi costituamur. *Rectè sanè. Addis*, & per consequens, Christi justitia fit nostra justitia. *Istud consequens, eo scilicet sensu, quo tu vis, consequi negamus.* Nec *enim, ut per Christi justitiam justificemur, opus est, ut illius justitia nostra fiat justitia, sed sufficit, ut Christi justitia causa sit nostræ justificationis. & hactenus poßumus tibi concedere, Christi justitiam eße nostram justitiam, quatenus nostrum in bonum, justificationemq́; redundat. Verùm tu propriè nostram, id est, nobis attributam adscriptamq́; intelligis.*

Hoc negato, jam sponte suâ ruit id, quod superstruis. Non est nostra, *inquis*, per transfusionem aliquam, quare necesse est, ut sit nostra per imputationem. *Ratio autem, quam affers, cur nostra eße non poßit per transfusionem, non magis illius transfusionem, quàm imputationem evertit.* Notat, *inquis*, Christi obedientia impletionem Legis actualem, quæ dudum peracta est & transiit, ideoq; in nos transfundi nequit. *Non magis enim contradictorium est, rem jam dudum peractam*

in alterum

in alterum transfundi, quàm alteri imputari, seu verè & re ipsa, non sola intellectus imaginatione, alterius esse censeri. Nam imaginariè rem aliquam peractam in alterum transfundi non magis repugnat, quàm eandem alterius esse imaginari. Imò si rem ipsam expendamus, imputatio ista, si vera sit, veram, si imaginaria, imaginariam transfusionem includit. Unde & tu infrà pag. 153. tui oblitus, imputationem in genere translationem significare affirmas. at translatio quid hîc, quæso, differt à transfusione?

Sed aliud addis isti tuæ collectioni adminiculum. Idipsum, *inquis*, confirmat oppositio inter inobedientiam Adami, & obedientiam Christi. *nempe quia putas, Adami inobedientiam & peccatum ipsius posteritati imputari. At hoc æquè tibi negamus, quàm Christi obedientiam credentibus imputari. Nec ad id, ut per Adami quidem inobedientiam posteritas illius damnari, per Christi verò obedientiam ejusdem posteritas, hoc est, credentes justificari dicantur, ista imputatione (quæ etiam nec fieri potest, nec si posset justa esset) quidquã est opus. Sufficit quòd & illa causa quædam & occasio fuerit posteris damnationis, & hæc justificationis. At quomodo, inquies, Adami quidem inobedientia damnationis, Christi autem obedientia justificationis causam occasionemq́; dedit? Nempe, quatenus posterorum quidem Adami propriis peccatis accedentibus, quamvis fortè non contra ullam apertam Dei legem & sub mortis comminatione propositam deliquerint, ut fecerat*

cerat Adamus, non iniquum fuit eos eandem damnationis aleam cum patre subire, tum quòd originem ex eo ducerent, tum quòd & ipsi, peccati nihilominus affines sese reddidissent: quæ pœna, nisi peccatum Adami fecisset, posteris ejus, contra talem Dei legem non peccantibus, haud fuisset subeunda. Peccatum enim, ut hoc ipso in loco, & hunc ipsum in finem docet Apostolus, non imputatur, ubi lex non est. Similiter etiam decrevit Deus, non tantùm Christum, qui alter Adamus est, propter ipsius perfectam & omnibus numeris absolutam obedientiam justificare, & æterna vita donare, sed etiam omnes in Christum credentes, dummodo & illi obedientiam ejus pro virili imitentur, etiamsi tam perfectè, ut ille, non obediant, sic ut ipsius Legis vi justificari possint; non quòd hoc ipsum quoq; obedientia Christi propriè loquendo sit commerita, aut ipsius discipulis imputetur; sed quòd æquum censuerit benignissimus Deus, eos, qui spiritualiter ex Christo per fidem progenerati essent, quiq; obedientiâ, quantum viribus suis conniti possent, Christo sese similes reddidissent, parem cum Christo justificationis & felicitatis sortem adipisci. Atq; hæc est summa totius istius collationis, inter Adamum & inter Christum, ab Apostolo hoc capite 5. institutæ. Huc enim tendit Apostolus, & eum in finem hunc Adami & Adamicæ posteritatis typum attulit, ut ostendat, non minùs nunc, imò multò convenientiùs credentes in Christum, licèt vi Legis justificari nequeant, propter Christi obedientiam,

accedente

accedente tamen & ipsorum obedientia justificandos esse, quàm olim Adami posteros, licèt similiter vi Legis damnari non possent, propter Adami peccatum, accedente tamen & ipsorum peccato, (hoc enim expressè adjicit Paulus v.12.) damnatos fuisse.

Quod deniq; addis, Christum 1. Cor. 1. 30. eo sensu nobis factum justitiam dici, quòd ejus justitia nobis imputatur, *falsum est, nec ulla, nisi inani conjectura nititur. imò cùm ibidem dicatur nobis factus esse, non solùm justitia, sed etiam sapientia, & sanctificatio, & redemtio, profectò, nisi velimus, nos non reipsa, & sapientiæ, & sanctificationis, & redemtionis, sed tantùm imputativè, seu potiùs putativè, per Christum factos esse participes, neq; justitiam istam de imputativa justitia accipere debemus.* Itaq; *istorum verborum nullus alius est sensus, quàm Christum Iesum nobis factum esse causam* sapientiæ, *quæ in notitia divinæ voluntatis per Evangelium revelatæ consistit;* justitiæ, *id est, justificationis;* sanctificationis, *id est, vitæ sanctæ;* redemtionis, *id est liberationis ab æterna morte, & vitæ æternæ. Rectissimè enim per metonymiam id fieri dicitur alicui sapientia, justitia, sanctificatio, redemtio, quod illi istorum omnium est causa. Sic Paulus de Lege:* Bonum igitur factum mihi est mors, *id est, mortis causa, Rom. 7. 13.*

Tertium locum affers ex posteriori ad Corinth. cap. 5. v. ultimo: Eum, qui non novit peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia

justitia Dei in ipso. *Hîc primò conaris ostendere, Christum peccatum factum fuisse dici, quòd illi peccata nostra fuerint imputata. Istud nec verum est, nec si esset, idcirco protinus hoc loco significaretur. Verum id esse, duplici rursus Scripturæ testimonio & duplici ratione vis evincere. Prius testimonium petis ex Es. cap. 53. 6.* Omnes nos, tanquam oves, erravimus, unusquisque ad viam suam conversi sumus, & Dominus fecit occurrere in eum iniquitatem omnium nostrûm. *Ita enim legitur in Hebræo. Occurrere verò fecit Deus iniquitatem omnium nostrûm in Christum, quatenus fecit, ut, quemadmodum superiùs locutus est Propheta v. 4. vulneratus fuerit à prævaricationibus nostris, attritus ab iniquitatibus nostris, id est, propter nostras prævaricationes & iniquitates. quomodo autem propter nostras prævaricationes fuerit attritus & vulneratus, ibidem explicat Propheta, cùm addit:* Castigatio pacis nostræ super eum, & in livore ejus medicatum est nobis. *quod nihil aliud est, quàm ejus castigationem, hoc est afflictionem, pacem & felicitatem, ejus livorem animæ nostræ sanitatem attulisse. Pax verò ista & sanitas inprimis in perfecta remissione omnium peccatorum, deinde etiam in conversione ad Deum consistit. Ideoq; statim Propheta subjicit hæc, quæ nunc præ manibus habemus, verba:* Omnes enim sicut oves erravimus, *&c. Et Petrus hunc locum explicans 1. Epist. cap. 2. v. 24. utramq; istam sanitatem conjunxit. postquam enim dixisset*

dixiſſet, Chriſtum peccata noſtra in corpore ſuo ſurſum tuliſſe ſuper lignum, quibus verbis reatûs peccatorum noſtrorum ablationem ſignificavit, ſtatim addit, ut peccatis mortui juſtitiæ vivamus, qua in re altera illa ſanitas, ex priori fluens, continetur. Quatenus ergo Chriſtus afflictus & mortuus eſt, ut & peccatorum omnium pleniſſimam remiſſionem conſequeremur, & à peccatis abduceremur, eatenus propter peccata & prævaricationes noſtras vulneratus & attritus eſt, & eatenus fecit Deus in illum occurrere iniquitatem omnium noſtrûm, quæ eum vehementer afflixit, illiq; maximum faceſſivit negotium. Vt verò per Chriſti mortem iſta conſequantur, nulla imputatione peccatorum noſtrorum, quæ fiat Chriſto, nullæ ſatisfactione pro illis eſt opus; imò & imputationem propriè dictam, & ſatisfactionem penitus abeſſe eſt opus.

Præterea, ſi quis Petri veſtigia legat, qui hunc Eſaiæ locum illuſtrare quodammodo voluit, videbit, eum pro iſtis Prophetæ verbis, occurrere fecit in eum iniquitatem noſtram, *hæc reponere,* ſed converſi nunc eſtis ad paſtorem & epiſcopum animarum veſtrarum. *Vnde non immeritò hæc Eſaiæ verba ita ſunt explicanda, ut ſenſum Petri verbis expreſſum continere dicantur, nempe, ut occurſus iniquitatis noſtræ in Chriſtum nihil aliud ſit, quàm noſtra ad Chriſtum converſio; quaſi dixerit Propheta: Errabamus per hujus ſeculi deſertum, variis acti cupiditatibus, & iniquitatibus indulgentes; ſed Deus*

fecit,

fecit, ut in Christum isti nostri errores tandem inci-derent, & sic in eo terminarentur. Qui enim errans in Christum incidit, illiq́; errando occurrit, is errandi finem facit, & ad fidelem animæ suæ pastorem & episcopum convertitur.

Posterius testimonium sumis ex Petri verbis à nobis jam citatis, cùm ait, Christum peccata nostra sustulisse in corpore suo super lignum, *v.24. Verùm his verbis nihil aliud significatur, quàm quòd Christus peccata nostra veluti suo corpori imposita sursum in crucem secum tulerit, sic ut unà cum ipso fuerint extincta & crucifixa, hoc est, crucis mortem subierit, ut peccatorum nostrorum reatum omnem extingveret & aboleret. quod qua ratione citra imputationem aut satisfactionem factum fuerit, alibi ostendimus.*

Quod ad rationes attinet, una est, peccatum, quod Christus factus esse dicitur, non significare hic tantùm hostiam expiatoriam, sed etiam peccatũ propriè dictum, quia justitia, quæ peccato opponitur, justitiam propriè dictam significet. *Atqui de hoc ipso nunc quæritur, Meisnere, an justitia propriè dictam justitiam hoc loco significet. Qui enim imputationem justitiæ Christi negat, eo ipso etiam justitiam hic propriè accipi non concedit. Altera ratio est,* quòd Christus alienam luerit culpam. *Respondeo: luere alienam culpam dupliciter dicitur; vel propriè ob alienam culpam puniri; vel tantùm occasione alienæ culpæ affli-*

gi, &

gi, & malum aliquod pati. Priore ſenſu concedo, ei, qui alienam culpam luit, alienum delictum imputari; ſed Minorem hoc ſenſu nego. poſteriore ſenſu Minorem quidem concedo, ſed Majorem nego. Multi enim occaſione alieni delicti malum aliquod pati poſſunt, nec tamen ſequitur, illis delictum iſtud imputari. Neq; *prædictus Eſaiæ locus, ad quem hîc iterum digitum intendis, Chriſtum ob aliena delicta verè punitum fuiſſe docet, ſed tantùm illorum cauſa & occaſione afflictum. Vnde &* Caſtigationis *voce iſtic ver. 5. convenienti metaphorâ Vates uſus eſt.*

Sed ut demus, peccata noſtra Chriſto fuiſſe imputata, num confeſtim ſequetur, hoc iſtis verbis, Deus Chriſtum fecit peccatum, *fuiſſe ſignificatum? Certè multi viri docti exiſtimârunt, Chriſtum ideo tantùm hîc peccatum factum fuiſſe dici, quòd factus ſit hoſtia pro peccato, quæ frequenter in Sacris Literis peccatum nominatur: quem ſenſum etiam non rejicit, imò agnoſcit Meiſnerus, ſed ſufficientem eſſe negat, & imputationem peccati unà vult includi. Atqui nullo congruo ſenſu diceretur, Deum Chriſto peccata noſtra imputâſſe in eum finem, ut nobis juſtitia illius imputaretur. Annon enim juſtitia Chriſti nobis imputari potuiſſet, etiamſi illi peccata noſtra non fuiſſent imputata? vel quomodo ex eo, quòd Chriſto peccata noſtra imputata fuerunt, ejus viciſſim juſtitiam nobis imputari conſequitur? Adde, quòd hoc tanquam omnium efficaciſſimo argumento movere velit Paulus homines, ut cum Deo reconcilientur,*

tur, hoc est, inimicitias erga Deum deponant, illum ament, illi serviant, totoq; pectore pietatem ac justitiam sectentur. At quæ esset ad hanc rem efficacia in eo, quòd Christo nostra peccata fuerint imputata, ac vicissim illius justitia nobis? Num ex hac imputatione sequetur, nos debere peccatis in perpetuum valedicere, & omnis generis justitiæ ac bonis operibus, quâ in re nostra cum Deo reconciliatio consistit, deditos esse? Et cur non dicit Paulus, ut fieremus justitia Christi, *si de justitiæ Christi imputatione loquebatur; sed* ut fieremus justitia Dei? *Num verò Dei ipsius justitia nobis imputatur?*

Chrysostomus certè, cujus verba hîc satis eleganti a citas, agnovit, istam justitiam ideo vocari Dei justitiam, quòd ab ipso Deo proficiscatur, et is, non alius sit illius Auctor. Ait enim in postrema verborum à te citatorum parte: Dei enim est ista, *nempe justitia,* quando non ex operibus, sed à gratia fit justificatio. *Ubi simul ostendit, quid ille per justitiam istam* Dei *intellexerit, nempe justificationem, non verò vitæ sanctitatem & innocentiam. Quod sanè verissimum est. Nam, ut verum istorum verborum sensum & explicationem afferamus, dicimus primò, voces abstractas,* peccatum *&* justitiam *poni pro concretis, ut peccatum quidem significet* peccatorem, justitia *autem* justos; *quod & Chrysostomus ipse, in iisdem à te citatis & laudatis verbis, agnovit, Explicans enim hæc verba ait:* Iustum, *nempe Christum,* fecit Deus peccatorem, ut peccatores, *nempe*

nos, faceret justos. *additq́; Paulum* non sic dixisse, sed quod multò majus erat: non enim, *inquit*, habitum posuit, sed qualitatem, non dixit peccatorem, sed peccatum, ut nos fieremus, non dixit justi, sed justitia, & justitia Dei. *Nonne satis apertè ostendit Chrysostomus, quid de his verbis senserit, nempe qualitatem pro habitu per exaggerationem, hoc est, peccatum pro peccatore, justitiam pro justis positam esse?*

Iam verò fieri aliquem peccatorem, & sic peccatum ipsum, idq́; eum, qui pecatum non novit, quid aliud est, quàm eum, qui innocentissimus sit, maximi alicujus & pessimi peccatoris, ac facinorosissimi hominis instar tractari? Sic 3. Reg. 1. 21. Bethsabea Davidem monet, ut ante suam mortem constituat populo, quem regni successorem esse velit. Nam, *inquit*, te mortuo, ego & Salomon filius meus erimus peccatores. *Quod nihil aliud est, quàm pessimè nobiscum, immeritis licèt & innoxiis, agetur post mortem tuam, tanquam cum hominibus sceleratis & perduellibus. Adonias enim, vivente adhuc Davide, Bethsabeæ & Salomoni metuendus, regnum invaserat. Sic Israëlitæ, apud Pharaonem de injuria conquerentes*, Palea non datur, *inquiunt*, servis tuis, & dicunt nobis, facite lateres, & ecce servi tui cæduntur, & peccat populus tuus, *Exod. 5. 16. peccare dicitur populus, quia tanquam nocens & meritus, quamvis esset innocens, affligebatur.*

Hæc verò oppositio, inter peccatum non nos-

se, *& tamen* peccatum fieri, *quam studiose insinuare voluit Apostolus, duorum nos, antequam ulteriùs pergamus, admonet. Unum est, quòd Christo innocentissimo, aliena peccata non fuerint imputata, præsertim à Deo, qui justissimus est; ac proinde quòd Christus non fuerit eo respectu, ac si nocens & peccator esset, peccatoris instar tractatus. Iniquissimum enim est innocenti prorsus aliena delicta imputare, & eo respectu, quòd illum pro nocente habeas, pessimè mulctare, idq; tantò magis, si ipsum nocentem sponte dimittas impunitum, quod hîc factum fuiße docet Apostolus. Alterum est, per peccatum non eße intelligendam hostiam pro peccato. Nam sic tolleretur elegans ista oppositio, inter peccatum non noße, & tamen peccatum fieri. Hostia enim pro peccato non polluta & vitiosa, sed ab omni labe pura eße debebat.*

Explicata priori istorum verborum parte, ipsa oppositio, quam studiose consectatus est Apostolus, ad alterius partis intelligentiam nos veluti manu ducit, ut sit sensus, idcirco Christum innocentem nocentissimi hominis instar, ex divino consilio, fuiße tractatum, ut nos, qui gravissimè peccavimus, adeò ut ipsum peccatum dici mereremur, Dei justitia fieremus, *id est, ita acsi prorsus justi, & ab omni peccato immunes, imò ipsa justitia fuißemus, ab ipso Deo tractaremur; quod nihil aliud est, quàm ut Chrysostomus voluit, justificaremur, & ab omnibus peccatorum pœnis liberati æternam vitam adipisceremur. Addit autem Paulus,* in ipso, *ostendere volens, nos tum*

demum

demum tantum bonum ex Christi dira morte proveniens re ipsa à Deo adepturos esse, si in Christo simus, id est, ad Christum, ac proinde ad ipsum Deum conversi, & cum eo reconciliati, depositis omnibus peccatis, viva fide & per charitatem efficaci ei penitus adhæreamus, vel, ut omnia simul includamus, nos tantum bonum, nempe iustificationem, à Deo nonnisi per Christum ipsum consequi.

His ita explicatis & confirmatis, jam argumentum tuum ex hoc loco ductum non tantùm concidit, sed etiam in te retorqueri potest. Maior enim argumenti tui est: Quomodo Christus pro nobis factus est peccatum, sic nos per ipsum efficimur justitia Dei. *Rectè: Igitur si Christus non est factus pro nobis peccatum per imputationem, quod adhuc stendimus; neque nos facti sumus per ipsum justitia per imputationem. Tandem, ut opinor, apparet, te nequaquam istis tuis argumentis evicisse, falsam esse Socini thesin, quâ statuit, Apostolum nihil prorsus vel loqui, vel loqui cuiquam meritò videri posse, de Christi justitia & innocentia nobis imputata.*

Quæ hîc de Piscatoris & Pontificiorum sententia disserit Meisnerus, cùm nihil ad nos pertineaut, missa faciemus, dummodo verum id esse constet, quod affirmat Socinus, Evangelicos, id est, ut jam sæpe monuimus, Calvinianos vulgo dictos, cœpisse istam imputationem justitiæ Christi aliter nunc explicare, nempe, ut nihil aliud significet, quàm justitiâ, sive

obedientiâ Christi ad mortem crucis fieri, ut nobis in eum credentibus peccata non imputentur. Quod cùm ipse Meisnerus de Piscatore ejusq; aßeclis concedat, non est, cur pluribus dictum Socini comprobemus.

II. Sententia Meisneri de imputatione justitiæ Christi examinatur.

Error errorem trudit, ideoq; in hac erroneæ tuæ sententiæ explicatione nil nisi errores occurrunt.

Ais, imputationem in genere esse translationem alicujus rei, quando alteri ab altero aliquid tribuitur, vel adscribitur. *Num ergo alicui imputatio sine translatione fieri nequit? At cùm alicui, verbi causâ, peccatum ipsius proprium aut etiam fides imputatur, quæ hîc est translatio?*

Ais, imputationem juxta Scripturam esse duplicem: Vnam secundùm debitum; Alteram secundùm gratiam, *Rom. 4, 3, 4, 5. Primò cùm de imputatione in genere loquaris, non rectè illam hoc modo dividis, cùm ista divisio competat tantùm imputationi, quâ res bona alicui imputatur: quemadmodum & ex re ipsa, & ex textu Pauli, unde hanc divisionem hausisti, manifestum est. Itaque potiùs dicere debebas, imputationem eße duplicem: unam, cùm res bona alicui imputatur: alteram, cùm res mala & noxia. Deinde dico, si propriè & accuratè loquamur, non eße imputationem rei bonæ hoc modo dividendam. Nam, ut alibi diximus, cùm res*

bona alicui imputari dicitur, in hac imputatione gratia imputantis includitur.

Istud autem multò peius à te dictum est, imputationem secundùm gratiam esse rationalem, nec ejus, *ut paulò pòst scribis,* fundamentum extare in eo, cui fit imputatio. *Num ergo Abrahamo, cui secundùm gratiam facta est imputatio, non re ipsa, sed mentaliter tantùm, & solo rationis conceptu, iustitia seu iustificatio fuit imputata? Num in illo istius imputationis eximium fundamentum, id est, fides viva & efficax non fuit?*

Imputationem secundùm debitum explicans, affirmas, Paulum illam hoc modo efferre: Ei qui operatur, merces imputatur ex debito. *Cùm tamen Paulus sic non loquatur, utpote qui verbum* imputandi *non exprimat tum, cùm de attribuenda mercede illi, qui operatur, loquitur: non exprimit autem, quòd imputatio in rebus bonis, gratiam, ut diximus, includat. ideoq; in Pauli verbis, vel verbum vicinum* datur *pro* imputatur *attendi debet, vel, ut in eiusmodi brevibus & concisis locutionibus crebrò accidit, ἀκύρως locutus est Paulus.*

Ais, in hac imputatione secundùm debitum relationem & proportionem quandam esse inter mercedem & opera, quia merces imputetur propter opera. *Atqui etiam relatio & proportio quædam est in imputatione secundùm gratiam inter fidem & iustitiam, quia iustitia imputatur propter fidem. Non in proportione aliqua consi-*

stit imputatio secundùm debitum Meisnere, sed in æqualitate laboris & mercedis; & ideo est secundùm debitum, non secundùm gratiam.

Imputationem secundùm gratiam esse, *dicis*, cujus fundamentum non est in eo, cui fit imputatio, sed in ipso imputante, ut hoc loco in gratia & misericordia Dei justificantis impium. *Falsum est, nullum prorsus esse fundamentum imputationis secundùm gratiam in eo, cui fit imputatio. Est enim in eo fides, fidemq́ consequitur obedientia, sed non est tale fundamentum, ut injustum omnino sit imputationem non fieri, & idcirco cùm fit, gratiam & misericordiam imputantis intervenire est necesse. Et hoc expressit Paulus istis, quæ citas, verbis:* Ei autem, qui non operatur, credenti verò in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam. *Nec enim propterea is, cui hîc iustitia imputatur,* non operari *dicitur, quòd planè nihil boni operetur; an enim fides opus bonum non est? imò cuncta bona opera hîc in se continet; sed Apostolus per* operantem *intelligit illum, qui talia habet opera, ut iis justificationem mereatur, quemadmodum ex ver. 4. constat, ideoq́* non operans *est ille, qui licèt plurima bona opera habeat, nihilominus tamen perfecta & meritoria non habet. Similiter non propterea impium justificare dicitur Deus, quasi eum, cùm iustificatur, sit adhuc impius: quomodo enim impietas cum fide viva in Deum consistere potest? sed quòd fuerit antea impius: nec quasi omnis, qui per fidem*

dem iuſtificatur, fuerit antea impius: falſum enim id eſt: ſed quòd talem etiam Deus juſtificet, dummodo credat, & impius eſſe deſinat. Quare duplex eſt iſtius imputationis ſecundùm gratiam fundamentum: unum eſt in homine, cui imputatur; alterum in Deo, qui imputat. In homine eſt fides, fidemq́ conſequens pietas; in Deo eſt gratia & benignitas.

Libet hîc ex Meiſnero ſciſcitari, cùm imputationem in genere duplicem eſſe dixerit, alteram ſecundum debitum, alteram ſecundum gratiam, ad quamnam imputationis ſpeciem referre velit eam, quâ Chriſto peccata noſtra ſunt imputata? Ad priorem eam referre impium eſt, ad poſteriorem ſtultum. quam enim quæſo Deus gratiam erga Chriſtum exercuit, cùm illi peccata noſtra imputavit? Neq́ eſt quod dicas, nobis ea in re gratiam fuiſſe exhibitam. Nam imputatio ſecundum gratiam, gratiam continere debet erga illum ipſum, cui fit imputatio. Iam verò cùm definitio imputationis ſecundum gratiam à Meiſnero tradita (nempe quòd ſit illa, cujus fundamentum non eſt in eo, cui fit, ſed in ipſo imputante) competat etiam imputationi, qua Chriſto peccata noſtra, ut vobis placet, fuerunt imputata, quæ tamen non eſt ſecundum gratiam: hinc conſequitur, Meiſnerum tradidiſſe definitionem ſuo definito latiorem, ac proinde vitioſam.

Iuſtitiam Chriſti nobis imputari falſum eſt; & contextum Paulinum luculenter id indicare, iterum falſum eſt, ut alibi vidimus.

Quæ hinc colligit Chemnitius, perperam colligit, non rectè, ut Meisnero visum est, 1. In credentibus non esse fundamentum illud, cujus ratione & respectu justitia ad beatitudinem imputetur. *Iustitiam ad beatitudinem imputari, nova phrasi & Scripturæ inusitata dicitur, deinde incertum est, quid per fundamentum istud, cujus ratione & respectu justitia ad beatitudinem imputetur intelligi debeat. Nam si per illud intelligitur ipsa justitia, ineptè dicitur, ratione & respectu justitiæ, justitiam ad beatitudinem imputari. Præterea si justitia alicui ad beatitudinem imputatur, quomodo justitia in illo non erit? falsum enim prorsus est, alicui ad beatitudinem imputari id, quod in ipso non sit. Ideo etiam justitia, nempe perfecta, non dicitur hominibus ad beatitudinem imputari, utpotè quæ in hominibus non sit, sed tantùm fides, quæ in illis revera est, & esse debet.*

2. Contrarium reperiri fundamentum, si Deus vellet in judicium intrare, nempe peccatum, quod tegendum est, ne imputetur. *Hinc apparet, illum per fundamentum, cujus respectu justitia imputetur ad beatitudinem, intellexisse ipsam justitiam, quandoquidem isti fundamento contrarium fundamentum esse dicit peccatum. Non ergo sic loqui debebat Chemnitius:* In credentibus non reperiri fundamentum, cujus respectu justitia imputetur ad beatitudinem. *hoc enim dicere ineptum esse ostendimus; sed* cujus respectu beatitudo vel justificatio

juſtificatio imputetur hominibus, *utpote cum in illis fundamentum damnationis, nempe peccatum, reperiatur. Verùm utrumq; ſimul poteſt conſiſtere, Chemniti, alio modo, alio reſpectu. Eſt in credentibus fundamentum damnationis, ſi Deus ſummo jure velit agere: Eſt etiam juſtificationis ſi ſumma æquitate, & gratuitâ imputatione juſtificationis velit uti.*

3. Iſtā imputationem quâ ex gratuitâ miſericordiâ propter Chriſtum credentibus peccata non imputantur, ſed potiùs juſtitia, id eſt, pro talibus habentur coram Deo in judicio ejus, ac ſi perfectam haberent juſtitiā inhærentem, eſſe relationem mentis & voluntatis divinæ. *Hîc primò non apparet, Chemnitium velle, ut credentibus aliena imputetur & adſcribatur juſtitia: ſed illis potiùs propriam juſtitam in Dei judicio vult adſcribi, & illos pro juſtis omniq; crimine vacuis, licèt id propter Chriſtum, id eſt, illius ſatisfactionem fiat, cenſeri. deinde in eo ſibi contradicit, dum ex gratuita miſericordia, & tamen propter Chriſti meritum & ſatisfactionem, iſtud fieri putat. tertiò ex imputatione veriſſima & ſolidiſſima, quâ nobis peccata non imputantur, & imputatur juſtitia, meram facit relationem, merum figmentum, ſeu ens rationis, cuius nullum ſit in reipſa fundamentum. Hoc autem propterea facit, quia quid ſit iſta imputatio non intelligit, quæ non in eo ſita eſt, ut Deus cenſeat, nos nunquam peccaſſe, & perfectè ipſius Legem ſervâſſe:*

vâße: (Hoc enim falsum est, et si id Deus censeret, falsum censeret; quod absit;) sed ut peccatorum nostrorum nullam rationem habeat, illorum reatum dimittat, nobiscum sic agat, ac si perfectam haberemus justitiam. Istud autem non est ens rationis, non vana opinio, sed solidissimum Dei clementissimi beneficium. Hæc ex Chemnitio, seu potiùs unà cum Chemnitio Meisnerus.

Pergit ipse. Ex quo patet, *inquit*, duos in justificatione concurrere imputationis modos: unum privativum, alterum positivum. Illum, *dicit*, esse rei, quæ in homine existit, & imputari deberet, non imputatio, & consistit tum in oblivione & non annotatione peccati, tum in dimissione reatus. *Hactenus non malè, nisi quòd ista reipsa sint apud Deum idem, peccati oblivisci, illudq; non notare, & eius reatum dimittere.*

Alterum modum videamus. Hunc, *eße dicit*, ejus rei, quæ in nobis non existit, & quam minime promeruimus, ac si in nobis existeret, attributio, quando videlicet Deus pro verè justis & sanctis nos habet, quum tamen tales per nos ipsos non simus. *Multa hîc occurrunt, quæ reprehensionem merentur. 1. Cur istum alterum modum positivum non explicasti convenienter primo illi modo privativo? Quemadmodum enim illic non dixisti, Deum censere, nos unquam peccaße, sed dixisti quod res est: ita & hîc dicendum tibi fuerat, Deum non quidem censere, nos eße perfectè iustos, sed ita nobiscum*

nobiſcum agere, ac ſi tales eſſemus, id eſt, nos iuſtificare, & præmium æternæ ſalutis perfectè iuſtis tantùm divina lege debitum nobis adjudicare. 2. Ineptè loqueris, cùm dicis, nobis eam rem, quæ in nobis non exiſtit *(id eſt, perfectam juſtitiam & ſanctitatem)* & quam minimè promeruimus, attribui. *Quis perfectam iuſtitiam & ſanctitatem promereri poteſt, cum meritum iſtud ipſa ſit iſta ſanctitas & juſtitia? 3. Iſtam imputationem dicis eſſe rei, quæ in nobis non exiſtat, attributionem: cùm falſum ſit, quidquam nobis imputari & attribui à Deo, quod in nobis vel ante imputationem, vel ſaltem poſt imputationem non ſit. ante imputationem peccati eſt in nobis peccatum, nec imputaretur, niſi eſſet; poſt imputationem juſtitiæ, id eſt juſtificationis eſt juſtificatio. 4. Falſam opinionem Deo tribuis, qui dicis, illum nos pro juſtis habere, cùm tamen minimè ſimus; imò contradictionem implicas. nam ſi Deus nos pro verè juſtis & ſanctis habet, neceſſe eſt, ut verè juſti & ſancti ſimus: at ſi ſumus, quomodo non ſumus?*

Pergit Meiſnerus, & excuſare Deum vult, quòd nos, licet minimè juſtos, nihilominus juſtificet. Nō *excuſare Deum debebas Meiſnere, ſed tantam ipſius gratiam & clementiam ad ſidera extollere. Verùm quia per vos Deo beneficum eſſe non licet, age excuſationes iſtas videamus.* Iudex, *inquit,* mundanus, ſine fundamento juſtificans impium, abominatio eſt Domino, multo minùs Deus aliquem juſtificabit ſine fundamento & juſtiti-

tia,

tia, hoc est, nisi juxta legem satisfactum sit pro peccato, & lex perfectâ obedientiâ fuerit impleta. *Adeò densus es erroribus Meisnere, ut quò priùs manus vertenda sit nesciamus. Iniurius es in Deum supremum rerum Dominum, qui existimes, illum hactenus cum iudice mundano conferendum, ut quemadmodum huic non liceat impium iustificare, sic nec illi.* Non *animadvertis, mundanum iudicem non sibi, sed aliis ius dicere; nempe tum Deo, qui impium punire iussit, tum aliis, quibus impietate sua nocuit. At verò summus ille iudex & Dominus, cùm peccatorem sibi reum iudicat, cui ius dicit præterquam sibi? Nonne illi licebit de suo iure dimittere quantum velit, quod nobis illius mancipiis licet, & sæpè nos decet, imò ab ipso Deo præceptum est? Num alicui faciet iniuriam, cùm iustificabit impium? Certè non ipsi impio, non aliis: cùm nemo ius habeat in pœna impii, præterquam ipse. non etiam sibi ipsi, cùm nemo sibi facere possit iniuriam. Beneficium ergo sine cuiusquam iniuria, & beneficium prorsus eximium non licebit Deo per vos exercere?*

Non idcirco autem Deus planè sine fundamento impium iustificat, quòd illum iustificet sine perfecta legis obedientia. Si iustificaret impium in impietate versantem, sanè absq; fundamento ullo, nempe in eo, qui iustificatur, existente iustificaret; quod licèt illi liberum sit, non tamen fuerit ipsius sanctitati satis congruum. Ideoq; nec unquam Deus hoc modo impium iustificat, sed cùm pœnitentiam agit, cùm ad

Deum

Deum convertitur, cùm Deo confidit, peccata abiicit, divinis legibus inposterum ſeſe mancipat. Et talem impium iuſtificare divinæ bonitati & clementiæ prorſus eſt conſentaneum. Iſta autem ſumma clementiæ laude Deum ſpoliant, quicunq; eum, niſi ſatisfactum ſit plenè pro peccatis, neminem iuſtificare poſſe putant.

Dum verò divinam iuſtitiam tantopere propugnare videri vultis, ſummam injuſtitiam ei attribuitis, & dum eum legi, quam ipſe tulit, nimiùm adſtringitis, maximam ei legis violationem adſcribitis. Hoc dico propter pœnas ab innocente Christo, ut vobis videtur, exactas. Nihil enim iniuſtius, quàm innocentem puniri. Neq; lex punire innocentem pro nocente iubet, aut concedit, ſed prorſus vetat & prohibet; nec tantùm per id violatur, cùm nocens non punitur, ſed etiam, idq; multo magis, cùm punitur innocens.

In Dei etiam ſapientiam mirum in modum iniurii eſtis, ac ſi is non videat, minimè hac ratione ſibi & legi ſuæ ſatisfactum eſſe. Lex enim non ſimpliciter pro peccato requirebat mortem aliquam, ſed requirebat mortem ipſius peccatoris. Iam verò quo pacto poteſt mors innocentis fieri mors peccatoris? Et ut demus, mortem unius, ſeu corporalem pœnam, poſſe fieri mortem & corporalem pœnam alterius: Num una mors, eaq; brevis tot mortes, easq; æternas, ab innumeris peccatoribus debitas, æquabit? Hoc ipſum etiam de obedientia Christi legi præſtita dictum volumus.

Quodſi

Quod si autem idcirco Deus peccatores & impios justificat, quòd pro illorum peccatis plenè satisfactum sit ab alio, & lex pro illis perfectè servata, quomodo ista imputatio iustitiæ erit rationalis, non realis? quomodo tantùm erit relatio mentis & voluntatis divinæ? quomodo illius fundamentum erit in imputantis gratia & misericordia? Pro quo enim verè satisfactum est, & lex perfectâ obedientiâ impleta, illi iustitia non potest non imputari: & iniustus eßet Deus, nisi eam imputaret. Itaq; aperta est contradictio dum dicitis, pro peccatoribus verè ac in solidum tum ratione pœnæ, tum ratione obedientiæ legi debitæ satisfactum eße; & tamen illis iustitiam relatione tantùm mentis & voluntatis divinæ, ex gratuita misericordia imputari.

Illud etiam contradictorium est, Deum requirere, ut & pro peccatis satisfiat, & lex perfecta obedientia impleatur. ubi enim perfecta est obedientia, ibi peccato nullus est locus; & vicissim, ubi peccata sunt, & pro iis satisfactio, ibi perfecta obedientia excluditur. Non potest ergo simul requirere, quæ simul non poßunt consistere. Nec etiam debet, cum alterutrum sufficiat. Cùm enim pro peccato satisfactùm est, nullum ad puniendum jus superest: cùm etiam perfectè lex impleta est, nullum similiter jus ad pœnam adest.

Ex his autem, quæ adhuc diximus, manifestum est, ad id, ut peccator justificetur à Deo, nihil eße opus, ut fundamentum istud ab alio præstitæ pro ipso satisfactio-

satisfactionis & obedientiæ adsit, ideoq; necesse non esse, ut cùm in ipsis credentibus non inveniatur, in alio aliquo quæratur, quem Christum esse dicit Meisnerus. Sed quibus argumentis? Qui à Deo Patre, *inquit*, nobis factus est propitiator & mediator. *Propitiator, vel, ut Scriptura loquitur, propitiatio pro peccatis nostris, aut etiam propitiatorium, factus est à Patre Christus. Ergo pro nobis pœnas dedit, & nostri loco perfectâ obedientiâ Legem implevit. Quæ consequentia? Annon propitiatio, vel propitiatorium, vel etiam, ut Meisnerus loquitur, propitiator erit Christus; tum quòd Deus in illo sese mirum in modum propitium humano generi declaraverit & exhibuerit, dum per illum hominibus obtulit peccatorum omnium veniam, & vitam sempiternam, dum ipsum ad tantam suam gratiam ac clementiam testandam, & æterno fœdere sanciendam in mortem acerbissimam dedit: tum quòd per illum tanquam victimam à Deo pro peccatis in mortem traditam, & tanquam summum Pontificem à Deo constitutum, omnes homines Deum mirè propitium sentiant & experiantur, dum nimirum per ipsum peccatorum suorum remissionem, & æternam salutem adipiscuntur? Annon etiam olim operculum illud arcæ propitiatorium vocatum fuit, non quòd Deum hominibus ex irato redderet propitium, aut iram illius placaret, sed quòd Deus in illo, tanquam throno quodam suo, licèt umbratili tantùm, propitium sese populo & responsa dando, & peccata illius expiando exhiberet?*

Mediatoris verò nomen, si cum Scriptura loquamur, eum significat, non qui Deo pro hominibus satisfaciat, sed qui inter Deum & homines, ad fœdus Dei nomine cum illis pangendum, pacemq; hac ratione constituendam, interveniat. Cujus rei manifestissimum documentum habemus Mosen, Christi hac in parte typum, qui non idcirco mediator appellatus fuit, quòd Deum infensum Israëlitico populo placârit, & ad iram deponendam, præstita pro populo satisfactione, adduxerit, utpote cùm populum istum suâ sponte Deus amaret, & in eo eßet, ut è tristi servitute suâ gratiâ vindicatum in terram promißam deduceret: sed quòd per illum Deus fœdus suum Israëlitico populo promulgârit ac sanxerit. Similiter & Christus ideo mediator eße inter Deum & inter homines dicitur, non quòd Deum hominibus infensum placârit, utpote qui ingenti hominum amore tùm temporis suâ sponte jam flagraret, & in eo eßet, ut illos ex servitute peccati ac mortis vindicatos in gloriam suam cœlestem perduceret; sed quòd Novum Fœdus Dei nomine & promulgârit, & non animalium, ut Moses, sed suo proprio sangvine sanxerit & firmârit. Hinc etiam à divino illo Auctore Epistolæ ad Hebræos, non simpliciter mediator, sed novi fœderis mediator appellatur cap. 8. 6. & 9. 15. non aliam ob causam, quàm quòd novum fœdus inter Deum & homines panxerit. Et ideo Paulus quoque, cùm Christum hominem mediatorem Dei & hominum nominâßet, statim meminit Christi mortis, quippe

quâ novum fœdus, ad omnes homines spectans, sancitum fuit, & per quam Christus seipsum ἀντίλυτρον dedit pro omnibus. *quod qua ratione inter alia factum sit, statim sic declarare videtur Apostolus:* testimonium temporibus propriis. *Dum enim Christus per mortem suam de divino isto fœdere, quod attulit, testatur, dum illud hac ratione confirmat & sancit, omnes ex servitute peccati & mortis æternæ, quantum in illo erat, redimit atque liberat. Qui enim fœderi per Christum allato & sancito ex animo credit, is fidei istius vi peccata relinquit, & tandem ex morte in vitam sempiternam ipsius fœderis jure vindicatur. Quid? ne vulgi quidem opinione ille mediatoris nomine significatur, qui uni parti pro altera, idq́ plenissimè, satisfacit, sed tantùm qui inter duas dissidentes partes velut medius intervenit, easq́ inter se componit, & ad concordiam revocat: quod multis aliis modis, quàm istiusmodi satisfactione, aut etiam placatione fieri & potest & solet. quid enim si partes, aut saltem altera, quæ multò potentior est, & placanda erat, sponte sua in amicitiam inclinet, eamq́ percupiat? quid si absque ulla satisfactione offensas condonare velit, & hanc suam gratiam alteri parti multò infirmiori offerat, & hac potissimùm ratione eam ad amicitiam invitet? quæ omnia in hoc nostro negotio facta sunt.* Deus enim in Christo erat, mundum sibi reconcilians. *qua ratione?* non imputans illis peccata ipsorum. 2. Cor. 5
Quodsi verò nonnisi plenissima satisfactione amici-

ria componi poßet, non mediator iste eßet, qui pro altera parte satisfaceret, sed aliquid multò amplius, nempe satisfactor.

Ait porrò Meisnerus, Christum pro nobis Legi subjectum eam perfectissimè implevisse *Gal: 4. ver. 4, 5. Quòd Christus Legem perfectissimè impleverit nemini dubium est: Sed de eo quæritur, an illam pro seipso impleverit, an nostri loco?* Pro nobis, *inquis,* Legi subjectus fuit. *Si verba* pro nobis, *idem apud te significant, quod* loco nostri, *falsum id est, nec uspiam scriptum extat, & hic ipse locus contrarium apertè evincit. Dicitur enim Christus eße natus ex muliere, natus sub Lege. At verò quicunque ex muliere nascitur, (hominem enim eum nasci oportet) & nascitur sub Lege, id est, non tantùm homo, sed & Iudæus genere, pro seipso Legem servare tenetur. Quodsi pro seipso servandæ Legi obstrictus est, quomodo eam alterius loco servare potest? ut omittam, quòd una obedientia non possit omnium hominum obedientiam ullo pacto æquare. Si verò verba* pro nobis *nil aliud significent, quàm* nostro bono, *poßumus id concedere, Christum nostro bono fuiße Legi subjectum. quod tamen Apostolus non dicit, qui Iudæorum tantùm, & qui sub Lege erant, bono id factum fuiße aßerit. Ideo enim eum sub Lege natum, & sic Legi subjectum fuiße docet, ut eos, qui sub Lege erant, redimeret, id est, ex Legis illa servitute in libertatem Evangelicam filiis Dei convenientem vindicaret. ad hoc enim perficiendum non tantùm homine,*

mine, ſed etiam genere Iudæo opus fuit. Iſtud autem perfecit Chriſtus, non Legem loco Iudæorum, ut dictum eſt, implendo; ſed Evangelicam novam legem, legem libertatis promulgando, & ſuo ſangvine obſignando, veterem autem abrogando. Veruntamen dum Chriſtus Iudæos ex ſervitute Legis emancipat, & novam Evangelicæ libertatis legem ad omnes homines ſpectantem ſancit, ſimul etiam noſtrum omnium bonum procurat: ideoq́; concedi, ut diximus, poteſt, illum noſtro etiam, non Iudæorum tantùm bono, Legi fuiße ſubjectum.

Quòd Chriſtus factus ſit nobis à Deo juſtitia, 1. Cor. 1. ver. 30. id minimè eo ſenſu dici, quaſi loco noſtri Legem impleverit, ſic ut nobis deinde ipſius juſtitia imputetur, ſuprà jam oſtendimus. quod unicuiq́; appareret, ſi totum Apoſtoli locum citarent adverſarii, non verò, ut facere ſolent, qui verba Scripturæ detorquent, particulam tantùm illius decerperent. De loco etiam 2. Cor. 5. ver. ult. ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo, *paulò antè egimus, eumq́; nihil ad imputationem iſtam juſtitiæ Chriſti, quam fingitis, pertinere demonſtravimus.*

Quid porrò huc pertinet Eſaiæ locus cap. 45. ver. 24. & ult. Vtique in Domino mihi dicet *(omnis lingua)* juſtitiæ *(ſunt)* & fortitudo, usque ad eum perveniet, ac pudore afficientur omnes ſuccenſentes ei, *vel,* qui irritant eum, in Domino juſtificabuntur, & jactabunt ſe omne ſemen Iſraël? *Cui unquam in mentem venire poſ-*

ſet, hunc locum de juſtitia ab alio pro nobis præſtita, nobisq; imputata, accipiendum eſſe, niſi ei, qui priùs imputationem iſtam ſomniâſſet? Annon hic locus 1. loquitur de ipſo Deo? Nam quòd antecedentem hujus loci verſiculum, ubi dicitur, Per me juravi, quòd mihi curvabitur omne genu, jurabit omnis lingva, accommodet Apoſtolus ad Chriſtum Rom:14. 11. iſtud ideo facit, quòd hæc omnia, quæ hîc Deus de ſe dicit, ſenſu nimirum perfecto & myſtico, per Chriſtum implenda erant. Chriſtus enim eſt ille a Deo conſtitutus judex, cui cùm ad judicium venturo (nam de hoc tempore Paulus hunc locum explicat,) omne genu flectetur, ipſi Deo per Chriſtum flectetur. Licèt ergo & in ſequentibus iſtis verbis omnino debeat includi Chriſtus, per quem Deus juſtitia & fortitudo ſit fidelium, per quem & à Deo juſtificentur, & ſeſe jactent in Deo, principaliter tamen & primò Deus ipſe intelligi debet. At verò num ſic Deus ipſe eſt juſtitia & fortitudo noſtra, num ſic in ipſo juſtificamur, vel, ſi mavis, juſti ſumus, ut loco noſtri legem ſuam impleverit, & ſic ipſius nobis imputetur juſtitia? Num & fortitudo ſeu robur piorum non verum eſt, ſed imputatum? 2. Annon potiùs ideo ſic omnis lingua dicere debuit, quòd Deus juſtitiæ & fortitudinis hominibus futurus eſſet autor? ſeu, quòd omnis eorum juſtitia & fortitudo à Domino futura eſſet? Sic in Domino dicitur nobis eſſe auxilium, vita, & felicitas, &c. 3. Adde, quòd hæc verba de felicitate potiùs populi divini accipi debeant, quàm de pietate,

pietate, quemadmodum ex versu ultimo apparet. in Domino justificabuntur, *inquit,* & jactabunt se omne semen Israël, *explicare volens, quid sit id, quòd omnis lingua sit dictura,* In Domino mihi justitiæ (*sunt*) & fortitudo, *nempe, quia* in Domino justificabitur omne semen Israël, *id est, credentes in Christum. Isti enim sunt semen Abrahæ, & verus Israël Dei, docente Apostolo. Idem apparet ex eo, quòd Paulus hunc locum, ut vidimus, ad tempus judicii Christi referat, quo tempore piorum felicitas incipiet, & justificatio penitus absolvetur. Ideo etiam usque ad Deum pervenire hîc dicuntur homines; quod in piis tùm demum perfectè implebitur, cùm in cœlum ad ipsum Deum translati fuerint. Denique oppositio, quæ est inter istos, qui dicunt, in Domino mihi justitia & fortitudo, qui in Domino justificantur, & sese jactant, & inter eos, qui pudore afficientur, quales sunt omnes Domino succensentes, vel eum irritantes, id est, qui non sunt ex semine Israëlis, id requirit, ut quemadmodum his verbis pœna improborum, sic illis piorum denotetur felicitas.*

Locus denique Rom. 5. 19. per unius obedientiam justi constituuntur multi, *etiam paulò antè explicatus est, & ostensum, eum ad præstitam loco nostri à Christo obedientiam, illiusq; imputationem demonstrandam minimè pertinere. Ob Christi quidem obedientiam fit, ut credentes justi constituantur, (hoc est, justificentur, ut ex praecedenti versic. apparet: ubi id quod hîc dicitur* peccatorem consti-

tui, justum constitui, damnationis, & justificationis vitæ *vocibus exprimitur,) quia nimirum propter Christi obedientiam Deus ita cum illis agit, acsi & ipsi perfectè obedivissent; non quòd ista obedientia id merita sit, aut nobis imputetur, seu nostra esse censeatur, quod nonnisi absurdè & falsò fieri potest; sed quòd Deus ex summa sua gratia & misericordia ita facere, & tanto tamq; copioso præmio Christi obedientiam remunerari velit.*

Quæ hîc de conciliatione istorum duorum dictorum disseris, in quorum uno dicitur esse abominatio coram Domino is, qui impium justificat; in altero autem ipse Deus impium dicitur justificare, illa inepta & falsa esse ex suprà dictis patet, nempe, quòd ibi intelligatur impius, qui nec ipse, nec alius pro ipso satisfecit; hîc autem impius, qui non ipse quidem, alius tamen pro ipso satisfecit. *Quasi verò impius pro seipso, ut justificetur, alia ratione satisfacere possit, quàm damnationem subeundo? Quid hoc aliud est, quàm dicere, aliquem mortem & damnationem subire, ut à morte & damnatione sit liber? Alius etiam pro ipso quomodo potest satisfacere? Nam si iste alius peccator est, jam ipse pro se easdem pœnas debet: si innocens, puniri pro nocente nullo pacto debet. Et, si abominatio est is, qui impium justificat, multò magis abominatio erit, qui pium ac innocentem damnat. Ideo etiam utrumq; notat Salomon:* Qui justificat impium, & qui condemnat justum, abominabilis est uterque apud Deum.

Itaque

Itaque non idcirco Deus justificat impium, quòd vel ipse pro se satisfacere possit, vel alius pro ipso innocens satisfaciat. Num enim judex universæ terræ justitiam non faceret? *et non, ut olim Abrahamus dixit, innocentes cum nocentibus, sed, quod multò iniquius est, innocentem pro nocentibus damnaret? Sed ideo, ut antè dictum est, mundani judices justificare impium non debent, quia de alieno jure judicant. Deus autem idcirco impium justificare potest, quia de proprio jure agit, & impium justificando nemini injuriam facit. Quodsi autem impius, deposita impietate, in Deum credat, & ad ipsum toto pectore convertatur, hunc justificando, non tantùm rem facit à cujusquam injuria semotam, sed etiam summam gratiæ ac clementiæ gloriam consequitur. Vnde & mundani judices ac reges, cùm de suo agunt jure, maxima persæpe cum gloria in reos ac nocentes clementiâ utuntur, nullaq; in re propiùs ad divinam accedunt majestatem.* Gen. 18. 25.

Quæ tandem de duplici significatione phraseos, quâ justitiam nobis Deus imputare dicitur, Flaccio monitore pag. 422. in clave, disseris, nempe ratione causæ, *& deinde* ratione effectus, *mera sunt somnia.* Ista locutio, *inquis,* indicat 1. justitiam Christi in credentem transcribi, sicuti contrà, nostra injustitia potenter à Deo in Christum transcripta est. 2. Monstrat etiam effectum, nempe aliquem haberi pro justo, qui non sit talis, quemadmodum etiam dum Christo no-

ſtra imputabatur injuſtitia, ipſe pro injuſto habebatur. *Quibus ergo tandem machinis juſtitia Chriſti in credentes transcribitur, Meiſnere? Num verè, num tantùm imaginariè? Si verè, non minùs ipſa Chriſti perſona in eos tranſcribi poteſt, quàm factum ejus perſonale. quomodo verò reipſa & verè juſti non erunt, ſed tantùm pro juſtis habebuntur? Si imaginariè, quid ullâ potentiâ eſt opus? & quomodo Deus propter imaginariam juſtitiæ tranſcriptionem aliquem habere poterit verè pro juſto, & non imaginariè tantùm? Illud verò planè horrendum eſt, Chriſtum pro injuſto, & quidem ab ipſo Deo fuiſſe habitum. Alterutrum enim vobis dicendum eſt, aut Deum, aut Chriſtum verè fuiſſe injuſtum. Nam ſi falſò habitus eſt pro injuſto, Deus; ſi verè, Chriſtus injuſtitiæ accuſandus erit. Habes Meiſnere examen ſententiæ veſtræ de imputatione Chriſti juſtitiæ. Vides, quot erroribus, & quàm meris contradictionibus ſcateat, & tamen in illa vobis, ut apparet, mirè placetis, eamque pro ſalutis veſtræ anchora haud dubiè habetis. Deſinite tandem, ſi fieri poteſt, inanibus rerum ſimulachris mentes veſtras paſcere, & ſacrarum literarum ſenſum diligentiùs, quàm antehac feciſtis, & majore cum ſalutis cura rimari incipite.*

Socinus obiter & in parentheſi indicaverat hoc loco, doctrinam de ſatisfactione nec in Scripturis extare, & apertè cum peccatorum remiſſione, quam Deus nobis per Chriſtum obtulit, pugnare, quippe qui hunc de ſatisfactione errorem per ſe conſideratum,

inter ignorationes simplices cap. 5. referat. Hoc verò loco illius eo tantùm respectu meminit, quòd ista satisfactio habeatur pro unica causa & ratione nostræ justificationis, sic ut nihil ampliùs ad salutem requiri dicatur, quàm ut satisfactionem istam firmiter credamus, & nobis applicemus. Contra hanc Socini parenthesin ex professo hîc insurgit Meisnerus, ignarus, se cap. quinto prolixam admodum disputationem conscripsisse, quâ satisfactionem istam Scripturæ testimoniis probare conatur, in qua omnia ista Scripturæ dicta, quæ hîc citat, adducit, & ex suo sensu explicat. Nos, *ne ordinem turbemus, & agenda anticipemus, in eum usque locum responsionem nostram rejicimus.* Nunc *tantùm responsionem illius ad Socini argumentum examinabimus, quam infrà expressè non attingit, nempe, satisfactionem istam cum remissione peccatorum, quam Deus per Christum nobis obtulit, apertè pugnare. Respondet Meisnerus,* Socinum, cùm hoc dicit, principium petere. *Quo pacto Meisnere?* Nam satisfactio Christi & remissio peccatorum non pugnant, sed tanquam causa & effectus cohærent. *Atqui hoc illud ipsum est, de quo quæritur, Meisnere. Itaque tu es, qui Socino petitionem principii injuriâ objiciendo ipse principium apertè petis. quod adhuc apertiùs facis, cùm Apostolum & Scripturam utrumque, satisfactionem nimirum & remissionem peccatorum, conjungere asseris, et hinc infers, illa nõ esse ἐναντία sed ὑπάλληλα.*

λκλα. *Nam hoc planè illud est, quod negat & impugnat isto argumento Socinus.*

Porrò verum id esse, quod Socinus asserit, non omnino inficias ire ausus es Meisnere. Nam primò *mollius de ista satisfactione nunc loqueris, cùm ais,* Christum sua passione gratiam Patris, & peccatorum veniam nobis impetrâsse. *At longè hoc aliud est, quàm Christum passione sua Patri pœnas peccatis nostris debitas plenissimè persolvisse. Num impetrare aliquid, est illud æquali prorsus pretio emere? Num gratiam Patris impetravit, si quidquid Pater fecit planè meritus est Filius? Annon meritum verum gratiam excludit, vel ipso Apostolo teste Rom. 4. 4? Vbi enim est tale meritum, ibi est ex merito profectum debitum. Vbi tale debitum est, ibi gratiæ locus non est. Num veniam peccatorum nostrorum impetravit, si illorum pœnas exactè persolvit? Veniam peccatis dare, & tamen illa rigidissimè punire, annon apertè pugnant? Denique quid ista impetratione per mortem opus fuit, quandoquidem Pater gratiam suam, & peccatorum veniam nobis per Christum obtulerat, & in hunc finem in mundum miserat, ut gratiæ istius lætissimo & maximè optabili nuncio mortales impleret? Non ergo ut impetraret hanc gratiam passus est Christus, sed ut illam obsignaret, & ad effectum perduceret. Primùm ergo, tuâ ipsius sententiâ, gratia Dei in peccatorum remissione, divino Christi merito, imminuitur; deinde verò, si rem ipsam spectes, penitus tollitur. Ad remissionem*

missionem enim debiti non id requiritur, ne debitor ipse solvat, sed ne debiti solutio fiat, hoc est, ne creditor sive ipse, sive alius ejus loco debitum recipiat. Et quemadmodum remissio nulla est, licèt non ipse creditor, sed alius ejus loco debitum recipiat; sic etiam æquè nulla est, licèt non ille ipse, qui debet, sed illius loco alius debitum restituat.

Deinde *fateris*, veniam peccatorum nostrorum esse gratuitam, *sed addis*, κατά τι, respectu nostri & meriti humani, non absolutè, respectu Christi & meriti Domini. *Ecce tu ipse ob remissionem peccatorum meritum aliquatenus tollere coactus es Meisnere, & vicissim ob meritum, peccatorum remissionem restringere, nimirum quia vidisti, remissionem peccatorum, & pro iis solutionem non satis benè cohærere. Si enim debitum solutum est, à quocunque tandem solutum fuerit, debitum nequaquam remißum est; & si plena solutio facta est, penitus excluditur remissio, si pars tantùm soluta, pars etiam non remißa est, & quantum solutum est, tantum remißum non est. Quid ergo gratiæ in remittendis & condonandis peccatis exhibuit* Deus, *si à Christo omnia nostra debita ad aßem exegit, & pro meritis humanis divina merita recepit?* Nobis *quidem aliqua saltem ratione gratis obtingeret hoc pacto justificatio; sed* Deus *gratis eam concessiße haudquaquam dicendus eßet.* Hinc *verò apparet, quàm injuriâ dicas,* Apostolum *& satisfactionem istam, & remissionem peccatorum conjungere Rom.3.ver.24,25.*

Illene

Illéne satisfactionem, eamq; plenissimam cum remissione peccatorum conjungit, qui dicit, nos justificari gratis, ipsius (scilicet Dei) gratiâ? gratúne nos Deus justificat, si omne æs alienum, quod nos peccatis nostris apud eum contraxeramus, recepit? gratiané Dei justificamur, si ob meritum Christi plenissimum? Quod ad sequentia verba attinet, in quibus Paulus redemtionis in Christo Iesu, & ipsius fusi sangvinis meminit, illa quomodo sint intelligenda, jam antè exposuimus. quæ nequaquam sic accipienda sunt, ut gratiam illam divinam evertant, sed ut eam magis adhuc augeant & amplificent.

Hoc monendum hîc est, Meisnerum non rectè verba, in ipsius sanguine, *conjungere cum verbis proximè antecedentibus,* per fidem, *quasi velit Apostolus dicere, Christum esse à Deo propositum* propitiatorium, per fidem, *quæ* in ipsius sangvine, *vel (ut Meisnerus verba Pauli mutans, & suo sensui accommodans scribit)* sanguinem *haberi debeat: sed post verba* propitiatorium per fidem, *distinctionis nota ponenda est, ut verba sequentia* in ipsius sanguine, *non objectum istius fidei, quod inusitatum prorsus est, sed modum & rationem, quâ Deus Christum propitiatorium per fidem constituit, notent, nempe, quòd id factum fuerit per ipsius Christi sanguinem proprium, non, ut olim sub Lege, per sanguinem animalium. quasi dicat Paulus: Deus Christum omnibus hominibus proposuit, ut esset is, per quem se propitium experiantur, & peccatorum suorum*

rum veniam consequantur, idq; hac tantùm conditione, ut fidem in eum habeant. proposuit autem illum tale propitiatorium per fidem, ut non animalium, quemadmodum olim sub Lege, sed ipsius sanguis proprius ad peccatorum remissionem obtinendam fusus fuerit. Unde certè consequitur, fieri aliter non posse, quin omnes, quicunque per fidem ad Christum accesserint, Deum propitium experiantur, & peccatorum suorum veniam consequantur. Sanguis verò Christi non ad placandum Deum fusus est, sed potiùs ad propitiandum, id est, ad efficiendum, ut porrò propitius esse pergeret, & omnium peccatorum reatum in Christum credentibus penitus dimitteret: quemadmodum & sanguis victimarum sub Lege Deum non placabat, utpote qui ipse jam propensus ad peccata remittenda, quibus tùm remissio concedebatur, esset, & ista ipsa sacrificia eum in finem constituisset, ut per ea tolleretur peccatorum reatus. Per sanguinem porrò Christi propitiatur eatenus credentibus Deus, quatenus illo fuso Christus non tantùm conditionem sine qua remittere nobis peccata noluit Deus, citra omnem tamen veram ac propriè dictam satisfactionem, implevit, nō tantùm Novum Fœdus, quo promissio justificationis credentibus facta, comprehensa est, sanxit ac dedicavit, sed etiam per eundem sanguinem in cœleste illud tabernaculum ingressus est, ut perpetuò vultui Dei pro nobis appareat, imò supremam in cœlo & in terra potestatem obtinuit. His enim positis, fieri nequit, quin credentes in Christum,

& sic

& sic ad eum tanquam ad asylum & propitiatorium à Deo constitutum confugientes, Deum benignissimum illum Patrem, jam sponte sua ad concedendam nobis remissionem peccatorum inclinatum, unicumq; Pontificiæ & Regiæ potestatis Christi autorem, propitium prorsus experiantur, omniumq; suorum peccatorum veniam & remissionem plenissimam consequantur. Hinc jam apparet, non dicere Apostolum, fidem esse habendam in sanguine Christi, quod tamen non incommodo sensu dici posset: sed Christum esse propositum propitiatorium in sanguine suo, propitiatorium, inquam, per fidem. Est enim in his verbis procul dubio allusio ad illum Legalium victimarum sanguinem, quo peccata expiabantur, & sine quo non fiebat remissio; adeò ut illud Legale propitiatorium, suum quoque, id est, illorum animalium, quæ ad expianda peccata tùm temporis cædebantur, sanguinem habuerit. Cùm verò sanguis animalium non alicujus fidei objectum fuerit, sed ad propitiatorium ac Deum propitiandum pertinuerit, idcirco neque sanguis Christi tanquam fidei nostræ objectum considerandus est, sed tanquam id, quod ad ipsum propitiatorium à Deo constitutum, seu Deum propitiandum, ac plenam peccatorum remissionem nobis parandam pertineat.

Illud denique ineptè & contradictoriè à te dicitur, cùm de Christi meritis loquens ea merita divina *nominas. Si enim Christus est ipse Deus, qui placandus, qui meritis expugnandus, cui satisfaciendum, & omnia*

& omnia nostra debita persolvenda erant, quomodo seipsum placare, sibi ipsi satisfacere, apud seipsum justificationem nostram promovere potuit? Ut satisfactionem istam tueamini, Christum ipsum esse Deum finxistis, & non videtis, isto figmento vos maximè satisfactionem hanc pessundare. Ita nuspiam habent errores, ubi tutò consistant. Quodsi Christus est ipse Deus, quomodo justificationem mereri, idq; obediendo & patiendo, potuit? Num obedire potest alicui Deus? num quidquam pati? At passus est, inquies, & obedivit Christus secundùm humanam naturam. Verum quid hoc ad illius divinitatem reipsa pertinere potuit? Num ergo illius, quâ homo est, merita verè divina merita vocari & esse possunt? Quodsi autem Christus nonnisi quatenus homo erat quidquam mereri potuit, jam quisq; videt, ista merita verè divina non esse, nec, sive actiones, sive passiones omnium hominum Deo debitas, suo pretio atq; pondere æquare.

Concludens Socinus colligit ista Evangelicorum dogmata pietatis studio infesta, ad doctrinam eorum de justificatione pertinentia. 1. Quòd justificatorum pietatem magis in conatu piè vivendi, quàm in ipso effectu positam putent, hoc est, illis vitiositatem quandam perpetuam tribuant, quæ illos in contrariam rapiat partem, & vitiosarum actionum jugum excutere non sinat. 2. Quòd bona opera nihil ad comparandam justificationem pertinere autument. 3. Quòd fidem, qua sola justificamur, nihil aliud esse dicant, quàm credere, Deum propter Christi merita & satisfa-

tisfactionem, nobis eſſe propitium. De quibus profectò veriſſimè ſcriptum reliquit: Quid mirabilibus iſtis opinionibus inveniri potuit aptius, ad hominem, in uno pluribusvé peccatis manentem, in eodem ſtatu perpetuò retinendum, eumq; planè deterrendum a ſtudio ſeſe a peccatorum laqueis extricandi? *Hæc dum Socinus dicit atq; iterū redicit, Meiſnerus eum priores coccyſmos repetere ait. Ita fit, ut non tantùm oleum & operam perdant, ſed etiam ludibriis ſeſe exponant, qui errantes in viam veritatis revocare conantur, Sed tamen* Non ſatis eſt dixiſſe ſemel, juvat usq; morari.

V. De Fide Juſtificante.

NOn contentus Socinus oſtendiſſe, Evangelicos graviter errare in definienda fide juſtificante, apertiùs adhuc errorem iſtum explicare cogitat, utpote ex quo, tanquam ex fonte, priores illi errores profluxerint. Rectè igitur cenſes Meiſnere, Socinum hîc tria facere: 1. Quædam in doctrina veſtra probare, 2. improbare alia, 3. ex ſua ſententia fidem juſtificantem definire.

I. Quid in Evangelicorum de Fide ſententia probet Socinus? quidvé improbet? Duo probat in doctrina veſtra. Vnum eſt, quòd rectè adverſus Pontificios concluſeritis, ſolam fidem juſtificare. *Verùm nequaquam iſtud concedit eo ſenſu, quo vobis placet, & quo ſe hîc jactat Meiſnerus. Sola fides juſtificat: At non eatenus ſola, præſertim ſi de plena & permanente*

nente justificatione loquamur, quatenus quibusvis bonis operibus opponitur, sed quatenus operibus perfectis ac meritoriis opponitur: Hoc est, particula exclusiva sola, *non quævis opera à comparanda justificatione excludit, sed opera, de quibus Apostolus loquitur, nempe, ut jam alibi demonstravimus, opera Legis, opera plena, ob quæ non secundùm gratiam justificatio imputatur, sed secundùm debitum tribuitur. Non excludit autem ullo pacto opera ex fide provenientia, charitatem & charitatis fructus, seu veram vitæ sanctimoniam: cùm innumeris Scripturæ locis non minùs huic, quàm fidei, justificatio & salus adscribatur, & Iacobus apertissimè doceat, hominem justificari ex operibus, non ex fide tantùm; quod exemplo illius, qui omnium credentium est pater, & cujus justificatio est nostræ justificationis typus quidam & exemplar, manifestum facit. Si ergo fidem opponas operibus meritoriis, sola justificat: sed si operibus bonis simpliciter, non justificat sola, nec eam hoc modo unquam in prodenda ex fide justificatione consideravit Paulus, sed semper ut bonorum operum fructibus exundantem, aut saltem exundaturam, seu, ut ipse loquitur, per charitatem efficacem.*

Iam vides, quid tibi respondendum sit, cùm dicis, Apostolum fidem & opera, credere & facere semper opponere. *Opponit enim fidem & opera, credere & facere: verùm per opera non quævis opera, per facere non quodvis facere, sed opera meritoria, & facere perfectum intelligit, quemadmodum*

dictum est: Qui fecerit ea homo, vivet in eis. Maledictus qui non manserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro Legis. *Non ergo sequitur: Quia sine istis operibus, & sine tali facere justificamur: Ergo simpliciter sine ullis operibus, & sine ullo facere justificamur. Est igitur in tua argumentatione paralogismus à dicto secundùm quid ad dictum simpliciter.*

Ais præterea, exclusionem istam, *cùm scilicet sola fides justificare dicitur,* non tollere vel causam principalem, quæ est gratia Dei, vel meritoriam, quæ est obedientia Christi, sed tantùm excludere nostra opera & merita humana. *Sanè gratiam Dei non tollit, sed includit, cùm ex fide sine meritis justificari non possimus, nisi divina gratia & misericordia accedat. Verùm excludit non tantùm merita nostra, sed etiam quævis alia. Iam enim non posset simpliciter dici, nos sola fide sine operibus justificari; quod tamen ab Apostolo dicitur: & præterea, per solam fidem justificari includit in se justificationem ex gratia, quemadmodum per opera justificari includit justificationem ex debito.* Vbi enim est opus, ibi non est gratia; alioquin opus non esset opus: & ubi est gratia, ibi opus non est; alioquin gratia non esset gratia *Rom. 11. 6. At si ex cujuspiam vero & proprio merito justificamur, licèt non justificemur ex nostro, non ampliùs justificamur ex gratia, sed ex debito.*

Subjungis, vos fidem, *quam* solam, *hoc est, nudè, ut*

dè, ut in seipsa est, consideratam justificare dicitis, non intelligere à bonis operibus separatam. Quamvis enim sola, *inquis*, Christi meritum apprehendat, adeoq; sola justificet, non tamen sola existit. *Verùm hæc omnia vana eße, & sine ullo fundamento, imò cum contradictione quadam tacita aßeri, cùm bona opera à causis justificationis excluduntur, alibi demonstravimus. Præterea si fides ideo justificat, quòd meritum Christi apprehendat, seu, ut magis propriè loquamur, quatenus est apprehensio meriti Christi: quomodo fides bonis operibus simpliciter opponi poterit? An enim apprehensio meriti Christi non est opus, & bonum opus? Bonum ergo opus, quod tantopere horretis ac refugitis dicere, justificat.* Dicitis, *fidem non justificare quatenus est bonum opus, sed quatenus est relatio quædam ad Christi meritum.* Ergo *neque justificat, quatenus est apprehensio meriti Christi. apprehensio enim est opus. Quodsi nec ipsam apprehensionem meriti Christi simpliciter & per se, sed tantùm quatenus relationem & respectum habet ad Christi meritum, justificare dicitis; cur non etiam reliqua omnia bona opera, quatenus similiter relationem ad idem Christi meritum habeant, (habere enim poßunt) justificationem efficere dicatis?* En quò *vos errores adegerint, ut vobis in relatione quadam & respectu universæ salutis ratio sita sit.*

Alterum est, quod in vobis probat Socinus, nempe, quòd fidem justificantem fiduciam esse dica-

tis, nō assensum tantùm *Verùm meritò vobis objicit, quòd, quæ sit & qualis sit ista fiducia, prorsus ignoretis. Quid? nō tantùm quid sit ista fiducia, quâ justificamur, sed etiam quid sit ista ipsa vestra fides, quam justificantem dicitis, nescitis.* Consistit, *inquis*, in apprehensione gratiæ per Christum partæ, & in Evangelio revelatæ. *Ista gratia, ut opinor, est justificatio, & peccatorum remissio. Iam explica, quid sit istam gratiam apprehendere? Num* firmiter credere, & plenè persuasum esse, nobis peccata per Christi meritum remitti? *Sic planè vestri majores, quorum hic verba citas, artic. 4. August. Cōfess. fidem definiverunt. Sic ipse paulò pòst pag. 165. definis. Huic ergo definitioni nunc insistamus. Iam quæso, quid est in ista fide præter solum mentis nostræ assensum? Itaq; cùm post verba vestræ Confessionis, à te hoc loco citata, subiicis,* Scripturam fidei præter notitiam & assensum, qui actus mentis sunt, tribuere actus quoque alios, qui cordis & voluntatis dicuntur: *cùm hoc inquam dicis, istam tuam fidem evertis. In eo enim,* quòd quis credat, sibi peccata propter Christi satisfactionem remitti, *nullus est alius actus, quàm notitia hujus rei, & illi præbitus assensus. Sed videamus porrò istos voluntatis actus, quos fidei à Scriptura dicis attribui.* Fides justificans, *inquis*, quærit gratiam, & anhelat ad Christum. *Adhucné quærit gratiam, & ad Christum anhelat, postquam Christum jam recepit, apprehendit, & ipsius merita sibi applicavit? Fidem enim*

paulò

paulò pòst cōcludis formaliter in apprehensione sitam esse. Num ergo vel fides justificans est, antequam suam formam habeat, id est, Christum apprehendat, vel Christo jam apprehenso illum adhuc quærit, & ad ipsum anhelat? Annon iam planè exsatiatus est, qui certò persvasus est, se in gratiam à Deo recipi, & peccata sibi remitti? Cedo actum alterum: venit & accedit ad quæsitum & expetitum redemtorem. *Ergoné ante adventum & accessum ad Christum fides justificans iam adest? et qui iam planè persuasus est, se peccatorum veniam consecutum esse propter Christi meritum, postea demum ad Christum venit & accedit? Progrediamur porrò:* post accessum statim apprehendit eum, & confidenter amplectitur. *En demum fides vestra justificans nascitur. quomodo ergo illi priores actus tanquam iam existenti attribuis? Erat igitur antequam nasceretur? Adhucné aliquis actus fidei istius superest?* Tandem, *inquis*, omnia ejus merita sibi applicat & appropriat, atque sic hominem de remissione peccatorum certum facit. *Quid ergo formam fidei in apprehensione gratiæ collocas, si præter istam apprehensionem adhuc applicatio meritorum Christi requiritur? Debebatis ergo dicere: Fidem iustificam duo continere, apprehensionem gratiæ divinæ, & applicationem meriti Christi. Cur verò priùs gratiam apprehendat, id est, peccata sibi remitti, idq́ propter Christi meritum, certa sit, quàm merita ista sibi applicet & appropriet? Istud denique planè ridiculum*

est, quod addis: et sic hominem de remissione peccatorum certum facit. *Num ergo priùs certus erat, quàm certus esset? quid enim est Christum apprehendere & amplecti, qui est superior actus, quàm de remissione peccatorum suorum prorsus esse certum?*

Quæ hîc citas Scripturæ dicta, Gal. 2. 20. & 3. 27. quid quæso ad applicationem istam & appropriationem meritorum Christi pertinent? Prius est, cùm dicit Paulus: In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, & seipsum tradidit pro me. *Hæc verba ad applicationem istam trahere, quid aliud est, quàm & verbis vim facere, & id quod in principio peteret Num, quia Christus Paulum dilexit, & se pro Paulo in mortem tradidit, propterea Paulus non aliter in illum credebat, quàm illius merita sibi applicando?*

In altero loco dicit Paulus, Quotquot in Christum baptizati estis, Christum induistis. *Hîc similiter principium petis. Quærimus enim, quomodo hîc dicatur Christus indui? Tu dicis, per applicationem & appropriationem Christi meritorum, nos negamus. Talis enim Christi induitio vera non est, sed imaginaria, & cùm ex illa Apostolus colligat, nos esse filios Dei, ut ex præcedenti versiculo apparet, sequeretur etiam nos verè filios Dei non esse, sed tantùm per applicationem quandam & imaginationem. Quocirca Christum induere nihil aliud est, quàm Christo conformem fieri, & cum illo hac ratione uniri: ex qua unione deinde & conformitate cum Christo fiat, ut & fideles inter se conformentur, ac*

veluti

veluti unus homo fiant, & Chriſti ſint, ſeu ad eum pertineant, quemadmodum in ſequentibus ſtatim Apoſtolus infert. Et cùm per baptiſmum dicat Apoſtolus nos Chriſtum induere, facilè eſt colligere, quomodo indui debeat Chriſtus. Quid enim in baptiſmo profitemur, & quodammodo repræſentamus? Num nos velle Chriſti merita nobis apppopriare per fidem? Nequaquam. Doceat nos ipſe Paulus. An ignoratis, *inquit ille*, quòd quicunque baptizati ſumus in Chriſtum Ieſum, in mortem illius baptizati ſumus? Conſepulti igitur ſumus ipſi per baptiſmum in mortem, ut quemadmodum reſurrexit Chriſtus ex mortuis per gloriam Patris, ſic & nos in novitate vitæ ambulemus. *Hoc ergo eſt, quod profitemur, & adumbramus per baptiſmum, nempe nos velle cum Chriſto ſepeliri, id eſt, mori peccato, & cum illo etiam ad novam vitam ex peccati morte reſurgere, ut in ſeq. rem deducit Apoſtolus. Illa enim immerſio in aquam, quæ fit in baptiſmo, ſepulturam iſtam ſpiritualem, & ex aqua emerſio, reſurrectionem ac vitam novam adumbrat, & aliqua ratione exprimit. Dum verò, ut Apoſtolus loquitur,* complantati efficimur per ſimilitudinem morti & reſurrectioni Chriſti, *Chriſtum verè induimus, verè etiam Dei filii efficimur, ac proinde & Chriſti ſumus, & Abrahæ ſemen, ac ſecundùm promiſſionem hæredes, ut ibidem concludit Apoſtolus, Galat. 3. ver. ultimo. Hinc idem alibi Rom. 13. 12, 13, 14. Chriſtum induere vitiis & moribus anteactæ vitæ opponit.*

Maximum verò præsidium collocas in verbis Ioan.1.12. cùm dicit: quotquot acceperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, nempe his, qui credunt in nomen ejus. Cumprimis, *inquis*, illustris est hic locus, ubi τὸ credere explicatur per λαμβάνειν. *O miseros homines, qui tam levi unius vocabuli conjectura, rem tantam confectam vultis! Nonne videre potuisti Meisnere, simplex verbum ἔλαβον Hebraico more positum esse pro composito (compositis enim Hebræi destituuntur) παρέλαβον, quemadmodum ex proximè præcedenti versiculo apparet, illius enim loco statim hoc simplex ponitur. At verò Christum παραλαμβάνειν, hoc est, recipere, nihil aliud est, quàm illius doctrinam amplecti, illius discipulum fieri: ideoq́ credere in nomen Christi, quandoquidem hoc per illud ἔλαβον, ut ipse fateris, explicatur, revera nihil aliud erit, quàm Christo adhærere, illiusq́ disciplinam ex animo amplecti. Infrà cap. 5. dicit Christus:* Ego veni in nomine patris mei, & non accipitis, λαμβάνετε, me, si alius veniat in nomine proprio, illum acciperetis. *Hîc, si Meisnero credimus, dicit Christus, Iudæos applicaturos sibi fuisse merita illius, qui in suo veniret nomine, id est, non missus à Deo. Sic cap. 13. v. 20. dicit:* Amen amen dico vobis, qui accipit si quem misero, me accipit. qui verò me accipit, accipit eum, qui me misit. *Num & hîc applicationem meritorum, & illius, qui à Christo*

missus

missus est, & illius, qui Christum misit, eodem accipiendi verbo significari putabimus?

Rationibus etiam agis Meisnere, ut fidem nihil aliud, quàm apprehensionem gratiæ Dei, & applicationem meritorum Christi esse, ostendas. Quia, *inquis*, justificantis fidei objectum est gratia Dei, Christiq; obedientia, certè alia ratione in illud ferri nequit, quàm per apprehensionem & applicationem. *At mi Meisnere, doce nos primò, quomodo gratia Dei, seu peccatorum remissio, itemq; merita Christi, eo quo vos vultis sensu, à nobis apprehendi queant? Peccatorum remissio, cùm sit solius Dei actus, quomodo quæso à nobis vestro sensu apprehendi potest? certè non magis quàm vita, quàm ortus noster, quàm resurrectio à mortuis. Et cùm ad gratiam Dei in Evangelio revelatam inprimis pertineat vita immortalis, cur hanc quoq; à nobis isto sensu apprehendi non dicitis? Aliena etiam facta & merita qua ratione, quæso, nostra reipsa fieri, nobisq; verè applicari poßunt? Quomodo verò per fidem apprehensio ista & applicatio fiet? Nam fides est credere Deum nobis peccata remittere, Christum istam gratiam meritum eße. Nec aliud quidquam hîc credi potest. At quid hîc est præter nudum & merum aßensum, quo tamen apprehensionem istam & applicationem fieri negatis? Num ergo quia credo Deum mihi peccata remittere, Christum pro me satisfeciße, idcirco & Deus mihi peccata remittit, & Christus pro me satisfecit? Cur verò ista credere debeo, si antequam credam*

dam revera non sunt? Falsa igitur credo, & quia falsa credo, ideo & peccatorum remissionem apprehendo, & Christi merita mihi applico? Deniq; quid ista apprehensione & applicatione est opus? An enim, si Deus mihi peccata remittit, Christus pro me satisfecit, & peccata mea remissa, & pro me satisfactum, licèt ego ista nec apprehendam, nec mihi applicem, non erit? quid? nonne eo ipso & remissio peccatorum, & Christi meritum fit meum, dum & Deus mihi remittit, & Christus pro me satisfacit?

At inquis: Vt mendicus, si donum à divite porrectum debeat accipere, non tantùm assentitur, quòd certò & seriò donum divitis offeratur, sed manum insuper extendit, & manus apprehendit: ita si promissæ & oblatæ gratiæ reddi volumus participes, necessariò requiritur applicatio, quæ nonnisi fidei assignari potest. *Respondeo: Mendico aut per promissionem tantùm donum offertur; aut reipsa, dum illi jam porrigitur. Si per promissionem tantùm, nulla alia ratione illud apprehendere (ut jam tecum loquamur) potest, quàm credendo, sibi istud donum certò ac seriò promitti. Si reipsa, ostende quomodo mendicus donum istud, quod illi exerta manu porrigitur, per fidem apprehendere possit? An eo ipso, quòd credit, donum sibi porrigi, donum accipit? Quid ergo opus est, ut manum extendat? Quodsi mendicus credendo stipem apprehendere non potest, quomodo nos credendo peccatorum remissionem & Christi merita apprehendemus,*

hendemus, & nobis applicamus? Aut ergo fatendum est, vobis apprehensione ista & applicatione minimè esse opus; aut aliqua alia manus, quàm est fides, vobis necessariò excogitanda est. Et hinc fit, ut in definienda fide vobis non constetis. Nunc dicitis, illam nihil aliud esse, quàm credere, nobis propter Christi meritum peccata remitti, quod certè nihil aliud est, quàm assensus; nunc iterum eam merum esse assensum negatis, sed nescio quam præterea fiducialem beneficiorum Dei receptionem, quam tamen receptionem non aliter rursum explicare potestis, quàm credere nobis peccata propter Christi meritum remitti. Quid autem hoc aliud est, quàm perpetuò in orbem redire, & in circulo oberrare?

Non animadvertitis, Meisnere, nobis non ipsam peccatorum remissionem, nec ipsam etiam vitam æternam propriè, sed promissionem tantùm remissionis peccatorum & vitæ æternæ sub credendi conditione offerri. Vnde fit, ut fides non in ipsam peccatorum remissionem propriè, sed in illius promissionem, ac proinde non in felicitatem præsentem, sed in futuram demum feratur. Itaq;, si placet, dicamus sanè, promissionem fide apprehendi, dum scilicet promissioni creditur: nonne tu ipse hîc promissionem & fidem perpetua correlata esse *dixisti? At verò promissione non res ipsa nobis porrigitur, sed tantùm jus ad rem. Quocirca & fide non ipsam rem apprehendemus, sed jus ad illam. apprehendemus autem non alia ratione, quàm promissioni credendo, illiq; penitus assen-*

aßentiendo. *Itaq; jam vides, quàm planè non sequatur id, quod sponte sequi dicis,* nempe fidem justificantem non in nudo & generali assensu, sed potiùs in fiduciali beneficiorum receptione consistere. *cùm nec ipsa beneficia divina fide recipiantur, aut etiam recipi possint, sed tantùm divinæ promissiones: nec promissiones divinæ aliter, quàm aßensu illis præbito, possint recipi.*

Itaq; falsum est quod subjicis: Gratia Dei, & justitia in merito Christi oblata, nisi apprehendatur à nobis, nunquam futura est nostra. *Quasi verò gratia Dei, id est, peccatorum remissio, justitia, vita deniq; æterna, similis sit stipi, quæ mendico porrigitur. Stipes extra mendicum porrigitur, stipes extra mendicum subsistit: at peccatorum remissio ipsius Dei est actio, suum in nobis citra ullam nostram apprehensionem effectum habitura; similiter justitia, vita æterna, qualitas est, quæ à nemine apprehendi potest. Quocirca ista apprehensio nec possibilis est, nec, si possibilis eßet, neceßaria eßet, nec deniq; si neceßaria eßet, fides eßet, seu fide fieret: nemo enim eo ipso, quòd credat sibi beneficium dari, beneficium apprehendit, & suum reipsa facit. Nec quia ex Scripturis aliud instrumentum apprehensionis istius nominari non possit, idcirco aliud dari non potest; sed quia nullum dari potest, aut illo quidquam opus est, propterea nec ex Scripturis nominari potest.*

Sed age videamus, quid Socinus isti vestræ Fidei objiciat. Huic planissimæ veritati, *inquis,* quod oppo-

opponat Socinus, verè nihil invenit. *Planiſſimam veritatem appellas errorem, quo nihil intricatius excogitari potuit. Nihil enim dubito, ne te quidem ipſum ſatis intelligere iſtam tuam Fidem. Dicit ergo Socinus,* credere, ſeu confidere, per Chriſti mortem eſſe deleta noſtra peccata, non eſſe fiduciam propriè dictam, ſed potiùs hiſtoricam fidem, qua ſcilicet id, quod jam eſt, aut fuit, creditur, cuiq; hiſtoricæ fidei nullam alioqui Evangelici juſtificandi vim concedere videantur. *Hic Meiſnerus fatetur primò, hiſtoricam fidem non juſtificare. Sed iſtam fidem ſuam, hiſtoricam fidem eſſe, & fiduciam propriè non eſſe, negat.* Hoc, *inquit,* à Socino quidem dicitur, ſed nulla ratione confirmatur. *Quî potes id dicere, cum rationem expreſſam addiderit Socinus? nempe,* quia iſta fide id, quod jam eſt, (*ut peccata mihi remitti*) aut quod fuit, (*ut Chriſtum pro me ſatisfeciſſe*) creditur. *At verò quid aliud eſt hiſtorica fides, quàm credere rem vel præteritam, vel præſentem? Fiducia propriè dicta ſemper tendit in futurum bonum. Annon paulò antè dixiſſe te vidimus, fidem & promiſſionem eſſe perpetua correlata? At verò promiſſio futurum reſpicit bonum. Itaq; cùm promiſſioni credimus, ac proinde verè confidimus, non id, quod jam eſt, aut fuit, ſed quod futurum demum eſt, credimus.*

At, *inquis,* longè aliud eſt aſſenſus generalis, quo credo, Chriſtum pro totius humani

generis peccatis esse mortuum; aliud est certa cordis fiducia, qua non tantùm credo, Christum in specie pro me satisfecisse, sed insuper tota mente confido, spem omnem in illum pono, & certus sum, a Deo Patre, propter illam passionem Christi, mea peccata mihi ex gratia gratis remitti. *Etiamsi vel millies, Meisnere, dicas, te tùm, cùm credis tibi peccata propter Christi satisfactionem ex gratia gratis remitti tota mente Christo confidere, omnem spem in illum ponere, non tamen idcirco fides ista tua erit propriè dicta spes, aut fiducia: sed nihil aliud erit, quàm firmus ei rei præbitus assensus, quòd tibi peccata propter Christi meritum gratis sint remissa, vel remittantur, id est, fides erit historica. Et talem assensum non negamus posse etiam appellari spem & fiduciam, sed impropriè. Nihil enim impedit, quominus dicamus, nos illi, qui nobis aliquid vel præsens, vel præteritum narrat, confidere, illum nobis vera narrare, vel etiam nos sperare, illum non aliter, atq; se res habeat, dicere. Verùm, ut diximus, talis fiducia & spes non est spes propriè dicta, quæ semper in rem futuram & non-dum existentem tendit, & quæ, si nos destitueret ac frustraretur, is, cui verè fidimus, & in quem speramus, nunquam reipsâ compleretur & existeret: quod in ista vestra fide, quâ partim præteritum, partim jam reipsâ præsens & actu ipso existens creditur, contingere, si modò vera creditis, non potest.*

Fides, *inquis*, historica est tantùm act⁹ mẽtis, & nudus

nudus assensus. Sed cõfidere Christo, omnemque spem in ejus morte ponere, & plenâ fiducia merito illius niti, non est actus mentis, sed potiùs cordis & voluntatis. Ergo ita confidere non est fides historica. *Ita tu nobis describis istam vestram fidem, ut si verba spectemus, stultum foret ambigere, an sit propriè dicta fiducia? Quis enim nescit, Christo confidere, omnemq́; spem in eo ponere, & plenâ fiduciâ illi inniti, esse verissimam fiduciam? Et tu profectò ineptus es, qui fiduciam nobis probas esse fiduciam. Verùm tu nobis fidem tuam nudam, non inani verborum ornatu tectam, da conspiciendam, & subsume in Minori:* Fides, quâ credimus, nobis propter Christi satisfactionem peccata à Deo remitti, non est actus mentis, *addere debebas,* & nudus assensus, sed potiùs actus cordis & voluntatis. *Respondeo. Aut qualemcunque actum cordis & voluntatis intelligis, aut certum, & qui fiduciam propriè dictam constituat. Si prius: nego Majorem, cùm in omni fide semper requiratur aliquis voluntatis actus. Omnis enim assensus partim est actus mentis, partim voluntatis, præsertim illic, ubi res non solùm jucundæ nunciantur, sed aliquis etiam est non credendi locus. Si posterius: non admitto Minorem, neque tu ullum cordis & voluntatis actum in hac tua fide ostendes, qui non possit in historica tantùm fide habere locum.*

Aliud affers argumentum. Remotio, *inquis,* omnis diffidentiæ, & certa πληροφορία, de gra-

tuita peccatorum remissione propter Christi meritum concepta, est fiduciā propriè dicta. At fides justificans est remotio, *&c.* Ergo. *Quid est principium petere, si hoc non est? Hæc tua Major est ipsißima illa quæstio & problema, quod negamus. Nam quòd addis,* vocis etymon & Scripturæ descriptiones nihil aliud importare; *istud relatum ad objectum in Majore expreßum falsum est, taciteq́; committitur consequentis fallacia. Fiduciæ enim etymon & Scripturæ descriptiones id tantùm indicant, fiduciam propriè dictam eße remotionem diffidentiæ, & certam de re quapiam πληροφορίαν, sed non contrà; cùm etiam fides historica continere poßit remotionem omnis diffidentiæ, & certam de re, quæ narratur, πληροφορίαν. Quia verò in Majore principium apertè petis, & in subjecto Majoris fidem tuam, de qua disputamus, an sit fiducia propriè dicta, includis: propterea in Minore non tuam istam fidem, ut debebas, sed fidem justificantem subsumis. quod dum facis, & in Minore similiter principium petis, ac conclusionem talem elicis, quæ non tantum à nobis conceditur, sed quam nunc ipsi contra te urgemus, nempe, fidem justificantem eße fiduciam propriè dictam. Et tamen addis,* istud fuisse demonstrandum. *Vide Meisnere, quàm sis ad rem attentus.*

II. Fidei justificantis ex Socini sententia descriptio.

Afferr

Affert tandem Socinus fidei in Chriſtum deſcriptionem, quæ Meiſnero adeò videtur perplexa, ut intelligi, adeoq; abſurda, ut cordato alicui nequeat perſuaderi. Sic vos eſtis, vobis ea, quæ apertiſſima ſunt, perplexa, quæ veriſſima, abſurda videntur, cùm tamen, ut vidimus, veſtra fide nihil ſit vel perplexius, vel abſurdius. Dicit ergo Socinus, fidem in Chriſtum, ſeu per Chriſtum in Deum, quâ juſtificamur, nihil aliud eſſe, quàm ſub ſpe ea conſequendi, quæ à Deo per Chriſtum iis ſunt promiſſa, qui ipſius Chriſti præcepta ita ſervaverint, ut meritò obedientes dici poſſint, ipſi Deo ac Chriſto obedire, & ſic, ut uno verbo dicam, non ſecundùm carnem, ſed ſecundùm ſpiritum ambulare. *Hîc Meiſnerus.* Quis non exclamet cum Aeſchine: ῥήματα, an θαύματα? Non enim tam verba, quàm verborum portenta hic audimus, *&c. Verè id nos de veſtris opinionibus dicere poſſemus, Meiſnere, niſi jam ipſa aſſuetudine portentoſæ nobis, proh dolor! videri deſiiſſent. Num hæc adeò plana & aperta juſtificantis fidei deſcriptio, quæ pietatis amantium corda vel primo obtutu ſtatim ad ſe rapit, portentoſa tibi videtur, & fidem definiri per apprehenſionem & applicationem neſcio quam, non videtur portentoſum?* Certiſſimè mihi perſuaſum eſt, *inquis,* nullis Chriſtianorum, præter novos iſtos hæreticos, talem fidei notionem unquam vel veniſſe in mentem,

vel etiam venire facilè potuiſſe. *Quid? Paulus ipſe longené tibi ab hac fidei notione abfuiße videtur, cùm univerſam Chriſtianæ religionis, quæ certè in fide Chriſtiana poſita eſt, rationem deſcribens*
1. Theſſ. 1. 9, 10. *ait, Theßalonicenſes* converſos fuiſſe ad Deum ab idolis, ſervire Deo viventi & vero, & expectare filium ipſius ex cœlis, quem ſuſcitavit ex mortuis, Ieſum, qui nos eripit ab ira illa ventura? *Nonne duas partes religionis Chriſtianæ, proinde & fidei facit? quarum una eſt ſervire Deo, altera filium ejus expectare è cœlo: quod quid aliud eſt, quàm ſub ſpe iræ divinæ effugiendæ, & immortalis vitæ conſequendæ, Deo & Chriſto obedire? Idem fuſiùs adhuc docet in Epiſtola ad Titum cap. 2.* Apparuit, *inquit,* gratia Dei ſalutaris omnibus hominibus: *quam verò hæc religionem, proinde & fidem in nobis efficit?* erudiens nos, ut abnegantes impietatem & ſecularia deſideria, ſobriè & juſtè, & piè vivamus in hoc ſeculo: *(non in futuro demum, ut vobis placet)* expectantes illam beatam ſpem & adventum gloriæ magni Dei & Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti. *Quid verò hoc aliud eſt Meiſnere, quàm ſub ſpe illius beatitatis ſanctè vivere, & divinis præceptis obtemperare? Corinthios etiam, poſtquam glorioſæ illius reſurrectionis piorum tum firmitatem adſtruxißet, tum modum ac rationem tradidißet, quid facere vult idem Pau-*
1. Cor. 15. 58. *lus?* Quocirca, fratres dilecti, *inquit,* ſtabiles ſitis, immoti, abundantes in opere Domini
ſemper,

semper, scientes, quòd labor vester non sit inanis in Domino. *Ecce Christianorum fidem salvificam Meisnere! Sed quid ego sacrarum literarum testimonia congero, cùm sint innumera, & nulla ferè pagina occurrat, in qua non spes immortalis vitæ, & divinorum præceptorum observatio, tanquam unicum consequendæ salutis medium, ac proinde omnem fidei justificantis rationem complectens, cunctis inculcetur?*

Sed videamus, quidnam Meisnero monstrosum in hac fidei salvificæ notione videatur. 1. Monstri quidpiam alere *putat Socinum, quòd fidem in Christum dicat esse* fidem per Christum in Deum. *Adeò vobis erroneæ vestræ opiniones mentem eripuerunt Meisnere, ut apertissima veritas, ipsiusq; adeò Scripturæ dicta, monstrosa vobis esse videantur. Annon apertissimè scriptum reliquit Petrus,* nos per Christum credere in Deum, qui eum resuscitavit à mortuis? *Et te Theologiæ Doctorem non puduit scribere,* hoc effatum de Mediatoris officio intellectum, posse quodammodo concedi, *quasi Petrus non satis Theologicè fuerit locutus, quærendumq; sit, qua ratione excusari debeat? Vt verò hoc effatum intelligas Meisnere, non ideo sic, & Petrus, & Petrum imitatus Socinus loquitur, ut tu putas, quòd Christus nos adduxerit ad Deum tanquam Mediator, seu quòd nobis in Deum credendi autor sit: nec etiam quòd tantùm per Christi doctrinam credamus in Deum; sed quòd in Christum credendo,*

 quemadmo-

quemadmodum ipsemet testatur, non in ipsum credamus, sed in illum, qui eum misit, nempe Deum; id est, quòd in Christo nostra fides non conquiescat, sed terminetur ac desinat in illo, qui Christum à mortuis resuscitavit, & gloriam ei dedit, & cuius nomine Christus cuncta locutus est. Ex eo autem quemadmodum non sequitur, quod tu vereris, nempe Christum non esse principale fidei obiectum, sed tantùm non esse planè ultimum: sic necessariò sequitur, fidem in Christum non ferri in illius meritum, sed tantùm in illius personam & promissionem. Si enim per Christum credimus in Deum, hoc est, fides in Christum est fides in Deum, certè fides in Christum non potest ferri in illius meritum: cùm fides in Deum non feratur in Dei meritum, sed tantùm in eius promissionem atque personam.

2. *Ait*, Socinum fiduciam verè & propriè dictam per longè petitum, adeò obscurare, ut nihil minùs maneat quàm fiducia, *nempe quia dicat, confidere Deo per Christum, esse,* sub spe consequendi promissa obedientibus à Deo per Christum facta Deo obedire. Brevissimis, *addit Meisnerus,* confidere Socino est, secundùm spiritum ambulare. *Imò verò, Meisnere, nihil magis erit, quàm fiducia. Fiducia enim in aliquo collocata nulla in re sese magis exerit, quàm cùm obeditur ei, si nimirum aliquid fieri velit, cui confiditur, adeò ut tùm demum quispiam verè confidere alicui dicatur, cùm jussa illius diligenter exequitur,*

quæ nisi exequatur, confidere non dicitur, imò confidere negatur. Verùm explicatius aliquid de fidei justificantis natura dicamus, & ostendamus, quàm immeritò Meisnerus in Socinum tam acriter insurgat, acsi non sententiam Christianæ pietati maximè consentaneam proderet, sed nescio quam blasphemiam & impietatem evomeret. ita eum omnia sursum deorsum volvere, fidei salvificæ naturam evertere, Evangelium in Legem mutare, & gratuitam iustificationem ex imis fundamentis diruere, & tantùm non antiquum chaos rebus inducere clamitat. Notandum *igitur est, fidei, cui iustificatio attribuitur, vocem sumi dupliciter: strictiùs, & latiùs; & sic propriè, vel impropriè. Strictiùs & propriè sumta, nihil aliud, quàm aßensum firmum Christi doctrinæ præbitum significat, & ex eo manantem in Deum & in Christum fiduciam. In hac autem stricta & propria significatione tùm sumitur, cùm fidei etiam alia ad salutem nobis comparandam pertinentia adiunguntur, quæ quantò plura sunt, tantò magis fidei vox restringitur, & ad propriam suam significationem redigitur. Latiùs autem sumitur tùm, cùm pauciora illi adjunguntur: latißimè, cùm sola ponitur, & tamen illi salus nostra adscribitur. Verbi causâ, cùm Paulus* manere nunc *dicit*, fidem, spem, charitatem; *fidem in stricta & propria significatione sumit, ita ut reliqua duo non complectatur. Cùm verò alibi dicit,* in Christo Iesu nihil valere, præter fidem per charitatem efficacem, *jam vocem fidei latiùs extendit.*

tendit, ita ut etiam spem contineat; idq́ meritò. nam qui Christo, cœlestia illa bona, maximamq́ felicitatem sibi obtemperantibus promittenti, ex animo assentitur, fieri non potest, quin etiam tantam felicitatem ardentißimè desideret. Ex aßensu autem & desiderio boni spes oritur ac fiducia: & fiducia quidem aßensum magis, spes verò magis desiderium significat. præterea fiducia est aßensus firmus rei desiderabilis adipiscendæ in aliquo defixus: spes autem absolutè sumi potest. Quodsi verò spes etiam in aliquo defigatur, tùm eo, quo diximus, respectu à fiducia differt. Itaque tùm, cùm in aßensu includitur desiderium bonorum à Christo promißorum, eorumq́ consequendorum voluntas, simul etiam includitur spes ac fiducia. Qui enim Christo supremam felicitatem obedientibus sibi promittenti aßentitur, & tanti boni desiderio exardescit, illudq́ consequi prorsus in animum inducit, fieri non potest, quin statim spem ac fiduciam in Christo, & per Christum in Deo collocet. Similiter Petrus, cùm catenam illam verè auream virtutum Christianarum connectit, fidem, quam primo loco nominat, strictissimè sumit, sic ut reliquas virtutes, quæ illi adduntur, minimè complectatur. Divus etiam Iacobus, cùm non ex fide tantùm, sed etiam ex operibus hominem justificari contendit & evincit, fidem sic sumit, ut reliqua bona opera non contineat. Cùm verò sola fides nominatur, eiq́ nullâ aliâ re adjectâ salus nostra adscribitur, tùm latissimè sumitur, sic ut in se ea omnia involvere dicenda sit.

quæ

quæ alibi distincta ac evoluta proponuntur. Solet quippe Scriptura nunc breviùs & rotundiùs, nunc pleniùs & distinctiùs loqui. Verùm illa brevitas ex hac, ut sic dicam, plenitudine explicanda est.

Latissimè ergo, ut diximus, sumitur fides, cùm credentibus simpliciter, nullâ aliâ conditione appositâ, æterna salus & justificatio promittitur. Fides enim tùm per metonymiam simul & synecdochen accipitur, id est, causa non pro effectu, sed cum effectu intelligitur. Fidei enim effecta sunt omnes Christianæ virtutes. Qui namq; Christi doctrinæ penitus assentitur, proinde Deo per Christum ex animo confidit, & spem in illo collocat, Deo etiam totum se mancipat, & virtutibus se tradit, cùm nonnisi hac conditione Deus per Christum æternam illam felicitatem promittat, si nimirum tempus ab initio susceptæ in Christum fidei ad conditionem hanc præstandam suppeditet. Itaque non immeritò id contingit, ut sola fide nominata reliquæ virtutes in censum simul veniant, utpote naturâ individuus fidei comitatus. Quocirca si fidei vox strictè sumatur, fides nequaquam est adæquata justificationis nostræ causa, teste Iacobo, qui fidem sine operibus tam esse mortuam docet, quàm corpus sine spiritu, proinde ad hominem justificandum prorsus inefficacem. Vnde fit, ut fidei alia etiam persæpe tanquam salutis nostræ mèdia adjungantur. Sed quantò latiùs sumitur, tantò magis justificationi adæquatur; si latissimè, adæquatur etiam prorsus. Socinus ergo, cùm vellet fidei notionem justi-

ficationi nostræ planè adæquatam tradere, præsertim cùm de fiducia loqueretur, quæ suâ naturâ obedientiam illi, cui fidimus, & cujus bonitati innitimur, præstandam, si nimirum eam requirat, secum trahit, fidem in latissima significatione ex Scripturæ usu sumsit, & rectissimè eo, quo fecit, pacto definivit.

Idem autem contingit etiam fidei effectis, nempe spei, charitati, pietati, sanctimoniæ, vitæ secundùm spiritum, ut nunc strictiùs & magis propriè sumantur; nunc latiùs extendantur, & plura contineant. Aliquando sola spes in Deum & Christum, sola expectatio, sola dilectio adventus Christi, sola charitas, sola pietas, sola vitæ sanctimonia & ambulatio secundùm spiritum, omne nostrum officium complectitur: nempe quia unum ex istis reliqua secum trahit, & quod naturâ posterius est, semper ponit prius, prius autem infert posterius. Fides, quæ est Christi doctrinæ aßensus, ponit spem & fiduciam in Deum per Christum, fiducia charitatem, charitas omnis generis pietatem, ac vitæ sanctimoniam; vicissim vitæ sanctimonia ponit charitatem; charitas fiduciam ac spem; spes & fiducia firmum Christi doctrinæ aßensum. Aliquando autem spei & expectationi adventus Christi adjunguntur alia, charitati virtutes, virtutibus & bonis operibus fides; aliquando pietas complectitur & justitiam, & temperantiam, & omnes virtutes; aliquando ab illis distincta memoratur, prout vel breviùs, vel pleniùs & explicatiùs, ut diximus.

mus, loqui volunt sacræ literæ. Unde meritò Socinus, ut in brevissimum compendium id omne redigeret, quod ex nostra parte ad justificationem ac salutem adipiscendam requiritur, Paulum imitatus, id esse dixit, ut secundùm spiritum, non secundùm carnem ambulemus. *Qui enim secundùm spiritum ambulat, is fidem ac spem in Christum habeat necesse est; qui verò hanc habet, necesse est, ut Christi doctrinæ firmum adhibeat assensum: & sic ambulare secundùm spiritum, omnia, quæ ex nostra parte requiruntur, ambitu suo planè complectitur.*

His explicatis, jam sponte suâ ruunt omnia Meisneri argumenta, quibus istam fidei justificantis descriptionem à Socino allatam impugnat. Quæ antequam producat, criminatur Socinum, quòd Evangelium in Legem per hanc fidei definitionem mutet, & gratuitam justificationem in Christi merito fundatam ex imis fundamentis diruat, quam pessimam fraudem vel pueri animadvertere possint, adeò ut prolixiori elencho indignus sit Adversarius. *Ad hanc criminationem jam aliquoties respondimus, & ostendimus, illam ex eo oriri, quòd Adversarii, quid sit Lex, & quid sit Evangelium, nondum satis intelligant. Putant enim omnia bona opera, omnemq́ præceptorum divinorum observationem ad Legem esse referendam. Solū credere, quibusvis bonis operibus oppositum, Evangelium esse putant, quasi etiam à Lege fides non fuerit requisita, quemadmodum & bona opera requiruntur ab E-*

ab Evangelio. In eo est discrimen, quòd illic opera Legis, id est, plena, perfecta, & meritoria justificationis fuerint requisita: hîc verò opera Fidei, ut sic dicam, id est, talia, quæ licèt perfecta & meritoria minimè sint, veram tamen fidem & fiduciam in Deum arguant, ejusq; effecta sint, ad justificationem nobis ex Dei benignitate comparandam sufficiant. Evangelium enim licèt servitutis illam legem non contineat, sed libertatis: legem tamen continet libertatis, non licentiæ; charitatis, (quâ nihil imperiosius) non vitæ dissolutæ. Itaq; fides non obedientiam tollit, sed obediendi modum, quatenus ad salutem sufficit, determinat. Hinc etiam patet, nos gratuitam justificationem minimè tollere. gratuita enim esse non desinit, licèt ad eam consequendam fiducialis, ut vestros loquendi modos imitemur, obedientia requiratur: nec, si vel in Christi merito, ut vobis placet, gratuita justificatio fundata esset, quod contradictorium est. Quid enim prohiberet, quominus post Christi meritum nostra etiam obedientia requireretur, si Christi meritis velimus perfrui? Quodsi tamen nostra obedientia cum Christi merito pleno & perfecto conciliari non possit, & unum per aliud evertatur, non illi pessima fraus adscribi debet, qui doctrinam, quæ secundùm pietatem est, promovet, sed illi potiùs, qui ea docet & propugnat, per quæ pietas & obedientia divinis præceptis debita evertitur. Nunc ad argumenta Meisneri accedamus.

1. Petimus, *inquit*, manifesta dicta & argumenta,

menta, quòd confidere propriè loquendo ſit idem, quod obedire. Inauditum ſanè hoc eſt παράδοξον, & omni Scripturæ ignotum. *Variè in hoc argumento terminos mutas, & Elenchum ignoras Meiſnere. 1. quòd fingas Socinum dicere, confidere propriè loquendo eſſe obedire. At non ſic loquitur Socinus, ſed verè & propriè fiduciam (nempe in Deum & Chriſtum) dicit eſſe Chriſto ſeu Deo per Chriſtum planè confidere. Num verò hoc negare audebis Meiſnere? Num ille verè ac propriè Deo confidere dicendus erit, qui illi non planè confidet? At inquies,* planè confidere Socino eſt obedire. quocirca obedire, illi erit propriè loquendo confidere. *Hîc alterum eſt, in quo terminos mutas, quòd idem eſſe putes, verè & propriè fiduciam, & propriè dictam fiduciam; cùm tamen hæc diverſa ſint. prioribus enim verbis ſignificamus fiduciam, quæ maximè hoc nomen mereatur, non propter ſolam vocis proprietatem, ſed etiam propter ſuam perfectionem & efficaciam: in poſterioribus autem verbis ſola vocis proprietas attenditur. Verbi cauſâ, ſi quis dicat, eam eſſe verè & propriè charitatem, erga Deum & Chriſtum, præcepta illius obſervare; erga proximum, illi benefacere: rectiſſimè ſanè diceret: licèt mandata Dei ſervare, proximo benefacere, propriè loquendo charitas non ſit, ſed charitatis effectus. Similiter etiam rectè dicitur, Eam eſſe verè ac propriè fiduciam in Deum, præceptis illius obtemperare. Quemadmodum enim charitas, ſic & fiducia per effecta exeri-*

tur ac

tur ac exploratur. Multi sibi Deo fidere videntur, sed ubi ad rem deventum est, hoc est, ad aliquid arduum Dei causa faciendum aut sustinendum, tùm demum diffidentiam suam produnt. Tertiò mutas terminos, cùm de fiducia in genere loqueris. Socinus autem loquitur de fiducia in Deum vel Christum, id est, de fiducia in eum, qui non tantùm aliquid promittit, sed etiam jubet ac præcipit, aut saltem tacite requirit, si promissa consequi velis. Cui profectò vere ac proprie confidere nemo dicetur, qui ea, quæ ab ipso aut expresse præcipiuntur, aut tacite requiruntur, facere neglexerit. Quartò, quòd eam, quæ vere & proprie est in Deum per Christum, fiduciam, seu Deo per Christum plane confidere, à Socino per solùm obedire definiri dicas: cùm Socinus illud definiat per obedire sub spe eorum, quæ Christus sibi obedientibus promisit. Iam quæso, quomodo istud Deo per Christum plane confidere rectiùs & pleniùs definiri potuerit, quàm per spem divinorum promissorum in Deo per Christum defixam, & obedientiam præceptorum? Cum enim Deus nec solas promissiones nobis per Christum dederit, nec etiam sola præcepta, sed promissionibus præcepta adjunxerit, ut illis obtemperemus, si promissa consequi velimus, quî poterit planè & plene, & vere Deo confidere is dici, qui vel promissa non speret, vel præceptis non obtemperet? Num, verbi causâ, plane & vere medico confidet, qui pharmaco, quod propinat medicus, uti nolet? Percurre omnia exempla eorum, qui aliquid sub conditione certa

certa promittunt, aut eam tacite exigunt, & videbis, non posse illis plane & vere confidere quenquam dici, nisi eum, qui ista faciat, quæ ex sua parte requiri videt. Vnde non semel Scriptura eos in Deum credere negat, qui præcepta illius non observant. Itaq; hoc, quod dicit Socinus, non est inauditum παράδοξον, *sed est apud omnes tritissimum ac notissimum.*

2 Genuina vocũ significatio repugnat. Nam formaliter aliud est obedientia, aliud cõfidentia, *&c. Non erat, Meisnere, cur tanto molimine nos doceres aliud esse formaliter obedire, aliud confidere: cum tam stolidi non simus, ut istud non videamus. Sed Deo plane confidere dicimus esse quidpiã aggregativum, quemadmodum & fidem, cum illi soli justificatio plena tribuitur; sic ut non tantum complectatur id, quod credere vel confidere formaliter & in strictissima notione significat, sed etiam id, quod arctissimo vinculo cum illo cohæret, nempe Deo ex animo obedire, sine quo illud mente verius concipi & distingvi, quàm reipsa existere potest; nisi forte in stulto & insensato homine, qui à Deo salutem, non præstitâ, quam is requirit, conditione, expectet; quod non Deo confidere, sed potius illudere est. Hanc obedientiã ut includeret Socinus, non simpliciter dixit,* Deo confidere, *sed* Deo planè confidere. *Deo enim plane confidere nihil est aliud, quàm ei sic confidere, ut illi etiam obtemperes. Itaq; fidem in Deum & Christum, nec simpliciter per confidere, nec simpliciter per obedire definit, sed per utrumq;, nempe obediendo fidere,*

do fidere, vel fidendo obedire. Iam vide, num talis obedientia ex fiducia profecta in Diabolos, vel ut quàm tu rectiùs loquamur, in Dæmones cadat, quemadmodum tu, obedientiam deprimere volens, hîc asseris. Obedientia, *inquis*, cadit in Diabolos. fiducia non cadit. *At qualis obedientia? non quæ fit sponte, & obediendi studio, quæ anima obedientiæ istius est, de qua Socinus loquitur; nec quæ oritur ex spe remunerationis divinæ, sed quæ fit ex coactione, & vi majore urgente.* At tenentur, *inquis*, præcepta Dei exequi. *Virtutisné & justitiæ, an longè alia? Si illa, cur non etiam Deo confidere tenebuntur, si quidem hic omnis justitiæ ac pietatis fons est. Si alia, ergo hæc non ista obedientia, quam intelligit Socinus, quæ tota in virtutum & justitiæ exercitio posita est, & ex fiducia in Deum proficisci debet. Num verò tu putas Meisnere illorum incredulitate fieri, quòd sibi Christi meritum non applicent? Nequaquam: sed quòd illis Christus nihil sit promeritus. Hoc si esset, non minùs quàm vos meritum Christi (siquidem ea re foret opus) sibi applicarent, & tamen mali esse possent. At sub spe æternæ salutis Deo obedire, & tamen in malitia permanere nequaquam possent. Divus sanè Iacobus, ut bona opera commendaret, & fidem operibus destitutam deprimeret, & ad salutem inutilem esse ostenderet, planè contrariam Meisnero ingressus est viam. Fidem enim bonis operibus vacuam Dæmonibus tribuit, (quæ illos non beat, sed metu ac terrore implet) obedientiam verò in bonis operibus positam non tribuit.* 3.

3. *Argumentum ab oppositione fidei & operum, jam sæpe à nobis est dißolutum.*

4. *Argumen.* Ab exemplo fidei Abrahamicæ, quæ non per obedientiam, sed potiùs per immotam fiduciam, & firmam promissionis apprehensionem à Paulo describatur, *Rom.* 4. *Hic primùm teipsum refutas Meisnere, dum dicis,* fidem Abrahami non per obedientiam, sed potiùs per immotam fiduciam describi. *Vocabulum enim* potiùs, *ita est comparatum, ut quamvis unum præcipuè notet, alterum tamen non excludat, imo tacitè includat. At nos nihil aliud volumus, quàm in fide justificante includendam etiam eße obedientiam. Deinde dicimus, Abrahami fidem Rom. 4. à Paulo strictè sumi pro solo firmissimo aßensu divinæ promissioni, de filio ex se & Sara nascituro, adhibito, ideoq; non mirum eße, quòd in ejus descriptione obedientiæ nullam faciat mentionem. Verùm isti fidei sic strictè sumtæ justificatio plena & perfecta attribuenda non est: sed illi, quâ planè Deo confidit, hoc est, non solùm promissionibus illius credidit, verùm etiam illorum spe & desiderio inflammatus totum se Deo regendum ac gubernandum tradidit, & jussis ejus ac imperiis summo cum studio paruit. Cujus rei locupletissimus est testis Iacobus, qui Abrahamum* ex operibus justificatum, & Scripturam hanc, *quæ dicit,* Credidit Abraham Deo, & imputatum est illi ad justitiam, *tùm demum, cùm præclarissimum illud ac maximè arduum opus immolationis Isaaci,*

nis Isaaci, quantum in ipso erat, peregisset, impletam, fidemq; Abrahami ex operibus perfectam fuisse testatur. Imputatum quidem fuit Abrahamo ad justitiam, simul atque credidit Deo promittenti: verum qualis ista imputatio ad justitiam, vel justificatio fuerit, ex istis Iacobi verbis discimus; nempe talis, quæ adhuc sub conditione, & à reliqua Abrahami vita obedientiaq; pependerit. Et ideo, quantò plura ac certiora istius suæ fidei experimenta dedit Abrahamus, tantò etiam plenior & certior reddebatur illius justificatio, donec tandem tale opus patravit, ex quo, quantum ille Deo confideret, & quàm nihil prorsus illius causâ recusaturus unquam esset, clarissimè constitit, quo peracto, ut fides, sic justificatio illius planè completa & perfecta fuit: ideoq; etiam tùm Deus juramento interposito, quod immutabilis decreti divini indicium est, promissionum suarum eventum illi addixit.

Quodsi ergo quispiam Abrahami fidem, quâ plenè & perfectè justificatus fuit, describere vellet, annon necessariò obedientia Abrahami in hac descriptione includenda esset? Et sic planè cõtrarium ejus ex Abrahamicæ fidei exemplo colligetur, quod ex eo colligi vult Meisnerus. Vnde etiam apparet, quàm falsum sit, quod à Meisnero dicitur, fidem Abrahami sic fuisse a Paulo descriptam Rom. 4. ut opera & obedientiam removeat, & solam fiduciam, exclusa omni diffidentiâ, ponat. Nequaquam enim, ut opera & obedientiam Abrahami ex fide illius

lius ortam excluderet, quæ tacitè includi aut subintelligi, ut vidimus, debet, fidem Abrahami sic sumsit ac definivit Paulus: sed ut ostenderet, quid primò à nobis requiratur, si justificari velimus, & quibus veluti gradibus fides nostra sese ad plenam justificationem evehat. Nam primò opus est, ut divinis promissionibus, etiamsi vel maximè impossibiles nobis videantur, toto pectore aßentiamur, & de illarum fide ne tantillum quidem dubitemus. Hac enim fide in nobis exorta, statim in animis nostris divinæ promissiones suâ præstantiâ ac bonitate ardentissimum sui desiderium excitabunt. Inde postea fiet, ut spem & fiduciam in Deo collocemus. Hac verò posita, quid aliud supererit, quàm ut nos toto pectore totisq; viribus ad ipsius imperia capeßenda, & præcepta exequenda convertamus, & sic nos ei penitus addicamus. Vnde demum plena & certa justificatio, divinarumq; promissionum eventus prodibit. Illi ergo fidei, quâ divinis promissionibus firmiter aßentimur, justificatio attribuitur, tum quòd initium det justificationi, tum quòd ex ea indißolubili nexu fluant reliqua, quæ ad justificationem conservandam, complendam ac perficiendam requiruntur. Hinc factum etiam est, ut Paulus fidei isti Abrahamicæ non nudum in nobis aßensum, promissionibus divinis per Christum datis adhibitum, sed fiduciam in Deum, qui Christum resuscitavit ex mortuis, quæ iam plenius quidpiam est, quàm aßensus nudus, opposuerit. Idem Paulus in eadem ad Romanos epistola, illi fidei, quòd credamus, Iesum eße

à mortuis resuscitatum, iustificationem tribuit. Quod certè non sic intelligi debet, acsi nulla ampliùs vel fide vel re opus eßet ad iustificationis adeptionem; sed quòd hinc fiat, ut Christi doctrinæ, promissionibusq; in ea comprehensis credas, deinde Christo confidas, tandem obedias, & sic justificationem, ac porrò salutem ipsam obtineas.

Quintum argumentum jam etiam sua sponte concidit, ex objecto fidei justificantis ductum, quod Meisnerus dicit eße gratuitam promissionem de receptione credentium in gratiam, propter Christi Mediatoris obedientiam. Respondemus enim fidem justificantem strictè proprieq; sumtam non ferri nisi in divinas promissiones nobis per Christum datas: sed latiùs, nempe cum suis effectis, & quatenus justificationi nostræ plenæ & perfectæ adæquatur, sumtam, hactenus etiam in divina præcepta ferri, & ad eorum executionem sese extendere aßerimus. Rectissime enim à te dictum est: fidem circa Evangelium occupari. *Iam verò cùm Evãgelium nõ tantum promissiones, sed etiam præcepta pietatis cõtineat: omninò cõsequitur, fidem, quâ solâ plenè justificemur, talem in Deum & Christum fiduciam continere, quæ cum præceptorum divinorũ obedientia sit cõjuncta. Et hinc etiam factum est, ut fidei in Christum inobedientia opponatur, Ioh. 3. ver. ultimo, & pro fide obedientia, aut quod reipsâ idem cum ea est, sæpę collocetur. Vide inter alia Heb. 5. 9. 1. Cor. 7. 19. Gal. 5. 6. & 6. 15.*

Sextum argumentum, sumtum ex eo, quòd fides & bo-

des & bona opera in Scripturis ita diſtinguantur, ut illa naturæ ordine præcedat, hæc ſequantur; illa ſit inſtar arboris, hæc ſint inſtar fructuum; fides inſtar matris, obedientia inſtar filiæ, *&c. eadem quoque fidei diſtinctione tollitur. Fides enim in ſtricta & propria ſignificatione habet ſe ad obedientiam, ut cauſa ad effectum, ut arbor ad fructum, ut mater ad filiam; ſed in latiore ſignificatione, cùm illi juſtificatio plena & perfecta tribuitur, habet ſe ut totum ad ſuam partem, ſic, ut cauſam cum effectu, arborem cum fructu, matrem cum filia complectatur. Ideoq́; rectè obedientia definitionem fidei ſic acceptæ ingreditur.* Nam *(quod & ſuprà alicubi jam diximus, hîc autem ut repetamus, ipſa ſimilitudine à Meiſnero allata monemur) quemadmodum non ſola arbor hominem alit, ſed unà cum fructu; non ſolus ager, ſed unà cum proventu: ſic neq; ſola fides ſtrictè ſumta, ſed unà cum ſuis fructibus nos juſtificat. In explicandis ſalutis ac juſtificationis ex parte noſtra cauſis, quæ perſæpe ſolius fidei nomine continentur, non ſola fides ſtrictè accepta, quæ arbori aut agro fertili ſimilis eſt, ſed unà cum fide obedientia, quæ fructibus & uberrimo fidei proventui reſpondet, commemorari debet.*

Eadem diſtinctio tollit etiam ultimum argumentum, nempe quòd, ſi fides per obedientiam definienda eſſet, ſequeretur in Apoſtoli aphoriſmo Gal. 5. 6. Fides per charitatem efficax eſt, fore meram ἀδολεσχίαν ſeu nugationem.

 Charitas

Charitas enim omnium bonorum operum summa quædam & compendium est, Rom. 13. 10. Vnde tota Legis obedientia unico charitatis vocabulo potest exprimi. Quare cùm dicitur fides esse per charitatē efficax, si fides propriè dicta est obedientia, perinde erat, acsi dixisset Apostolus, charitatem seu obedientiam esse per charitatem seu obedientiā efficacem, quod nugatorium est. *Respondemus enim, Paulum in hoc aphorismo voce fidei in strictiore significatione fuisse usum, ideoq; illam meritò à charitate, tanquam causam ab effectu, distinxisse. At cùm Socinus fidem definit, accipit illam in lata significatione, quâ tanquam causa suos effectus unà includit. Et planè eodem modo fides Socino dicitur esse obedientia, quo charitatem ipse Meisnerus hîc dicit esse totam Legis obedientiam. Non enim id propterea fit, quòd charitas formaliter & propriè loquendo, sit tota Legis obedientia, sed quòd sit illius partim pars, partim fons & causa. ideoq; in hac definitione charitas latiùs accipitur. Sic & fides non ideo per obedientiam à Socino definitur, quòd, formaliter & propriè loquendo, sit obedientia, sed quòd sit obedientiæ partim pars, partim origo & causa. ideoq; etiam in tali definitione fides latiùs, & ultra suam propriam significationem extenditur. Atque hinc patet, immeritò Meisnerum dicere, Socinum fidem* propriè dictam, *id est,* propriè loquendo, *definire per obedientiam. qua de re superiùs jam monuimus.*

Postquam

Postquam dixißet Socinus, fidem salvificam breviter eße non secundùm carnem, sed secundùm spiritum ambulare, (*quod qua ratione sit intelligendum supra vidimus*) *hac occasione fidem Evangelicorum reprehendit*, quòd ambulationem istam secundùm spiritum nec in se contineat, ut deberet, nec eam per se efficere possit: cùm tamen secundùm spiritum ambulare sit prorsus necessarium ad salutem, *Rom. 8. 1, 13. Meisnerus verò putat Socinum hoc argumento uti, ut probet, in fidei natura & definitione ambulationem secundùm spiritum contineri, quia nimirum necessariò in homine salvando, ut secundùm spiritum ambulet, requiratur; inducitq́; Socinum sic argumentantem:* Quidquid necessariò requiritur in homine salvando, istud ingreditur naturam & definitionem fidei salvificæ. Sed ambulare secundùm spiritum *&c. Ut demus, Socinum hoc voluiße concludere, primùm quærimus, cur Meisnerus argumentationem Socini decurtaverit? Ait enim Socinus, quòd fides Evangelicorum nec contineat in se istam ambulationem secundùm spiritum, nec etiam illam per se efficiat; unde Major debebat eße:* id quod necessariò requiritur in homine salvando, debet ingredi definitionem fidei salvificæ, vel saltem debet ab ea per se & naturaliter effici; *ac proinde & conclusio talis elici, nempe*, ambulare secundùm spiritum, vel in definitione fidei salvificæ debere contineri, vel saltem ab ea per se effici.

Iam quid ad hanc conclusionem dixiſſes Meiſnere? Annon rem ſic ſe habere faſſus fuiſſes, ac proinde tuam fidem, quæ longiſſimè ab utroque abeſt, proprio calculo damnâſſes? Sed dicamus hoc ſolùm, quod ſolùm dicentem Socinum facis, debere nimirum in fidei ſalvificæ definitione contineri id, quod neceſſariò in homine ſalvando requiritur. Num hoc veriſſimum *non eſt, ſi præter fidem nihil aliud ad ſalutem requiri dicamus, ſeu, ſi fides omnia, quæ ad ſalutem requiruntur, ſuo ambitu complectitur? Annon & auditus verbi, & Sacramentorum uſus, contritio, conſtantia, patientia, preces quotidianæ, mors pia, quæ hîc enumeras, in fidei definitione contineri debebunt, ſi quidem ad ſalutem conſequendam neceſſaria ſint?* Nam *quòd nihilominus (ut hîc objicis) Scriptura inter fidem & opera diſcernat, Paulus fidem & opera opponat, ad iſtud jam ſæpe reſpondimus. nempe illud quidem fieri propter diverſam fidei acceptionem, hoc verò propter diverſam operum ſignificationem. Fundamentalium etiam articulorum (ut addis) notitia aſſenſusq; indubitatus proculdubio in fidei ſalvificæ natura ac definitione contineri debet. nec tamen, ut hinc infers,* ſcire ipſum & aſſentiri, erit idem quod obedire. *Licet enim partes ad totum conſtituendum concurrunt, nihilominus inter ſe confundi non debent.* Nec *fides, quâ juſtificamur, & præterquam nihil aliud ex parte noſtra ad ſalutem requiritur, ſimplex quidpiam eſt, & prorſus unicum, ſed quiddam ex plurium cauſarum & effectorum ſerie ac junctu-*

ac junctura concatenatum. Nonne tu ipſe ſtatim fateris, id ad fidei definitionem ſpectare, quod ut ſalutis cauſa inſtrumentalis ex parte noſtra requiritur? *At ſundamentalium articulorum notitia, aſſenſusq; indubitatus ſanè ut cauſa ſalutis ex parte noſtra requiritur, ideoq; ad fidei definitionem, tua ipſius confeſſione, ſpectat. Nec tamen idcirco dices, ſcire & aſſentiri eſſe idem quod confidere.*

Poſtquam Meiſnerus Majorem ſimpliciter negaſſet, & impugnaſſet, ut vidimus, imò principii petitionem in illâ Socino immeritò objeciſſet: nunc demum Majorem limitandam eſſe ait. Quis verò ſic præpoſterè agit, Meiſnere? Nonne priùs limitanda erat Major, quàm ſimpliciter neganda & impugnanda? Qui enim limitat, aliquatenus concedit; qui negat, nullatenus concedit. Sed limitationem videamus. In homine ſalvando *(inquit)* poteſt aliquid neceſſariò requiri, vel ut cauſa ſalutis ex parte noſtri organica, vel ut aliqua ſubjecti conditio. Priori modo quod requiritur, ad definitionem fidei ſpectat, non autem quod poſteriori, *quale Meiſnero eſt ambulare ſecundùm ſpiritum. & paulò pòſt:* Non ſalvamur propter iſtud ambulare myſticum, & bona opera non ſunt ſalutis cauſa, & nihilominus in omni ſalvando requiruntur, tanquam conditiones neceſſariæ, quæ tantùm determinant ſubjectum ſalvandum, non continent vel exprimunt ſalutis cauſam. *Hæc limitatio & ſibi ipſi adverſatur, & ve-*

ritati. Sibi ipsi; quòd bona opera subjecti salvandi conditio necessaria, & illud determinans, esse non possint, quin sint salutis ex parte nostra causa. Itaq; sibi ipsi contradicit, qui illud de bonis operibus affirmat, hoc negat. Nam 1. *nulla potest alia assignari causa, cur bona opera sint necessaria conditio subjecti salvandi, quàm quia bona opera ad pariendam ex parte nostra salutem concurrere debeant, sintq; causa aliqua salutis; qua de re superius jam egimus, & ostendimus, nec ullum præceptum divinum, nec fidem ullam non tantùm reipsa dari, sed ne mente quidem fingi posse, quæ bona opera ex se omnino fundat, si nulla in eis salutis esse causa statuatur.* 2. *In omnibus locutionibus, in quibus per quidpiam voluntarium subjectum præmio vel pœna afficiendum determinatur, semper voluntarium istud tanquam præmii istius vel pœnæ causa aliqua efficiens consideratur. Quod ex universali omnium legum, in quibus præmio vel pœnâ afficiendi determinantur, inductione unicuiq; constare potest: Quicunq; civem servaverit, fortiter pro patria pugnaverit, conspirationes contra rempublicam prodiderit, &c. is hoc vel illud præmii ferat: Similiter & in pœnis: Quicunq; hominem occiderit, furtum commiserit, rem alienam rapuerit, &c. is hoc vel illud malum subeat. An enim in istis legibus conditio subjectum determinans non est etiam causa vel præmii consequendi, vel pœnæ subeundæ? Imò verò ideo illud determinat, quòd causa sit. Similiter ergo, cùm dicitur:* Quicunque secundùm spiritum ambulat,

ambulat, damnationi non est obnoxius: Qui spiritu carnis opera mortificat, vivet: qui verò secundùm carnem vivit, morietur: Qui operatur justitiã, Deo acceptus est: Afflictio & angustia super omnem animam hominis operantis malum: gloria & honor & pax omni operanti bonum: Qui Christi præcepta servaverit, salvus erit: *Cujus generis innumeræ extant in sacris literis sententiæ: in his, inquam, sententiis non tantùm conditio subjecti salvandi vel damnandi, sed etiam ipsa salutis vel damnationis causa exprimitur.*

Ex his porrò manifestum est, etiam veritati limitationem istam adversari, quatenus bona opera simul negantur esse salutis ex parte nostra causa. quod & plurima alia Scripturæ testimonia refutant. An enim Christus non secundùm opera, vel bona, vel Rom. 2. 6.
mala, unicuiq; retribuet? Quomodo igitur retributio- & d.
nis istius opera non erunt causa? Nonne fidelem ser- Matth. 25.
vum, qui, talentis à Domino acceptis, non deses, non 20. & seqq.
otiosus fuit, sed lucrum Domino quæsivit, propter opera præmio & mercede afficiet? Nonne propter ope- ℣ 34. &
ra charitatis suos ad capessendum cæleste regnum in- seqq.
vitabit? Nonne propterea, quòd Deum & Christum Ioh. 14. 21.
diligamus, vicissim divini amoris fructum sentiemus? At diligere Deum & Christum quid aliud est, quàm præcepta illius servare? Nonne ex operibus justifica- Iac. 2. 24.
tur homo, & non ex fide tantùm? Nonne Abrahamus ℣ 21.
ex operibus justificatus fuit, offerens Isaacum? non i- ℣ 25.

psa Raab

ipsa Raab meretrix susceptis & emissis exploratori-
Gal. 5. 6. *bus? An fides ea demum, quæ per charitatem est effi-*
cax, salutis nostræ causa erit, & tamen charitas e-
Iac. 2. ult. *jusq; effecta salutis nostræ causa nõ erunt? Quid? Fides*
erit salutis nostræ causa, & bona opera, quæ eam vi-
vam ex mortua, ac proinde justificantem faciunt, in-
1. Ioh. 3. 22. *ter salutis causas numerari non debebunt?* Nonne i-
deo, quidquid petimus à Deo, accipimus, quòd præce-
cap. 4. ℣ 13. *pta illius servemus, & quæ illi placent faciamus? Non-*
ne ideo fiduciam habemus in die judicii, quòd quem-
Rom. 6. 16, *admodum ille est, & nos simus in hoc mundo?* Nonne
22. *justificatio & vita æterna finis est obedientiæ?* Nonne
cap. 2. ℣ 7. *per bona opera, inq; iis constantiam, gloria illa cœle-*
1. Tim. 4. 8. *stis & incorruptibilitas quærenda est?* Nonne *pietas*
promissionem habet, & hujus vitæ, & illius futuræ?
Matt. 5. 12. Nonne *vita immortalis merces & præmium bonorum*
operum esse dicitur? ac proinde bona opera sunt illius
causa: non quidem, quòd dignitate suâ tantæ merce-
di ac præmio ulla ex parte respondeant, illudq; pro-
priè loquendo mereantur: sed quòd propter illa ex
infinita Dei bonitate istud præmium hominibus con-
tingat. Ineptus sum, qui rem adeò manifestam, adeò
in sacris literis tritam, & ubiq; obviam, adeò ipsi ra-
tioni consentaneam, probare conor: At quanto magis
ineptiunt, qui eò cæcitatis devenerunt, ut istud non
videant, nec intelligant. Quodsi igitur ambulare
secundùm spiritum *est causa salutis ex parte no-*
stra; ipsius verò Meisneri confessione id omne, quod
ex parte nostra ad salutem ut causa requiritur, fidei
naturam

naturam ac definitionem ingreditur: jam necesse est, ut fateatur Meisnerus, rectè à Socino definitam fuisse fidem. Hanc verò definitionem approbare non potest, quin suam fidei salvificæ definitionem repudiet.

Quàm deniq; frivolum sit, quod ultimo loco à Meisnero dicitur; nempe dicta ista Rom. 8. v. 1. & 13. quibus ambulanti secundùm spiritum indemnitas & salus, ambulanti verò secundùm carnem mors & damnatio decernitur, nihil contra Evangelicorum doctrinam facere, propterea, quòd licèt sanctitatem salutis medium esse negent, illam tamen fidei perpetuum consequens esse statuant; *jam sæpe demonstravimus. Quomodo enim ex fide per se sequetur id, quod nihil ad comparandam salutem facit, nec illius ullum est medium? Inepti verò estis, dum, ut dicis, istud quotidie auditoribus vestris inculcatis, ut secundùm spiritum ambulent, seu spiritu facta carnis mortificent. Quid enim opus est hoc illis inculcare, si quamvis nihil ad salutem comparandam faciat, nihilominus fidei vestræ necessarium sit consequens. Annon satis erit homines ad istam fidem vestram cohortari, quæ & mortificationem istam secum necessariò trahet, & sola sine mortificatione ac bonis operibus utramq; paginam in salutis nostræ negotio facit?*

CAP:

Caput III.

In Evangelicorum Religione quædam concedi, quæ cum Christi præceptis pugnant.

TRia hujus generis Socinus adducit: Primum, de concessione vindictæ per Magistratum: Alterum de permissione cædis in vi repellenda: Tertium de persecutione hæreticorum. Quæ licèt minimè à Christo concessa esse putet, non tamen hinc colligit, ut Meisnerus scribit, Evangelicorum religionem non esse verè Christianam, & per consequens fugiendam, sed tantùm, debere unumquemq; pietatis Christianæ studiosum illi cœtui Christiano potiùs sese adjungere, ubi talia non permittantur.

Membrum I. De Vindicta per Magistratum.

PRimùm agnoscit Meisnerus, nos Magistratum non tollere, & in eam rem aliquot nostrorum testimonia adducit. Interim nobis objicit, quòd jura Magistratus nimiùm restringamus. Sed cur hoc quoq; prolatis nostrorum dictis non comprobat, ut appareret, quanam in re nos jura Magistratus nimiùm restringamus? Relinquimus lubenter Magistratui sua jura ac potestatem, quam ab ipso Deo accepit, & quidquid ad illum finem obtinendum, quem Magistratus habere sibi debet propositum, publicam nimirum pacem & securitatem, seu bonorum & innocentium defensionem necessarium est. Conqueri-

Conqueritur deinde Meisnerus de injuria, suis ecclesiis à Socino hac in parte illata, quòd dicat; Evangelicos permittere, ut quis injurias suas per Magistratum ulciscatur, id est, eum puniri curet, qui injuriam sibi intulit, licèt ex ea punitione nihil prorsus commodi ad se privatim rediturum esse probè intelligat, nisi quatenus suam injuriam hac ratione vindicatam sit visurus, seq; non inultum esse sensurus. *His Socini verbis adeò commovetur Meisnerus, ut Socino calumniam objiciat; nos verò hortetur,* ut criminari desinamus, si hypocriseos notam effugere velimus: prætendere nos meram sanctimoniam, & verbis docere, injurias ferendas, non inferendas esse; factis tamen nunc contrarium probare: omnes cordatos judicare *jubeat,* quid de candore, & toties jactata pietate adversariorum statuendum sit: Socinum, dum hoc ipsum thema tractat, de non facienda nec vindicanda injuria, manifestam Evangelicis facere injuriam, & scienter illorum pervertere sententiam; unde appareat mera hypocrisis, & turpissima simulatio, *&c. Tantos fluctus in simpulo, Meisnere; quid faceres, si non umbratili aliqua, sed vera affecti fuißetis injuria? At Meisnere hoc ipsum tu hîc doces, & auditoribus tuis concedis, quod vobis Socinus objicit, & quod Christi præceptis contrarium eße contendit: nempe, Magistratum adire, ut eum, qui te injuriâ affecit, puniat, licèt ex ea punitione nihil*

prorsus commodi privatim ad te rediturum esse, probè intelligas, nisi quatenus tuam injuriam hac ratione vindicatam sis visurus, teq; non inultum esse sensurus. Nimirum non rectè accipit Meisnerus verba Socini. Putat enim Socinum Evangelicis objicere, ac si illi concedant accusare coram Magistratu proximum, hoc tantùm fine, ut iram tuam expleas, & quem oderis, punitum videas, *vel, ut inferiùs loquitur Meisnerus,* ex animo charitatis vacuo, iracundiæ & vindictæ pleno, nil nisi proximi damnum pænamq; quærente. *Et hoc solum est, quod omni ratione à doctrina sua moliri conatur Meisnerus. Minimè verò ea mens est verborum Socini. Non ille nunc de animo, quo quis accusat, agit; sed tantùm de ipso facto. quale est, si quis talem pœnam per Magistratum quærat, quæ lædenti tantùm damnum, læso autem nullam injuriæ compensationem, præterquam quòd injuriam suam vindicatam sit visurus, afferat. Num verò tale factum vos non conceditis, Meisnere? Annon apertissimè asseris, Christum idem concedere, quod olim concessit Moses, cùm diceret:* oculum pro oculo, dentem pro dente; *nec quidquam novi, aut à Mose diversi Christum docere, sed idem utrumq; concedere, & idem prohibere? At hoc ipsissimum illud est, quod vobis Socinus objicit, qui Christum omnino novum quidpiam, & Mosis isti præcepto contrarium præcipere affirmat. Agnosce igitur Meisnere, quantam & Socino & nobis injuriam feceris, quamq; immeritò tantopere in nos invectus, i-*

mò

mò tuas ipse leges transgressus fueris? Agimus nunc de injuriis non vindicandis, tuq; totus in eo es, ut ostendas, quanta animi moderatione, deposito omni carnali affectu, non privato motu, sed Magistratus authoritate quærenda sit injuriæ compensatio, adeò ut & ipsum judicem tantisper à dijudicatione causæ abstinere consultum putes, donec rancor vindictæq; ardor nimius deprehendatur depositus. *Hoc doces. Iam vide, an hoc facias. Injuriâ vestras Ecclesias à Socino affectas fuisse putasti. Quantas dedisti turbas! quàm graviter nos accusasti! quantis criminibus onerasti, & tanquam hypocritas & calumniatores pessimos traduxisti! Hoccine est injuriam, si quæ sit, patienter ferre, moderatè & sine affectu ac studio nocendi rem agere? Nonne sufficiebat tuas purgâsse Ecclesias, si quid illis à Socino falsum impingi putabas? An vobis fama constare non poterat, nisi nos infamiâ priùs immerentes & innoxios notâsses? Sed nostrum est, hanc tam insignem injuriam tibi ex animo condonare: Tu verò, qui et innocentes tam graviter læsisti, & cùm læsos vos esse putares, tam acerbè injuriam ultus es, peccâsse te agnosce, & dole.*

Quæ in septem prioribus thesibus, dum sententiam vestram de vindicta explicas, à te disseruntur, ea, cùm nos non petant, missa faciemus. Illud tamen sicco pede prætereundum non est, quod Thesi VII asseris Meisnerus, in Veteri Fœdere privatam vindictam perinde ac sub Novo vetitam fuisse. Nam ne alia nunc commemorem, quid dices de jure vindicis sanguinis

guinis sub Veteri Fœdere, de quo Num. 35. lex lata extat. Num putabit hodieq; licere propinquo sanguini, si in homicidam inciderit, non appellato Magistratu, cædem cæde rependere? In octava thesi tandem id à te statuitur, quod Socinus Christi præceptis docet esse contrarium, nempe cùm dicis: Ex hisce omnibus *(quæ scilicet superiùs à te dicta sunt)* luculentum esse, quòd Christiano liceat à Magistratu ordinario, tanquam Dei ministro, vindictam petere, & ejus auxilium implorare. *Ante omnia nobis determinandum est, quid vindictæ nomine in hac quæstione intelligamus: quod licèt jam indicatum fuerit, placet tamen iterum exponere. Per vindictam intelligimus talem pœnam, quæ nullam veram injuriæ aut damni illati compensationem continet, qualis v. c. est, oculi pro oculo, dentis pro dente excussio, aut etiam animæ pro anima ademtio. Auxilium igitur à Magistratu petere licet, & ante injuriam illatam, nempe ut illationem ejus prohibeat; & post illatam, ut compensetur injuria, & damnum resarciatur: Sed vindictam petere à Magistratu, hoc est, id, ut aliquid proximo adimatur, aut infligatur, ex quo nulla rerum mearum fiat accessio, aut injuriæ ulla vera reparatio, neutiquam Christiano homini, in tolerabilibus præsertim aliqua ratione injuriis, putamus esse licitam; quin ejus officii esse arbitramur, iterum damnum & injuriam pati potiùs, quàm ejusmodi pœnam, sive per se, sive per Magistratum exigere. Quod idcirco nunc dicimus, ne* quis

quis nobis objiciat, hoc saltem privati commodi ex ea punitione ad injuriâ affectum redundaturum, quòd inposterum ab injuria tutus sit futurus; proinde, hoc saltem fine licitum esse, ejusmodi pœnam, & injuriæ vindictam per magistratum quærere. Apparet enim, Christum tantam nos istius commodi rationem habere noluisse, ut propterea pœnam ejusmodi urgere & quærere nobis permittamus: cùm jubet, ut percutienti nos in unam maxillam, alteram percutiendam præbeamus, & eripienti tunicam, pallium dimittamus: & ad unum miliare nos adigenti, duo in illius gratiam conficiamus. *Quid enim hoc aliud est, quàm propter duplicationem injuriæ non debere nos ad vindictam, de qua ibi agit, (agit autem de tali, qualem descripsimus) provolare? Quod adeò verum est, ut ne compensationem quidem, ac refusionem illati damni & injuriæ nobis per Magistratum repetere liceat, si videamus, non posse id à nobis fieri, quin simul eum, qui nos injuriâ affecit, tali pœnæ & noxæ, propter latas publicè leges, subjiciamus; imò hanc lædentis calamitatem, vel novâ injuriâ rerumq; nostrarum jacturâ redimere summa cum patientia debeamus.*

Hujus sententiæ nostræ argumenta antequam proferamus in medium, videamus, an quidquam solidi contra eam attulerit Meisnerus. Putat ergo, ex iis, quæ superiùs de Magistratus jure, seu publica, quæ fit à Magistratu, vindicta disseruit, quam licitam, imò & præceptam à Deo esse defendit, omnino con-

sequi, licere læso istam vindictam à Magistratu petere. At quæ est hujus rei consequentia, Meisnere? Annon potest Magistratus suo jure uti, & officium facere, etiamsi ego, qui injuriâ sum affectus, eum minimè instigem, & injuriam meam patienter feram? Imò verò patientiâ meâ & modestiâ magis, quàm accusatione, incitari deberet ad coërcendam improborum petulantiam. Nonne Deus *summus est, ut sic dicam, Magistratus? & tamen piorum est, non tantùm non petere injuriarum, quibus ab improbis afficiuntur, vindictam, sed etiam culpam eorum deprecari, & veniam illis à* Deo *orare.* Hoc *fecit in gravissimis injuriis* Christus, *&* Christum *ducem suum imitatus protomartyr Stephanus: hoc præceptum etiam omnes accepimus.* Num *verò aliter hac in parte nos gerere debemus aut possumus erga magistratus,* Dei *in puniendis improbis & tutandis bonis ministros, quàm erga ipsum Deum?* Num *si ab ipso* Deo *vindictam & ultionem petere non licet, ab ipsius servis petere licebit? Quemadmodum autem* Deus *nihilo seciùs improbos punit, etiamsi pii pœnam eorum minimè expetant, imò veniam illis suppliciter orent: sic etiam Magistratus, non instigantibus nec accusantibus iis, qui injuriâ affecti fuerunt, imò etiam deprecantibus, nihilominus jus suum à* Deo *sibi concessum exequi potest, & quidem tantò majori cum æquitate ac moderatione, quantò pacatiùs, minusq; turbatè, (non frementibus nec æstuantibus vindictæ studio læsis, & jus suum acriter urgentibus, quod ipse Meisnerus*

consultum

consultum putat) injuriarum disceptationes peragentur.

Ait Meisnerus, absurdam esse Socini hypothesin, fingentis talem injuriam, ex cujus punitione nihil prorsus commodi ad accusatorem redeat. *Non injuriam ullam talem fingit Socinus; sed pœnam ejusmodi, ex qua nihil veri & privati commodi per se ad affectum injuriâ redeat, non esse quærendam & appetendam docet. Dari autem talem pœnam, cui dubium esse potest? Quod commodum ex eo privatim & per se ad me redundat, quòd is, qui vel famam meam, vel corpus, vel fortunæ bona læsit, publicâ ignominiâ notetur, in carcerem compingatur, aliqua parte corporis mutiletur, publicam mulctam luere cogatur? An ad famam meam vindicandam non satis erit, si me purgem, si innocentiam meam ostendam, si is, qui mihi detraxit, injuriam se fecisse agnoscat? Ad corporis aut etiam fortunarum damnum reparandum annon sufficit, si erepta restituantur, & quæ restitui non possunt, alia ratione compensentur?*

Reus *(inquis)* & injuriæ illator semper ita punitur, ut inde tum innocentiæ bonæq; famæ testimonium, tum damni realis compensationem aliquam reportemus. *Quod ad pœnas attinet, quæ propter læsam innocentis famam à magistratu infliguntur, fateor, per has ipsas pœnas læsorum famam vindicari. nisi enim isti innocentes essent, non potuissent illi jure puniri. Illorum ergo pœna, istorum*

na, istorum declarat innocentiam. Sed hoc ratione istius pœnæ fit per accidens; & sine illa, injuria famæ potest optimè compensari. Quod verò attinet ad illas pœnas, quæ ob damnum reale, ut Meisnerus loquitur, infliguntur, eas semper esse tales, ut damni realis compensationem per eas reportemus, falsum est. Quam enim quæso compensationem damni reportat is, cui oculus est excussus, hinc, quòd percussori vicissim excutiatur oculus? quomodo cædes unius compensatur cæde alterius? Num propterea injuriâ affectus id, quod illi ereptum est, recuperat, quia ereptori tantundem etiam eripitur? Idem contingit in omnibus veris pœnis: & idcirco Magistratus præter pœnas, quæ maximè Reipublicæ debentur, sæpe compensationem damni privatis decernit; quâ solâ eos, qui affecti sunt injuriâ, contentos esse debere, contendimus.

Mones eos, qui in foro litigare opus habent, ne hoc fine judicem accedant, ut punitum modò videant adversarium & vindicatam injuriam, sed potiùs ideo, ut satis fiat voluntati Dei, qui puniri vult improbos, ut vigeat & conservetur justitia, ut ipsi famam honestam, & bona divinitus concessa, legitimis mediis defendant, ne defraudetur familia & hæredes. *Frustra finis bonus obtenditur, si medium consequendi finis non est bonum. Non enim facienda sunt mala, ut eveniant bona: Nec finis bonus & honestus semper medii honestatem largitur. Vult Deus punire improbos; sed vult*

vult etiam, ut nos injuriarum simus patientissimi, & ab omni vindicta abstineamus. vult vigere ac conservari justitiam; sed vult etiam vigere ac conservari benignitatem & misericordiam. Nam quod attinet ad famæ & bonorum per legitima media defensionem, de eo nobis controversia nō est: sed nunc quæritur, an sit legitimum medium, vindictæ & pœnæ per Magistratum exactio? Vult Deus puniri improbos, vult eorum improbitatem coërceri, vult in illis exempla statui, sed non cujusvis operâ. nō eorum, qui læsi sunt, quos patientissimos vult esse, ut diximus: sed quibus hoc officium imposuit, nempe Magistratuum: qui etiam nobis tacentibus, si Reipublicæ invigilent, injurias nobis illatas & cognoscere, & vindicare poterunt. Ita fiet, ut & patientiæ ac modestiæ Christianæ relinquatur locus: & nihilominus innocentiæ ab improbitate in vigili Magistratuum cura maneat præsidium. Hoc argumento posset etiam privata defendi vindicta, si quis nimirum non ex odio, non ex animo iracundiæ pleno, dicat se injurias suas ulcisci velle, sed ut puniatur improbus, ut coërceatur, & illius exemplo cæteri deterriti à nocendo abstineant, ut fama & existimatio, ac bona divinitus concessa familiæ & hæredibus maneant inviolata. Itaq;, Meisnere, non animus tantùm hîc spectandus est, & finis, sed etiam ipsa actio, quam nisi priùs licitam esse ostenderis, frustra illi tam egregium finem scopumq́; præfigis.

Illicitam autem illam esse Socinus ipsius Christi

testimonio evincit. Qui, quod lege illa Mosaica oculus pro oculo, dens pro dente, *&c. privatis concessum erat, perfectiore sua disciplina abrogat Matthæi 5. ver. 38. & sequen. Multa hic regerit Meisnerus.* 1. Hac ratione calumniandi ansam dari Paganis & Apostatis, quasi doctrina Ecclesiæ tolleret politiam. *Non id spectandum est, an istis hominibus calumniandi detur ansa, cùm illi undique, ex Christianæ religionis etiam sanctissimis institutis, calumniandi ansas arripiant: sed an illis detur ansa justa & legitima. Nihil autem injustius, quàm ex eo, quòd Christus legem Mosaicam,* oculum pro oculo, dentem pro dente, *abroget, inferre;* tolli politiam per Ecclesiæ doctrinam. *Num si una lex politica, eaq; nō in omnibus politiis recepta, & à multis rigidior, quàm par sit, judicata tollitur: idcirco universa politia tollitur? Quid? ne hanc quidem legem, si quis rectè attendat, istis in verbis tollit Christus, sed tantùm læsos hac lege uti vetat, id est, à Magistratu postulare, ut secundùm hanc legem judicet, & injurias eis illatas vindicet. Cæterùm ipsi Magistratui, quominus vindictam sumat, & improbos pro meritis plectat, Christus non interdicit.*

2. Socinus, *inquit*, vel sibi ipsi contrarius est, vel de solis vocabulis contendit. Licet juxta ipsum damni injustè illati compensationem à Magistratu petere, & tamen innuit, non licere, ob Christi interdictum, vel magistratui injurias ulcisci, vel læsis vindictam à Magistratu

giſtratu petere. *Neq; ſibi ipſi contrarius eſt, nec de ſolis vocabulis contendit Socinus: Sed Meiſnerus inter damni compenſationem, & inter pœnam ſeu vindictam, eam præſertim, ex qua nihil privati commodi ad nos redundet, non diſtingvit. Diſtincta autem hæc eße ſuperiùs oſtendimus. Socinum præterea innuere*, non licere Magiſtratui injurias ulciſci, *falſum prorſus eſt. Hîc poßemus, Meiſnere, graviùs in te invehi, teq; non minore, quàm à te factum eſt, acerbitate verborum ulciſci: ſed quia malum pro malo rependendum non eße, idq; hoc ipſo in loco contendimus, ſufficiat nobis criminationem hanc ſimplici negatione refellere.*

Quid (*inquis, oſtendere volens, compenſationem damni & vindictam nō differre*) judicialis ſententia de damno compenſando aliud eſt, quàm publica Magiſtratus vindicta? *& paulò pòſt:* nam vindicare & ulciſci nobis nihil eſt aliud, quàm reum punire propter damnum illatum, ſive id reale ſit, ſive verbale. *Num ergo idem eſſe putas, propter damnum illatum punire, & ad damni compenſationem judicialiter adigere? Multùm iſta differunt. Sæpe datur damni illati pœna, ubi non datur ulla vera ipſius compenſatio, ut fit in talione. Similiter & compenſatio damni ſine pœna & ultione fieri & decerni poteſt. In damni refuſione ſeu compenſatione nihil nocenti, quod ipſius proprium erat, adimitur, ſed tantùm alienum, quod ſibi injuſtè vindicaverat, ab illo tollitur, & proprio domino reſtituitur.*

stituitur. In pœna verò & vindicta, semper nocenti, id quod illius proprium erat, adimitur: ideoq; in damni compensatione damnum tollitur, in pœna & ultione ponitur. Nec pœna ab injuria aliter differt, quàm quòd illa meritò fiat, hæc immeritò. Et qui immeritò læsit, meritò vicissim ab eo, cui jus in eam rem est, læditur.

3. Non tollit (*inquit*) Christus legem talionis, omnemq; vindictam Matth. 5. quia per Apostolos suos stabilivit jus gladii, & docuit quòd Magistratus esse debeat vindex malefactorum. *Si loquaris de vindicta, quam Magistratus ipse per se exercet, ignoras elenchum, cùm de ea nulla nobis nunc tecum sit controversia: Si verò loquaris de vindicta, quam à Magistratu iniuria affecti flagitant, negamus consequentiam. Potest enim & Magistratus suum ius retinere atq; exequi, & Christiani homines, ut suo iure, quod in vindicandis iniuriis habent, cedant, atq; ab omni vindicta penitus abstineant, Christi legibus adstringi.*

4. *Negat Meisnerus, à Christo corrigi aut tolli legem Mosaicam, sed tantùm explicationem aut depravationem Pharisaicam tolli affirmat.* Isto enim *inquit*, in loco nihil novi & à Mose diversi Christus docuit, sed uterq; idem concedit, & idem prohibet. Concedit uterq; legem talionis & vindictam publicam. *Ubi, quæso, eam concedit Christus?* Rom. *inquis*, 13: v. 4: 1. Pet. 2. 14. *At istis in locis non de eo, quid privatis & iniuriâ affectis,*

ctis, de quo nunc quærimus, ſed quid Magiſtratibus liceat, de quo non quærimus, agitur. Prohibet, *inquis,* uterq; vindictam privatam, quam vel privatus ipſe ſuſcipit, vel ex animo impatienti & charitatis vacuo à Magiſtratu petit. *Atqui privatus poterat propinquum ſangvinem cæde ulciſci, Num. 35. Poſterius autem ubi, quæſo, prohibet Moſes? Quaſi verò per Moſaicam diſciplinam ex animo vel maximè impatienti non licuerit oculum pro oculo, dentem pro dente petere? imò quaſi hæc pœna, quæ ne pilo quidem verè beatiorem læſum reddere poteſt, alio, quàm impatienti, & vindictam ſpiranti animo peti poſſit? Levit: 19. 18. nihil aliud à Moſe prohibetur, quàm ne quis in levioribus iniuriis vel privatim ſeſe ulciſcatur, vel iniuriarum iam obſoletarum ſit memor, id eſt, ne odium & iram inveteratam adverſus proximum foveat in animo. Salomonis proverbia multa continent, quæ ipſius legis Moſaicæ diſciplina neutiquam exigit; ideoq́ ex illis hujus rei teſtimonium peti non debet. Quanquam dicto à te citato Prover. 24. 29.* Ne dicas, quomodo fecit mihi, ſic faciam ei, reddam unicuiq; ſecundùm opus ſuum, *ut ex proximè dictis colligitur, non tam prohibetur, ne iniuriæ reponatur ultio ſimpliciter, quàm ne ſcelus ſcelere, puta falſum teſtimonium, teſtimonio falſo, mendacium mendacio, fraus fraude penſetur.*

Hinc verò apparet, quàm ex omni parte vanum ſit iſtud effugium, cùm dicitis, Chriſtum ſua verba

non Mosaicæ legis concessioni, de pœna talionis, aut vindicta per Magistratum exigenda, sed Pharisaicæ depravationi, & vitiosæ interpretationi opponere. Nam & Pharisaicam istam depravationem, quam dicis, nullâ conjecturâ probare unquam poteris, & multo minùs, eam hîc à Christo taxari & reprehendi. Ais, Pharisæos statuisse, à Lege prohibitum non esse, ut privatus homo animo vindictæ cupido quærat à Magistratu ultionem; vel, si hic sit negligentior, nobisvè iniquior, ut seipsum vindicet, omniq; conatu malo resistat. *Quis tibi concedet, prius illud, depravationem esse Pharisaicam, & non concessionem Mosaicam? quis item concedet, posterius istud, quod apertè non solùm Mosaicæ legi, sed omnibus legibus adversatur, à Pharisæis, hominibus externæ sanctitatis studiosissimis, fuisse traditum? Sed docuerint sic Pharisæi; quæ vel tenuissima suspicio apparet, Christum huic doctrinæ verba sua opponere? Nonne ipsa legis Mosaicæ verba citat, & illis doctrinam suam opponit? Quis unquam, ut falsam interpretationem legis alicujus reprehendat, ipsam legem adducit, & illi dicta sua opponit? Quocirca non Pharisaicæ alicui depravationi, sed ipsi Mosaicæ legi, seu potiùs ex ipsa lege mananti, de vindicandis ac retaliandis Magistratus operâ injuriis, concessioni obviam ire Christus voluit, & discipulis suis summam injuriarum patientiam instillare.*

Porrò, (ut alia etiam contra vindictam argumenta

menta afferamus) nemini malum pro malo, *sed potiùs* pro malo bonum reddere *jubemur. At verò non minùs malum malo compensat, qui Magistratus operâ id facit, quàm qui privatâ.* Videte, *inquit Paulus*, ne quis malum pro malo alicui reddat: sed semper bonum persequimini, & erga invicem, & erga omnes. *Num iste semper bonum sectatur erga quemvis, qui malum & perniciem, quocunque tandem animo istud faciat, per Magistratū alicui molitur? Molitur autem malum, qui vindictam & ultionem quærit, cùm illa per se semper sit, & esse debeat illi, cui infligitur, mala ac noxia. Præclarè, ut multa alia, Tertullianus:* Vltio penes errorem, solatium videtur doloris: penes veritatem certam, redarguitur malignitatis. Quid enim refert inter provocātem & provocatū, nisi quòd ille prior in maleficio deprehēditur, at ille posterior? Tamē uterq; læsi hominis Domino reus est; qui omne nequam & prohibet & damnat. Nulla in maleficio ordinis ratio est, nec locus secernit, quod similitudo cōjungit. Absolutè itaq? præcipitur malum malo nō rependēdum. Par factum, par habet meritum. *Iosephum, Christi secundùm carnem patrem, aspice, qui cùm Mariam uxorem suā stupri compertam esse, ac proinde maximâ sese ab ea affectum fuisse injuriâ crederet, nō tamen provolat ad Magistratum, non legem contra adulteras latam urgere cogitat: sed cùm justus, id est, vir bonus ac benignus esset, dimittere tantùm eā, dissimulatâ in publicum injuriâ, in animum inducit.*

1. Thess. 5. 15.

Cui præterea ignotum esse potest, quàm liberales esse debeamus in condonandis injuriis? Revocet sibi quisque in mentem, propositam à Christo Servatore nostro parabolam Matth. 18. de rege, qui Deum repræsentat, ingens debitum servo suo condonante: cujus exemplum nobis illius mancipiis imitandum proponitur. Hinc Paulus: Sitis alii in alios benigni, misericordes, condonantes vobis invicem, quemadmodum & Deus in Christo donavit vobis. *Num verò condonat injuriam, qui apud Magistratum injuriæ pœnam quærit?*

Ephes. 4. ult.

Adeò verò nos Christus alienos esse voluit à pœna & ultione quærenda, ut etiam sæpe rerum nostrarum jacturam pati, & ne damni quidem compensationem quærere debeamus: quoties nimirum periculum est, ne vindictam & ultionem petamus, aut etiam litibus nos, qui pacem cum omnibus, quantum in nobis est, sectari debemus, implicemus. Huc enim pertinet id, quod Christus nos facere jubet, ut omni petenti largiamur: ut mutuò demus, nihil inde sperantes: ne nostra ab eo, qui illa abstulit, repetamus, *quin potiùs duplum damni alacri animo subeamus. Talia enim cum facimus, facilè ultionis & vindictæ periculum litiumq; certamina declinamus.*

Matth. 5. 39. & seq. Luc. 6. 29. 30. 35.

Illa etiam generalis regula charitatis, quâ id omne aliis facere jubemur, quod ab aliis nobis fieri velimus, vindictam & ultionem injuriarum à Magistratu petere nos non sinit. Quis enim nostrûm non unicè cuperet, si alterum injuriâ affecisset, ne injuriâ

Matth. 7. 12. Luc. 6. 31.

affectus, saltem ultra restitutionem damni, jus suum extenderet, benignè secum ageret, pœnam & ultionem dimitteret? Quocirca id ipsum & nos illis, qui nos injuriâ afficiunt, debemus.

Adde, quòd jus in æqualitate quadam sit positum; quemadmodum Iniquitas, ut ipsum nomen indicat, est quædam inæqualitas. Iam verò damni simplex restitutio æqualitatem, quæ per injuriam violata fuerat, reducit. Quocirca præter damni restitutionem, vel etiam pro damni restitutione ultio quærenda non est, ut fit in lege talionis. Nam cum præter damni restitutionem, ultio insuper ab eo, qui læsus est, quæritur, inæqualitas quæritur. Minùs enim post pœnam inflictam habebit nocens, quàm ante injuriam illatam habuit. Licèt autem in talione æqualitas quædam induci videatur; quia tamen per æqualitatem istam non restituitur læso id, quod illi ereptum fuerat, sed lædenti tantundem adimitur, propterea uterq;, & læsus, & lædens minus habere dicendus est, quàm & ille ante acceptam, & hic ante illatam injuriam habuit. Itaq; etiamsi talione læsus & lædens inter se exæquentur, sibi ipsis tamen inæquales redduntur: Iubet autem Christiana lenitas & patientia, ut si malum altero malo sit pensandum, & sic malum geminandum, proprium potiùs & unum malum feramus, quàm illius causâ, alteri, alterum inferamus. Quodsi tamen malum illi, qui nocuit, infligendum est, id non nostra postulatione & accusatione fieri debet, sed ipsius Magistratus jussu ac voluntate; non tam ad

priva-

privatam, quàm ad publicam injuriam vindicandam: ad illum qui læsit, si sit opus, vel emendandum, vel coërcendum; ad exempla peccati tollenda, & nocere volentibus terrorem incutiendum, publicamq; tranquillitatem conservandam.

Fatemur & nos, præceptum illud Christi de altera maxilla percutienti præbenda, quemadmodum & sequentia verba, crudè accipi non debere, sed, ut Meisnerus ipse loquitur, comparatè, & ad Christi scopum accommodatè, qui is est, ut nos ab omni ultione avocet: vel, si mavis, dicendum est, Christum, cùm jubet percutienti alteram maxillam præbere, tunicam eripienti etiam pallium dimittere, &c. non quid ipsi ultro facere, sed potiùs, quid pati & perdere debeamus, præcipere. Meritò enim alteram maxillam percutienti præbere, & pallium, eripienti tunicam, dimittere dicitur is, qui ita compositus est, ut sine ulla vindicta iteratò etiam cædi, & tunicæ jacturam pallii quoq; amissione cumulare paratus sit. Itaq; non jubet Christus, ut percutientem aut nostra eripientem invitemus ipsi, ut nos repetitis plagis feriat, aut plura nobis eripiat; sed tantùm ne iteratò percutere, & plura eripere volenti resistamus. quemadmodum ex verbo dimittendi, quod de pallio usurpatur, & magis adhuc ex Luca, ubi idem præceptum traditur, colligi potest. Illic enim jubemur non prohibere aut impedire, quominus nobis & pallium unà cum tunica eripiatur. Itaq; hoc sensu Christus & Paulus alteram maxillam percutientibus præbuisse re-

se rectè dicitur. paratus enim uterq; fuit, summa cum patientia, sæpius cædi; imò Christus proculdubio re ipsa id præstitit.

Dum vero Paulus Ananiæ Pontifici, percutere se jubenti, dicit, Percutiet te Deus, paries dealbate, *nequaquam Ananiæ malè cupere aut imprecari, vel ulla ratione sese ulcisci dicendus est. sed tantùm ei divinas pœnas denunciare, eumq; pro meritis redarguere. Neq; hic fingendus est aliquis in Paulo zelus, quo correptus in Ananiam Pontificem hoc pacto invectus fuerit, sicut Meisnero placet. Zelus enim in propriis injuriis magnam cum ira & vindictæ cupiditate affinitatem habet, seu potiùs ira est, honestiori zeli nomine palliata. Multo minùs autem ferendum est, Paulum imprecantem Ananiæ induci, acsi dixißet, quemadmodum Meisnerus citare ausus est,* Percutiat te Deus, paries dealbate. *Non enim dicit* percutiat, *sed* percutiet: *quod non imprecantis pœnam, ut prius, sed illam tantùm denuncianti͛s est.*

Non solùm autem Christiani debent malle ἀδικεῖσθαι, quàm ἀδικεῖν, injurias perferre potiùs, quàm inferre, *ut Meisnerus dicit; sed etiam debent malle eas perferre, quàm sive vi, sive jure referre; quod ipsum etiam non minùs, quàm illud, ex naturæ lumine saniores Ethnici docuerunt. Non pigebit hîc adscribere ex multis aliis Iuvenalis testimonium ex Sat. XIII.*

At vindicta bonum vita jucundius ipsa,

Nempe hoc indocti, quorum præcordia nullis
Interdum, aut levibus videas flagrantia causis.
Quantulacunque adeò est occasio, sufficit iræ.
Chrysippus non dicet idem, non mite Thaletis
Ingenium, dulciq; senex vicinus Hymetto,
Qui partem acceptæ sæva inter vincla cicutæ
Accusatori nollet dare.

Et mox:

——————Quippe minuti
Semper & infirmi est animi exiguiq; voluptas
Vltio. continuò sic collige, quòd vindictâ
Nemo magis gaudet, quàm fœmina.

Privatam vindictam ex impotenti animo proficisci manifestum est: & tamen ipsa natura dictat, generosius quiddam esse, illatam injuriam per se ulcisci, quàm Magistratus opem in ea ulciscenda implorare. Vnde fit, ut illi, qui verè generoso & excelso sunt animo, injurias penitus condonare soleant, & neq; per se, neq; per Magistratum ultionem quærere pulchrum ac decorum putent; ne si privatim sese ulciscantur, impotentis animi; si per Magistratum, degeneris & ignavi esse videantur.

Ais, hoc Christi præceptum non esse opponendum publicis licitisq; judiciis, quia longè aliud sit proximum lædere, aliud se suosq; legitimè tueri. *Quasi verò per publicum judicium, & Magistratus sententiam proximus tam lædi non possit, quàm per privatam vindictam. Itaq; non rectè læsionem proximi simpliciter judiciis publicis opponis.*

Ad ea, quæ sequuntur, ex dictis patet responsio. Ostendimus enim, non tantùm prohiberi à Christo, ne animo nocendi cupido vindictam per Magistra-

tum quæramus, sed ne eã quæramus simpliciter. Neq; *à Christo res eadem nunc probatur, nunc improbatur*, prout est animus illa utentis, *ut Meisnero visum est, qui ad hoc confirmandũ Apostolorum exemplum producit; quibus, ut ignem de cœlo in Samaritanos evocarent, ad imitationem Eliæ, nequaquam concessum fuit, utpote quia animum vindictæ & nocendi cupidum habuerint; & tamen hoc illos postea in Anania & Elyma fecisse asserit. Eliæ factum non merebatur adduci: Elias enim sub Lege vivebat, non sub Evangelica disciplina, quæ malo homini resistere, seu vim injustam, quam ille vel intulit, vel inferre velit, vi referre vetat, quod Lex non vetabat. Et sanè non erat, cur Apostoli, divina virtute non minùs quàm Elias armati, tot injurias tam patienter ferrent, si adversus hostes Dei & persecutores suos hunc spiritualem gladium stringere, iis non minùs quàm Eliæ licuisset. Alius omnino est Christi ejusq; servorum hac in parte spiritus; alius fuit Eliæ; quod etiam significare videtur Christus, cùm discipulos suos, istud Eliæ factum imitari volentes, reprehendens dicit:* Nescitis cujus spiritus vos sitis. Filius enim hominis non venit animas hominum perdere, sed servare. *quibus verbis non tantùm animum nocendi, sed etiam omnem noxam, quæ hominum vitæ inferri possit, longissimè à se suisq; removet, quod certè Elias non fecit. Adde, quòd Elias procul dubio instinctu divini spiritus hoc fecerit, non privato tantùm motu. Instigante autem spiritu sancto quidpiam fa-*

am facere, est Deo obsequi, qui non sibi ipsi leges dedit, sed nobis. Israëlitæ expiaverant olim Ægyptios, verùm quia id Dei jußu fecerant, non peccârunt. Quod verò ad Apostolos ipsos, Iacobum & Ioannem, qui Eliæ factum imitari volebant, attinet, ut demus, illos animum nocendi cupidum habuiße, non dubitamus tamen, Christum, quamvis optimo animo hac in parte præditi fuißent, id illis haudquaquam fuiße permißurum. Semper enim manet illa ratio: Filius hominis non venit animas hominum perdere, sed servare. *Quocunque verò animo ignis de cœlo evocatus in Samaritanos fuißet, certè illorum animas non servâßet, sed perdidißet.*

At fecerunt id Apostoli, *inquis*, in Anania & Elyma, *&c. Primùm, quod ad Ananiam attinet, (nam Elymas vitâ privatus non fuit, ideoq́ dicendum non est, idem factum fuiße in Elyma, quod Apostoli facere volebant in Samaritanos; quanquam nec simplex mors, qualis Ananiæ fuit, morti, quæ igni cœlitus delapso infertur, æquari planè debet) nullo pacto apparet, eum ab ipso Petro morte fuiße affectum. Tantùm enim legimus, illum à Petro graviter fuiße reprehensum, quod Spiritui sancto, quem in Apostolis præsentem conspiciebat, fucum facere, eumq́ fraude ac mendacio fallere voluerit. Interea dum reprehenditur, concidit mortuus. Quis non potiùs dicet, illum ab ipso Deo, seu spiritu divino, contra quem peccaverat, non verò à Petro, quem nulla in re offenderat, peremtum fuiße? Nam quod Petrus paulò pòst*

ipsius

ipſius uxori mortem denunciat, propter idem peccatum, cujus unà cum marito fuerat conſcia & particeps, hoc non arguit Petrum eſſe, qui hanc pœnam intulerit. Aliud enim eſt denunciare alicui malum, quod prophetæ facere ſolent; aliud, malum ipſum inferre, quod facere ſolet Deus. Facilè verò Petrus, quis Sapphiram exitus maneret, eodem illo ſpiritu, quo utriusque clandeſtinum factum exploraverat, cognoſcere poterat; ut omittam, idem peccatum in uxore eandem pœnam, quæ mariti fuit, exigere. Præterea factum hoc ad rem noſtram accommodatum non eſt. Agimus enim nunc de vindicta, quam is, qui privatâ injuriâ affectus eſt, quærit. Num *verò Petrus, etiamſi tandem concedamus, illius nutu hoc malum Ananiæ & uxori ejus contigiſſe, ulla tali injuria læſus fuit? num ſeipſum ultus eſt? Annon videmus pœnâ affectum fuiſſe Ananiam cum uxore? Ob cujus verò injuriam?* Non *ob injuriam in Petrum, ſed ob peccatum & mendacium in Deum. Aut ergo ipſe Deus per ſe Ananiam cum uxore pœnâ hâc affecit, aut per Petrum. Si prius, nihil hoc ad rem facit: ſin poſterius, neceſſe eſt, ut Petrus jus ad eam rem habuerit, & poteſtatem hâc pœnâ afficiendi ſibi à Deo conceſſam. nam & Paulus poteſtatem, quam in puniendis immorigeris habuerit, commemorare ſolet. 1. Cor. 4. 21. & 2. Cor. 10. 6, 8. & 13. ver. 2, 6, 10. quam etiam in hominem illum inceſtum apud Corinthios, itemq; in Hymenæum & Alexandrum exercuit. Si ergo Petrus jure ſuo, ac poteſtate ſibi à Deo conceſſa, tan-*

quam spiritualis quidam Magistratus usus est, nihil hoc ad vindictam privatæ injuriæ pertinet, quam quis per Magistratum quærit. Nec ideo hoc Petro licuit, quòd ab animo vindictæ & nocendi cupido abstinuerit: nam hac ratione & privatim injurias referre, eumq́; qui nos læsit, malo afficere, & quid non, per se liceret; sed quod jus ac facultatem à Deo sibi eam in rem concessam habuerit. idem de Pauli adversus Elymam Magum facto, quod de hoc Petri, dictum esto. Act. 13. 9, & seqq.

Membrum II.
An hominem interficere liceat, si aliter vis repelli non possit?

NEcessariam *defensionem hanc vocat Meisnerus, cùm quis vitæ suæ conservandæ necessitate adductus, alterum interficit; quam in privatam & publicam dividit. Privata est, quæ fit ab homine privato; publica, quæ à Magistratu per apertum bellum suscipitur.* Vtramque, *inquit*, Socinus Christi præceptis contrariam esse autumat, & de posteriori præcipuè verba facit. *Imò verò, Meisnere, de posteriori, quæ per Magistratum suscipitur, ne minimum quidem verbum facit Socinus, sed tantùm agit de priori, quæ fit à privatis hominibus, & hanc solùm Christi præceptis contrariam esse docet. Licèt enim bellum, seu hostium propulsationem cum ipsorum nece conjunctam improbet, & Christi præceptis contrariam esse dicat; non loquitur tamen de bello,*

seu hostium

ſeu hoſtium invadentium cæde, quam Magiſtratus ipſe, conductis eam in rem militibus conſervandæ Reipublicæ causâ peragit; ſed quam Chriſtiani homines ſua ſponte ſuſcipiunt, aut ad eam ſeſe conduci vel adhiberi ultrò ſinunt. Vnde nec in libro contra Palæologum à ſe edito jura Magiſtratus attingit, aut in dubium vocat, ſed tantùm de privatis hominibus, qui Chriſtiani ſint, quantum eis in defenſione vitæ ac fortunarum liceat, perpetuò diſputat. Itaque neceſſe non eſt, ut controverſiam de bello, quatenus ab ipſo Magiſtratu contra apertos Reipubicæ hoſtes geritur, tractemus, ſed ſufficit, ut quid privatis hominibus hac in parte, ſi verè Chriſtiani eſſe velint, liceat, videamus.

Placet verò nobis hîc Meiſneri modeſtia, qui contrariam Socino ſententiam ſecutus, non illam audacter & confidenter veram eſſe pronunciat, ſed tantùm videri vero conſentaneam dicit. Itaq; Meiſneri argumenta primò expendemus: deinde, an Socini argumenta ab eo ſoluta ſint, conſiderabimus. Argumenta autem non tantùm illa colligemus, quæ pro privata defenſione, cum cæde invaſoris conjuncta, nominatim attulit Meiſnerus, ſed illa etiam, quæ de publica defenſione, ſeu de bello agens adducit, ex quibus colligi poſſe videatur, licitum eſſe Chriſtianis hominibus, ut ſeſe ultrò militiæ bellicisq; cædibus immiſceant, ſeu operam ſuam ad cædendos hoſtes commodent.

I. Argumenta, quibus Meisnerus, privatam in propriæ vitæ defensione cædem licitam esse, docere conatur.

1. Argumentum sumtum est ab exemplo Abrahami, *qui cùm nullum Magistratum in terra Canaan gereret, ad vindicandum ex captivitate nepotem suum Lothum armavit familiam, raptoresq; insecutus, illorum cæde & strage Lothum & captivos omnes liberavit, &c. Respondeo* 1. *Abrahamum, cùm nec ulli Magistratui subjectus esset, & numerosam haberet familiam, jus Magistratus habuisse in suos. Vnde etiam Princeps Dei vocatus fuit.* 2. *Ex hoc Abrahami facto nullum firmum argumentum elici posse: cùm in illis mundi tyrociniis & rudimentis multa licuerint, quæ cum sanctissima Christi disciplina consistere non possint. Licuit, v. c. Abrahamo, cùm conjugem haberet Saram, Agari se miscere, & ex ea sobolem procreare. Licuit Iacobo plures habere conjuges, imò & concubinas: at Christianis quis id cōcessum esse putet? Quocirca nō omnia Abrahami, aut aliorum patriarcharum & virorum sanctorum, qui vel ante Legem, vel sub Lege vixerunt, facta pro norma & regula vitæ haberi debent; sed Christi ipsius & Apostolorum sanctissima tum vita, tum disciplina. Cogitet Meisnerus, num hoc vel Christus ipse, vel aliquis Apostolorum fecisset, quod Abrahamus fecit? Num armata manu, cum invasorum cæde, vel suam, vel alienam vitam atque* fortunas

fortunas tutatus fuiſſet? Atqui hos potiùs imitari convenit, quàm Abrahamum.

II. Ab approbatione divina, *de qua Exo. 22. 2. ubi is à ſanguinis reatu abſolvitur, qui furem in perfoſſione deprehenſum noctu & ante ſolis exortum ita mulctaverit, ut ex plagis moriatur. Hinc colligit Meiſnerus*, homicidium, quo fur aut graſſator noctu veniens, nobisq; inſidias ſtruens, ob neceſſariam familiæ propriiq; corporis defenſionem interficitur, divinæ voluntati nõ eſſe ſimpliciter cõtrarium. *Reſpondeo 1. in hac argumẽtatione eſſe ignorationem elenchi. Non enim nunc diſputamus, an tale homicidium ſit ſimpliciter, id eſt, omni tempore, & in quovis homine, divinæ voluntati contrarium: ſed an ſit contrarium illi divinæ voluntati, quam Deus per Chriſtum hominibus revelavit, ac proinde, an ſit in Chriſtianis hominibus contrarium.* At tale homicidium, *inquis*, non eſt ὄσιωδῶς, ſeu naturâ ſuâ malum. *Eſto: at nihilominus divina lege potuit prohiberi. Multa enim, quæ fortè naturâ ſuâ & per ſe mala non ſunt, certo tempore, & certis poſitis circumſtantiis, ſeu in certis perſonis, mala fiunt. Non enim, ut dici ſolet, omnia omnibus conveniunt, ſed eſt certa rerum, temporum, & perſonarum ſervanda ratio ac proportio. Non dedecuit in religione Moſaica opibus cumulandis incumbere, pœnam talionis urgere, epulis ac comeſſationibus animum exhilarare, ſplendidè veſtiri, ludicris in vita actionibus vacare, uxores multas pro cujusque facultatibus alere, eaſdemq;*

re, easdemq́; sine adulterii crimine, cùm libuit, permutare, imò & concubinas uxoribus adjungere, aliaq́; multa facere. At hæc omnia sublimis illa & cœlestis Christianorum vocatio repudiat, & inconcessa judicat. 2. Non agitur in hoc Legis testimonio de homicidio spontaneo, seu occidendi animo ac intentione perpetrato, de quali homicidio nos nunc agimus; sed tantùm de homicidio, quod ex percussione aut vulnere consecutum fuerit. quale homicidium potest etiam committi ab eo, qui animum occidendi non habuerit, sed tantùm se suosq́; defendendi, & furem aut graßatorem depellendi. Et tale homicidium in tali casu, quid mirum est, si capitis pœnâ vindicari noluerit Deus? Si verò hac lege permißum fuit, etiam occidendi intentione furem noctu ædes alienas perfodientem percutere, debet hæc lex, utpote nimis dura & rigida, à Christiano populo exulare. Ipse enim Meisnerus nonnisi in manifesto vitæ periculo homicidium seu animum occidendi concedit. At simplex fur, qualem Lex intelligit, nec vitæ nostræ, sed tantùm supellectili insidiatur, & sæpe multis aliis modis, quàm verberibus, nedum cæde, noctu depelli potest. Vnde etiam patet, ex mera impatientia, ira, & vindictæ studio id fieri, si quis in eum verberibus irruat, quem sine verberibus, sola voce in fugam poterat conjicere; quod similiter ab inculpata defensione abeße vult Meisnerus. Hinc ipse videre potest, legem istam non eße, ut putavit, ex naturæ principiis deductam, quaq́; proinde non minùs nunc Christianis, quàm

nis, quàm olim Iudæis, conveniat. Natura enim & recta ratio, communisq; charitatis lex non ſtatim furem noctu graſſantem jubet cædere, nedum occidere: ſed vel voce ac clamore depellere, vel collecta familia domeſtica, ſi adſit, quæ plerumque adeſt, aut etiam, ſi tempus, & locus, & res ſerat, vicinis in auxilium vocatis, comprehendere aut abigere. Ad quæ omnia lex iſta non reſpexit, ſed ſimpliciter furem noctu graſſantem verberibus vel ad mortem mulctare permiſit. Egregiè ſanè in hac lege obſervati fuerunt inculpatæ tutelæ termini ab ipſo Meiſnero poſiti! Lex duodecim Tabularum, quæ furem cum telo deprehenſum occidere permiſit, quam Meiſnerus ex Gellio cōmemorat, minus quàm iſta Moſaica rigoris habuit. Fur enim cum telo deprehenſus pejor eſt, quàm qui telum non habet. Qui enim cum telo venit, meritò præſumitur etiam in vitam aliorum graſſandi animum habere: quod de illo, qui ſine ullo telo, tantùm cum inſtrumento perfoſſorio venit, qualem Lex intellexit, præſumi meritò non poteſt.

3. Lex iſta, quocunque tandem modo accipiatur, forenſis eſt, nec ad Chriſtianum populum pertinet. Nam quod ait, hanc legem ex communibus naturæ principiis eſſe deductam, hoc & falſum eſt, & licèt verum eſſet, nullam vim haberet, quemadmodum in ſequenti argumento, à lege naturæ ducto, videbimus. Ait non legi in Evangelio ſpecialem hujus legis abrogationem, vel mandatum contrarium, & legem generalem de abrogatis legibus

forenſibus

forensibus suas habere limitationes. *At si ea limitatio legis istius generalis adhibenda esset, quam hic adhibet Meisnerus, nempe, si cujusque legis forensis specialis extet abrogatio, aut mandatum contrarium, profectò paucæ admodum, & vix una atque altera forenses leges abrogatæ censendæ essent. Annon ipsa Christianæ Reipublicæ, ut sic dicam, forma, quæ planè spiritualis est, ostendit, Christo cum legibus illis forensibus nihil esse commune:, et, si quædam retinendæ sint, istud non propterea fieri debeat, quòd aliquando à Deo latæ fuerint, sed quòd statui Christianorum secundùm carnem conveniant? quanquam interim videndum est, ne cum spirituali ipsorum statu, ejusq; analogia pugnent. Iudæorum reipublicæ hæc lex, de qua agimus, accommodata fuit. In illa enim republica unicè spectabatur tranquillitas, & securitas vitæ, ut cuique sua sine metu possidere liceret. At Christianæ Reipublicæ longè alius est finis, non opes, non divitiæ, non securitas carnis, sed conscientiæ primùm tranquillitas ac securitas, deinde sempiterna felicitas. Ad hunc verò finem consequendum nil confert in fures rebus nostris insidiantes tanta severitas, quin eidem potiùs obstat. Ex hac verò lege, præsertim si eâ furis occidendi intentio permissa censeatur fuisse, non tantùm patet, homicidium in casu necessariæ defensionis, sed etiam in casu, qui ad necessariam defensionem prorsus non pertineat, qualis est furis noctu in furto patrando deprehensio, non esse tale, ut divinæ voluntati, quâ scilicet aliquid impunè*

permittitur,

permittitur, prorsus sit adversum: Et tamen ipse Meisnerus agnoscit, homicidium extra necessariam vitæ defensionem esse per se & naturâ suâ malum, quemadmodum apparet ex iis conditionibus, quibus privatam defensionem cum cæde alterius conjunctam statim ab initio circumscripsit. Vnde, vel ipso Meisnero teste, patet, quasdam res à Deo olim concedi potuisse, quæ tamen non usquequaque recto ac bono naturâ suâ consentaneæ fuerint, nempe propter hominum imbecillitatem, & ne præceptorum perfectio felicitatis illius terrenæ perfectionem excederet. Quanquam, etiamsi furis occidendi, animum & intentionem lex ista non permisisset, sufficit quòd cædem illius omni pœna carere voluerit, ut inde, quod dicimus, concludamus. dum enim hac ratione nimium manus, si non animum, in cædem solvit, non usquequaque recto ac bono consuluit.

III. *Argumentum sumit Meisnerus* ex lege naturæ. *Ait*, cuivis animanti naturam insevisse vitæ appetitum, & studium illam conservandi; ex quo lex ista naturalis oriatur: vim vi repellere licet. *cujus exempla & à rebus inanimatis, ab Elementis, à corporibus mixtis, & ab animalibus accipit. Ciceronis etiam testimonium ex Orat: pro Milone in medium adducit. Respondeo. 1. Meritò dubitari potest, an vim injustam tali vi depellere, qua non tantùm vis injusta inhibetur, sed etiam vim facienti gravis noxa infertur, sit naturæ lex in hominibus mente & intellectu præditis. Aliter enim sese*

res

res habet in illis rebus, quæ vel anima, vel sensu, vel deniq; ratione destituta sunt; aliter in hominibus mente præditis. Illa tantùm naturæ suæ conservationem spectant: Homo autem unicè id, quod rectum ac honestum est, spectare debet, & illud vitæ suæ longè anteponere. Itaq; nisi Meisnerus ostendat, occidere graßatorem, cùm vitam propriam aliter tueri nequeas, nihil cum eo, quod rectum prorsus & honestum est, pugnare, frustra ad inditum cuivis animanti vitæ appetitum, ejusq; conservandæ studium confugit. Nam recta ratio, proinde natura hominum, injurias patienter ferre jubet, illudq; pulchrum prorsus & eximium putat. At quanta potest eße major injuriarum patientia, quàm injustam vim ulla vi noxia nolle repellere? Nonne ipsa rei pulchritudo, Meisnere, & eximium decus id à teipso expreßit, ut post hanc de privata defensione tractationem scriptum reliqueris: nos hoc modo (*cùm scilicet occidi malumus, quàm vitæ conservandæ causa alios occidere*) magis conformari Christo, ejusq; Apostolis & Martyribus: & in patiendo nullum esse peccati periculum, sed quò plura patiamur, eò majora præmia in cœlis ex Dei gratia nos consecuturos esse? 2. *Demus, hanc legem, qua vis injusta, vi & cæde graßatoris, cùm aliter vita defendi nequit, repellitur, eße naturæ hominum consentaneam: num idcirco etiam Christianorum hominum moribus & vocationi protinus erit consentanea?* Nonne, cùm *Christianorum felicitas non hujus vitæ terminis con-*

tineatur,

vineatur, ipsa ratio jubet, ne præsentem hanc vitam adeò ament, ejusq; cupidi sint, ut propter illius conservationem eripiant alteri vitam, in qua ipsius felicitas omnis sita sit, & qua erepta simul illi omnis ad æternam salutem & conversionem ad Deum aditus eripitur? Hinc tu ipse paulò pòst: Charitatem, inquis, nos ad hoc magis inclinare, ne proximus in peccato suo interficiatur, & æternùm pereat. Si Christianorum hominum conditio non omnes naturæ limites longissimè excederet, conveniret fortassis, ut legibus naturæ obsequerentur, &, si vitam suam aliter tueri non possent, vel cum cæde grassatoris eam defenderent. At nunc quid mirum est, hanc naturæ legem non valere in illis, qui longè ultra naturam spes suas extendunt, id est, cœlestem illam & gloriosam, ac in omne ævum durabilem vitam post mortem expectant? Quid magis natura hominibus insculpsit, quàm irasci, & odisse eos, qui sibi perniciem machinentur, quæ hunc in finem nobis affectus istos indidit? Et tamen frangere hunc naturæ impetum Christus jubet, illisq;, qui nobis pessimè volunt, optimè cupere, ac beneficia pro maleficiis reponere præcepit. Adde, quòd Christiani homines peculiariter sint Deo curæ, & ab angelis Dei custodiantur, sic, ut ne pilus quidem de capitibus eorum sine Dei nutu cadere queat, nedum ut illis à quoquam vita eripi possit. Unde consequi videtur, illos propter vitæ conservationem eousq; progredi non debere, ut alterius vitam appetant, cùm Deus, si vitam illorum ser-

vare

vare voluerit, alios, citra hanc tam duram & truculentam rationem, modos facilè sit reperturus. Itaq; in periculis constituti Deo vitam suam commendare debent, & circumspicere, si qua innoxia ratione elabi, & vim intentatam avertere queant: si nequeant, Dei auxilium opemq; expectent, & ipsius divinæ providentiæ penitus sese permittant: Novit enim Dominus pios ex tentatione eripere, injustos autem in diem judicii puniendos servare. *Ex quibus omnibus patet, quid ad Meisneri argumentum, quod ex superiùs dictis nectit, responderi debeat.* Quicquid, *inquit*, cum lege naturæ congruit, non est peccatum, nec divinæ voluntati simpliciter adversum. quoniam lex naturæ ab ipso Deo suam habet originem. Sed tueri vitam suam per grassatoris occisionem, si nullum aliud suppetit medium, congruit cum lege naturæ. Ergo. *Major falsa est: cùm legem naturæ abrogare possit lex religionis. Nec refert, quòd lex naturæ suam ab ipso Deo habeat originem. Deo enim leges à se latas, novis & melioribus legibus abrogare liberum est. Quàm multa olim Deus sub Lege libera esse voluit, imò etiam præcepit, quæ nunc prohibita esse cernimus? De Minori jam à nobis actum est.*

IV. *argumentum* à Magistratus concessione, *exigui prorsus est momenti. Non enim spectandum est, quid Magistratus nobis concedat, quidvé non concedat, sed quid Deus & Christiana Religio.*

Magistratus enim Dei minister est, nec quidquam Deo vel adversum concedere, vel acceptum prohibere jure potest. Et idcirco etiam Meisnerus ex hac concessione Magistratus non simpliciter concludit, hominem in casu defensionis necessariæ occidere peccatum non esse, quod concludere debebat; sed tantùm, istud pro vindicta privata habendum & damnandum non esse, quod neq; nos dicimus. Non enim Socinus eo nomine cædem istam damnat, quòd privatæ vindictæ rationem habeat; sed simpliciter, quòd cum Christi præceptis & Religionis Christianæ analogia pugnet.

V. A defectu interdicti divini. *Ad hoc argumentum respondebimus, cùm Socini argumenta, quibus suam sententiam confirmat, expendemus:* Credibile, *inquit,* non est, Christum prohibuisse defensionem in casu necessitatis, quia non venit ut tolleret politias, & immutaret leges naturæ. *At quis nostrûm dicit, Christum prohibuisse defensionem, idq; in casu necessitatis, hoc est, cum vita versatur in discrimine? De cæde loquimur alterius, non de propria defensione, quæ sæpe sine alterius cæde potest perfici. Num verò idcirco politias tollere dicendus erit Christus, quia politicam istam legem, qua cæde alterius propriam vitam redimimus, sustulerit? Quin potiùs maximè florerent politiæ, si homines mores suos ad Christi leges conformarent, & adeò ab humanis cædibus abstinerent, ut se potiùs occidi, quàm alios occidere, ne occiderentur i-*

psi, mallent. De immutatione legum naturæ, in superiori argumento jam diximus. De illa verò lege Mosaica, qua fur nocturnus impunè occidi permittitur, quam hîc quoq; commemorat Meisnerus, & nullum in N. T. illius abrogatæ extare indicium aßerit, egimus in secundo argumento. Verba Christi Matth. 5. 39. ad quæ Meisnerus hîc respondet, à nobis ad hoc, quo de nunc agimus, comprobandum non adhibentur: licèt ea, quæ Meisnerus respondet, nullius sint roboris. Ait enim, sententiæ suæ contrarium non esse, quòd Christus resistere malo prohibuerit, cùm & Iudæis data fuerit lex de non vindicando, Lev. 19. 18. casus tamen necessariæ defensionis fuerit exceptus. *Atqui jam antè ostendimus, novum hîc à Christo præceptum tradi, seu id ab eo prohiberi, quod in lege Mosaica licitum fuit, neq; hoc præceptum cum illo Mosaico, de non vindicando, quod citat Meisnerus, confundendum eße. Adde, quòd non sequatur si casus neceßariæ defensionis in Lege fuerit exceptus, eum in Evangelio similiter excipi debere. Licèt autem verum sit, Christum in exemplis quæ adducit, sermonem non facere de vitæ periculo, sed de levioribus injuriis, quod secundo loco respondet Meisnerus: hinc tamen apparet, quantopere abhorrere debeamus à tali defensione, quâ malum nocere volenti infertur, vel illi, qui nocuit, refertur, sive istud privato fiat arbitrio, sive re ad Magistratum delata, sive ex impatientia & cum charitatis jactura, sive secùs, ut Meisnero videtur, qui nobis hîc*

bis hîc

bis hîc fingit hominem nil nisi charitatem spirantem, & tamen à Magistratu ultionem injuriarum suarum exposcentem. An verò hoc Christi praeceptum in casu necessariae defensionis, seu cùm vita periclitatur, relaxari debeat, ex exemplis à Christo allatis non videtur esse colligendum. Exempla enim universalem regulam non restringunt, sed tantùm illustrant. *Simpliciter Christus prohibuit, ne malo, nempe per illationem mali, resistamus, ut ex scopo Christi, & praecepto illo Mosaico, cui suum opponit, manifestum est. Nam etiamsi videri posset, debuisse Christum potiùs earum rerum exemplum afferre, quae vitae periculum incutiunt, siquidem volebat, ne tùm etiam, cùm in discrimine vita nostra versatur, malo resistamus, quarumque rerum si exemplum attulisset, facilè ex illarum tolerantia de levioribus fuisset judicium: responderi tamen potest, non defuisse Christo causas, cur maluerit leviorum injuriarum exempla proponere, sive quòd videret altioris disciplinae nondum esse capaces auditorum animos, quibus etiam talium rerum patientiam sibi praecipi durum accidebat & insolitum; velletque paulatim à levioribus incipiendo ad graviorum injuriarum tolerantiam discipulos instituere, quam postea uberior Christi cognitio animis eorum facilè subjiceret: sive quòd mallet earum rerum exemplum afferre, quae magis in vita communi versantur, crebriusque solent accidere: sive aliud aliquid, ut ista potiùs commemoraret, Christum induxerit.* At necessitas legem non habet, *inquit*

Imò verò neceſſitas iſta, cùm de vitæ defenſione agitur, legem habet, præſertim in Chriſtianis hominibus, quibus non tam quid vitæ conducat, quàm quid eorum vocationi conveniat, ſpectandum eſt. Quæ hîc de lege naturæ, ejusq́; uſu vel abuſu diſſeris, ad ea in examinatione tertii argumenti reſpondimus. Illud hîc addis, legem naturæ vocari veritatem Dei *Rom. 1. 25.* opus Legis ſcriptum in cordibus, *Rom 2. 15. Quod ad priorem locum attinet, nec lex naturæ veritas Dei vocatur, nec veritas Dei lex naturæ. Per veritatem enim Dei iſto loco intelligitur vera Dei cognitio, ſeu mavis veritas, quæ de Deo eſt, deq́; ejus æterna potentia, & ſublimi in cuncta imperio. Hanc enim in mendacio commutarunt profanæ illæ Gentes, de quibus loquitur Apoſtolus, id eſt, pro ea mendacium amplexæ ſunt: quod qua ratione factum fuerit, ſtatim explicat, dum nimirum viliſſimas imagines loco veri Dei, creaturam præter creatorem, cultu ac ſervitio veneratæ ſunt. Quid verò huc pertinet lex iſta naturæ, qua cum invaſoris cæde vitam noſtram tueri jubemur? Num hanc legem ulli unquam homines mutarunt in contrarium, quam ne nunc quidem Religio Chriſtiana penitus ex animis noſtris poteſt eradere? In altero verò loco, non lex naturæ dicitur eſſe opus Legis ſcriptum in cordibus, ſed contrà potiùs, opus Legis, ſeu id, quod divina lex jubet ac præcipit, naturæ lex eſſe dicitur, id eſt, ipſam naturam ea, quæ recta & honeſta ſunt, qualia quidem lex divina præcipit, hominibus dictare. Quæ colopho-*

nis loco à te adduntur, ea jam antè attigimus, eo excepto, quod primo loco dicis, ideo nonnunquam etiam melius eſſe permittere ſe potiùs occidi, quàm occidere, quia ſæpius periculum eſt, ne ira vel odium ſe admiſceant, néve modum excedamus, & ſic, dum ſervare volumus vitam corporis, vitam perdamus animæ. *Si, Meiſnere, iram omnem & odium erga invaſorem vitæ tollis, non video, cur locum illius occidendi relinquas: cùm natura iram & odium hominibus non in ullam rem magis, quàm in tales homines indiderit, & videamus animalia omnia, à quibus te antea exemplum capere audivimus, irâ & odio adverſus ſibi noxia effervescere. Quodſi iraſci, ſi odiſse invaſorem ſit nefas, non video, quî eum occidere ſit licitum? cùm illud multò ſit minùs quàm hoc, & illud hujus ſit medium, hoc verò finis illius.* Nam ſi *dicas, vitæ ſervandæ cauſâ invaſorem occidi: dicam & ego, vitæ conſervandæ cauſa, licere illi iraſci, illumq; odiſse. Aut igitur, Meiſnere, unà cum ira & odio tolle invaſoris cædem, aut hac conceſſâ, & illam concede. quod tamen non ita accipi volo, quaſi negem poſſe etiam ſine ira & odio cædem peragi: ſed ut oſtendam fas eſſe iraſci & odiſſe eum, quem fas ſit occidere, & ſi iraſci, ſi odiſſe quenquam ſit nefas, ne occidere quidem quenquam licere.*

II. Argumenta Meiſneri, quibus Chriſtianis hominibus militandi bellandiq; licentiam aſſerere conatur.

TRansit Meisnerus ad quæstionem de publica defensione, quæ fiat per bella. Verùm cùm, ut ab initio diximus, non ea fuerit mens Socini, Magistratui jus belligerandi, seu bello suos, si aliter fieri nequeat, defendendi adimere, sed tantùm quid Christianis privatim hac in parte liceat, vel non liceat, ostendere, propterea nos ad illa tantùm argumenta hîc respondebimus, quibus privatim Christianis ultrò ad bellum eundi & hostes occidendi facultas ac licentia vindicatur. Immeritò autem prorsus Socini verba, quibus pag. 25. conqueritur, quòd Evangelici tùm potissimùm humanum sanguinem fundere populo Christiano permittant, vel potiùs præcipiant, cùm maximè verè Christiani proprium, non alienum sanguinem fundere (non carnalibus sed spiritualibus armis præliando) parati esse debent, hoc est, cùm veritatis hostes nolunt permittere, ut Deum & Christum purè colant: hæc, inquam, Socini verba immeritò prorsus eò detorquet Meisnerus, acsi in illis improbet & reprehendat bella, quæ à Magistratu ipso suscipiantur ac gerantur: cùm Socinus planè respexerit ad ea bella, quæ ab Evangelicis contra ipsum Magistratum ea de causa, quòd illis Deum & Christum purè & secundùm eorum conscientiam colere non permittat, suscipiuntur. Quis enim adhuc Evangelicos in exercenda religione impedivit, præterquam proprius illorum Magistratus? Contra quem Evangelici toties bella in variis regnis & provinciis gesserunt, nisi contra Magistratum?

gistratum? quam maximè ob causam, nisi propter vim conscientiis suis illatam? Atqui hîc planè locus & tempus erat Christianam patientiam, modestiam, fidem, spem, non verò militarem illam fortitudinem ostendendi. Atque utinā hanc viam ingreßi fuißent Evangelici! multò nunc & orbem pacatiorem, & ecclesiam florentiorem haberemus. Primi illi Christiani, num geßerunt contra Magistratum bella, num adversus eum unquam conspirârunt, licèt gravißimis & crudelissimis persecutionibus urgerentur, nec ullus finis ac modus cædium eßet? Num verò crudelitas vicit patientiam? Annon magis invicta suis spiritualibus armis præliando stetit Ecclesia, quàm si totum orbem bellis ac seditionibus replevißet? Nonne vivit Deus, regum omnium rector ac dominus, qui corda regum flectere, &, cùm illi visum fuerit, persecutioni ac cædibus suorum finem imponere novit, & tandem efficere, ut reges terrarum gloriam suam ac decus in Ecclesiam inferant, & quam antehac viribus suis & potentiâ oppugnabant, postmodum protegant atque defendant.

I. *Argumentum* à lege naturæ, vim vi repellendam esse in casu necessitatis. *Hinc argumentatur:* si grassatorem privatum interficere licet, multò magis hosti publico vi & armis resistere. *Respondeo, hoc argumentum, si concludit de bello contra publicum hostem ab ipso Magistratu suscepto, nihil adversum nos concludere: si de bello, cui sese privati homines ultrò & sua sponte immiscent,*

nihil prorsus concludere. Nam *& antecedens à Meisnero probatum non fuit, & alia est ratio ejus, qui vitæ tuendæ necessitate pressus grassatorem interficit: alia illius, qui nulla cogente necessitate cædendis hostibus operam navat.*

II. à legibus divinis & cælitus latis de modo belligerandi. *Hinc concludit,* bellum gerere ὁσιωδῶς malum & charitati contrarium non esse. *Hoc argumentum eadem belligerandi distinctione tolli potest, quâ superius. Deinde laborat ignoratione elenchi. Non enim nunc disputamus, an bellum sit naturâ suâ malum; sed an Christianis hominibus sit malum & inconveniens. Tertiò falsum est, non posse Deum modum & rationem tradere etiam illius rei, quæ suâ naturâ non est prorsus bona, cujus rei exemplum habemus in divertio, quod Christus extra adulterii crimen planè improbat, lex autem Mosaica propter duritiem illius populi & permittebat, & modum etiam illius peragendi tradebat. Quartò etiam præcipere ac jubere interdum aliquid Deus potest, quod nisi ipse, utpote jus absolutæ dominationis in omnia habens, juberet, vel saltem permitteret, naturâ suâ malum, & charitati, imò etiam justitiæ adversum esset. Præceperat olim Deus Israëlitis, ut auro & argento Ægyptios emungerent, modum etiam ac rationem docuit. Præceperat, ut ad rem propositam propiùs accedamus, hostes ad internecionem usque, ne infantibus quidem parcendo, delere. Num hoc putas Christianæ charitati & religioni*

consenta-

conſentaneum, naturâq́ ſuâ ab ea nō diſſidere? Nimirum alia tùm erant tempora, alii homines, alius illorum ſtatus, alia religio. Delere volebat Deus Palæſtinæ, quam Iſraëlitis poßidendam dabat, incolas, propter eorum gravißima maximaq́ peccata: delere autem volebat ipſorum Iſraëlitarum operâ, ideoq́, & ut bella adverſus eos gererent, præcepit, & belligerandi etiam modum tradidit. Verùm quam terram per Chriſtum hominibus poßidendam, quos incolas exterminandos dedit Deus? Annon omnes æquè homines ad capeßendum cœleſte illud regnum vocavit, & inter ſe perpetuo fœdere, per Chriſti ſanguinem ſancito, devinxit?

III. *Ex dicto Eccleſiaſtæ cap. 3. 8.* eſt tempus dilectionis & odii, tempus belli & tempus pacis. *Hinc ſimiliter concludit,* bella gerere non eſſe ſimpliciter malum & contra dilectionem proximi. Tum enim nullum foret præliandi tempus, adeoq́; falſum ſcripſiſſet Eccleſiaſtes. *Miror Meiſnerum non vidiße, ex hoc argumento, ſi rectè concluſum eſt, ſimul fluere odium erga proximum aut ſimpliciter malum & dilectioni contrarium non eße, quod contradictionem implicat, & Meiſnerus ipſe omnino odium erga proximum ex animis Chriſtianorum ſublatum vult; aut falſum ſcripſiße Eccleſiaſtem, quod ſimiliter abſurdum Meiſnero videtur. Nonne vidit Meiſnerus, etiam ipſa tempora ſuum habere tempus, ut ſic dicam, & Eccleſiaſten, cùm dicit eße tempus odii, tempus belli, de ſuis loqui tempori-*

bus, quibus hostem odio prosequi, & bello persequi licebat, imò etiam præceptum erat. adde, quòd nulla sit consequentia, ideo, quòd tempus alicujus rei esse dicatur, eam non esse naturâ suâ malam, sed per se licitam vel indifferentem: cùm, ut ab initio capitis dixit Ecclesiastes, omni voluntati sub cœlis, ac proinde & rerum malarum voluntati, tempus sit. Idcirco etiam Meisnerus terminos mutavit, & non simpliciter ex eo, quòd tempus bellandi esse dicatur, argumentum ducit, sed Ecclesiasten tempus bellandi esse debere *dicentem facit, quod falsum est.* Num *ergo & occidendi & saltandi tempus aliquod esse debet, quandoquidem etiam hæc inter ea, quorum tempus esse dicit, enumerat?*

IV. *Sumtum est* ab exemplis Sanctorum in Veteri Testamento. *Primo loco commemorat* Abrahamum pro Lotho vindicando præliantem; *deinde* bella sub duce Iosua, Gedeone, Davide, aliisq; judicibus & regibus; Davidem etiam Deo artem præliandi adscribere, *Heb. 11. 34.* dici, multos per fidem fortes in bello factos esse, ut hinc appareat legitima prælia esse quædam veræ fidei exercitia. *Ad Abrahami exemplum jam antè respondimus. Idem de bellis sub ducibus istis, quos Meisnerus commemorat, dicimus, nempe, Christianos non debere in omnibus rebus vitæ exempla capere ab illis, qui vel ante Legem, vel sub Lege vixerunt. alia nunc fluunt tempora, quàm olim; & alios homines, alios mores desiderant.* Non *violabant*

labant illi charitatis legem erga proximum, cùm bella gererent, & hostes suos perimerent, quia ne in numerum quidem proximorum lex hostes retulerat. Artem præliandi David adscribit Deo, nempe quia tùm per eum Deus volebat hostes populi sui domare, eosq; Davidis pedibus subjicere. At idem velle etiam nunc Deum, ut à Christianis hominibus fiat, quo argumento docebit Meisnerus? Quosdam per fidem fortes in bello fuiße factos, similiter ad illa tempora, quibus bella gerere conceßum & imperatum fuerat, pertinet, ideoq; dicendum non erat, legitima prælia esse, *sed tantùm* fuisse *quædam fidei exercitia. Nunc aliis in rebus exercenda fides est: nec illius effecta sunt fortitudo militaris, ut olim, sed spiritualis & Christiana, quâ non alteri vitam eripimus, sed nostram, si sit opus, profundimus.*

V. Ab approbatione Iohannis Baptistæ, quòd militiam non dissuaserit, sed tantùm æquitatem & αὐτάρκειαν militibus inculcaverit. *Respondeo, Iohannem Baptistam non fuiße perfectum Christianæ pietatis magistrum, sed Christum. Rudimenta tantùm quædam Christianæ doctrinæ, quemadmodum præcursori conveniebat, tradebat Iohannes, non ipsum cœlestis illius sapientiæ cumulum. Et ideo non ipse dicitur fuiße lux illa mundi vera, quæ illuminat omnem hominem, sed confertur tantùm cum lucerna ardente & lucente, cujus lumen ad solis illius, qui in Christi doctrina radiabat, exortum evanuerit. Hinc etiam minimus in Regno cœlorum,*

id est.

id est, in Christi ecclesia dicitur esse major Iohanne Baptista. Quid ergo mirum est, quòd nondum perfecta Christianæ pietatis præcepta tradiderit, sed infra perfectionis illorum apicem substiterit? Imò aliter fieri nec potuit, nec debuit. At non rectè, *inquis,* informasset hos milites salutis æternæ cupidos. *Imò verò rectissimè, licèt non sufficienter, quippe qui perfectiorem pietatis magistrum mox adfore nunciaverit, & ad illum discipulos suos pleniùs instruendos remiserit. Hinc apparet, quàm immeritò dicas, Baptistam à nobis manifestè argui, quòd milites istos non fideliter, vel rectè informaverit. Nam & fideliter & rectè illos informavit. Fideliter quidem, quia quantum noverat, tantum illos docuerat. Rectè verò, quia nihil in hac illius doctrina parvum erat, licèt prorsus sufficiens & exacta non esset. quanquam si verba Iohannis tam latè, ut sonant, accipiantur, sanè cùm neminem illos concutere jubet, bello iis interdicit. & profectò nihil prohibet, quominus spiritum sanctum Iohannis verba moderantem huc tacitè collimasse dicamus. Vt omittam, non omnia, etiam quæ scimus ac novimus, quovis tempore, quamvis alioquin ad salutem necessaria, discipulis proponenda esse, sed eorum primùm captui ac viribus accommodata. Idcirco & Christus vinum novum in utres veteres infundi vetat, & ipse id observavit, qui ne Apostolis quidem suis omnia statim dixerit. Imò ne illud quidem, se Christum esse, statim ab initio Evangelii palàm & apertè docuit, ipsosq; suos discipulos maluit id*
primùm

primùm ex rebus ipſis, & divinis, quæ ſpectabant, operibus, proprio judico colligere, quàm ex verbis ſuis ac profeſſione cognoſcere. Itaq; etiamſi tandem Baptiſtæ compertum fuiſset, illicitam eſſe militiam, conſultum tamen haud erat, increbreſcente primùm Evangelica luce militiam apertè damnare: ſed expectanda potiùs erat plenior illa lux in Chriſto refulgens, quæ non difficulter hominum animis perfectioris pietatis præcepta infunderet. Neq; contrarietas aliqua inter Chriſti & Iohannis Baptiſtæ doctrinam, ut tu putas, hac ratione fingitur, ſed tantùm inter utramq; ea quæ eſt perfecti ab imperfecto diverſitas conſtituitur. Parva lux magnæ luci contraria non eſt: Sic neq; Baptiſtæ diſciplina, quæ inſtar parvæ lucis fuit, Chriſti diſciplinæ, quæ lucidiſſimo ſoli reſpondet, propter imperfectionem ſuam adverſatur.

VI. *Ratio ex Chriſti dicto Math. 26. 52.* Omnes, qui gladium acceperint, gladio peribunt. Quæ verba, *inquit,* non tam narrationem, quid ſoleat fieri, quàm ad probationem, quid jure & per juſtum Dei judicium fiat, hoc eſt, pœnæ divinitus immittendæ denunciationem continent, adeoq; innuitur, jure illos interfici, qui aliorum vitæ inſidiantur, juxta legem antiquiſſimam Gen. 9. 6. à Chriſto hic confirmatam. *Sit ita ſanè, quid hinc concludis Meiſnere?* Chriſti ſententiam eſſe, licere hoſtibus, qui gladium accipiunt, & alios occidere cogitant, auctoritate publica reſiſtere, ut ſic

rurſus

rursus humano gladio pereant? *At primùm quæ vel minima mentio est in Christi verbis publicæ auctoritatis? nonne simpliciter pœnæ homicidii denunciationem continent, sive ea Magistratus auctoritate fiat, sive minùs? nonne ipse statuis,* pœnæ divinitus immittendæ denunciationem *illis cõtineri? At pœna divinitus non minùs per alium quemvis, quàm per Magistratum irrogari potest.* Sed Christus hîc, *inquis,* cõnfirmat legem illam antiquissimam Gen. 9. 6. ubi dicit Deus: Qui humanum sangvinem effuderit, hujus sangvis per hominem fundetur. *Vt demus, Christum ad hanc legem respicere, num in hac quoq; lege quidquam de publica Magistratus auctoritate scriptum extat? an homicidæ sangvis per hominem non funditur, cùm ab alio aliquo homicida, quod frequentissimè accidere videmus, funditur? At, inquis,* jure, & per justum judicium Dei id fieri debet. *Rectè sanè. Iure etiam & justo Dei judicio homicidam perimit homicida, licèt hoc jus non respectu ejus, qui homicidam occidit, considerandum sit, (nam hactenus summa est injuria,) sed respectu peccati, quo, ut occideretur, homicida meritus est, & Dei, qui malos homines per malos punit, & ipsorum peccatis ad punienda peccata sapienti suô consilio utitur. Nihil prorsus apparet, Deum in antiqua ista lege ad publicam Magistratus auctoritatem, quâ cædes cædibus vindicari debeant, respexisse; aut illam hoc dicto instituisse, & armasse: quin potiùs apertè videtur Deus seipsum homicidii*

vindicem

vindicem & ultorem, licèt hominis alicujus mali operâ in eo communiter uti velit, tùm temporis constituiße, quemadmodum etiam ibidem vindicem seipsum constituit in bestiam, quæ hominem occidißet. Ait enim: Profectò sangvinem vestrum, animarum vestrarum requiram, de manu omnis bestiæ requiram eum, & de manu hominis, de manu viri Fratris ejus requiram animam hominis. Effundens sangvinem hominis, per hominem sangvis ejus effundetur. *Licèt enim postea Deus Magistratum in populo suo instituerit, & ei jus gladii in homicidas dederit, bestiam etiam, quæ hominem occiderit, necari jußerit, tamen hoc ad ista tempora, quibus antiquissimam hanc legem promulgavit, trahendum non est, quod & res ipsa indicat. Quis enim in illo principio renascentis orbis, & inter aliquot tantùm homines Magistratui locus erat, & tamen etiam tùm lex ista locum habuit, vigereq; debuit? Vt verò demus, cuivis homini hîc à Deo jus dari in necem homicidæ, quemadmodum viris quibusdam eruditis visum est, quid hinc concludit Meisnerus, qui ne ipse quidem hoc jus adhuc vigere conceßurus est? Verùm hoc etiam largiamur, Deum hac lege Magistratum instituere, & illi jus homicidas necandi tradere: num idcirco etiam Christiano homini verè pio ac sancto licebit operam suam ea in re Magistratui commodare, & ejus ministrum agere? Tumne etiam, cùm alii eße poßunt, tu, qui non profeßione tantùm, sed etiam vita ac moribus Christianus eße*

nus esse vis, & ad cœlum unicè contendis, in partes succedes, & humano sanguine manus tuas fœdabis? Profectò si istius divini dicti is est sensus, quem Meisnerus vult, non tantùm licitum erit hostes, seu quosvis gladium accipientes occidere, & gladium vicissim in illos stringere, sed etiam, ut huic divinæ legi sua veritas & auctoritas constet, istud sine scelere & peccato intermitti non poterit. & sic non licebit nobis nostrũ potiùs jugulum præbere, quàm hostilem petere. qua in re ne Meisnerus quidem negare audet summum innocentiæ & sanctitatis apicem esse positum.

Quærere hic libet ex Meisnero, quandoquidem Christo in his verbis cum Petro pro ipsius vita pugnanti res est, quanam in re Petrus, Christi Domini ac Magistri sui vitam gladio defendere volens, transgressus fuerit leges, quas Meisnerus ipse ponit necessariæ defensionis, quam usque ad cædem progredi sine peccato posse putat? Nam primò vis erat subita, nec videbat Petrus, quo pacto posset vitam Domini & Magistri sui alia ulla ratione servare. Secundò vis erat manifesta, & in Domini vitam prorsus intentata, nec aliud ullum auxilium præstò esse cernebat Petrus, quàm quod in se sociisq; suis, quibus fortitudine animi & exemplo præire voluit, situm esse putabat. Tertiò moderamen inculpatæ tutelæ etiam servavit. Nam primò in continenti facta est, non ex intervallo. Secundò animo defendendi Dominum proculdubio facta est, non ex impatientia & vindictæ studio, alioquin enim Dominus, qui animas hominum noverat.

rat, non simpliciter, quòd gladium strinxisset, sed quòd malo & vindictæ cupido animo strinxisset, Petrum reprehendisset. Tertiò proportio etiam instrumentorum fuit. Nam & illi armati Christum aggressi fuerant. Quartò non statim occidit Petrus, sed tantùm vulnus intulit. Denique non primò intendit procul dubio occisionem proximi, (quanquam hæc conditio cum secunda prorsus videtur convenire) sed tantùm defensionem vitæ & incolumitatis Domini ac Magistri sui. Quî fit igitur, Meisnere, quòd Dominus eum reprehenderit, &, te judice, severam illam & antiquam legem in homicidas latam in eum strinxerit? Num plus Petro licuisse dices in defensione propriæ vitæ, quàm in defensione vitæ Domini & Magistri sui, cujus vita Petro erat propria vita omni jure meritoq; longè carior? Nonne famulus & discipulus, tanti præsertim Magistri, omni officio obstrictus fuit, vitam suam pro Domini & Magistri sui vita profundere? Nam si tanta nos invicem charitate præditi esse debemus, ut alter pro altero animam ponere parati simus, quanto magis charitatem istam Petrus Christo debuit? Quocirca, si licet in defensione propriæ vitæ his conditionibus, quas tu recenses, observatis invasorem occidere, multò magis licebit id facere in defensione illius, cui vitam nostram debemus, & pro quo illam ponere omni jure obstringimur. Si licuit Abrahamo, ut nepotem suum defenderet, in reges ipsos exercitum armare, quod tu imitari nos posse affirmas, cur non licuerit Petro pro Christo

gladium distringere? Dices, non opus fuisse in invasores istos gladium stringere, quia Christus, si voluisset, alia ratione manus illorum ac vitæ discrimen effugere potuisset; imò nec debuisse istud fieri, quandoquidem Deus omnino constituisset, ut Christus impiorum potestati permitteretur, quod utrumque etiam ipse Christus Petrum reprehendens significavit. Sed primùm non erat spectandum Petro, quid ipse Christus facere posset, sed quid ille suo Domino ac Magistro deberet, præsertim cùm nesciret, an ille ipsius operâ vitam suam tueri ac defendi nollet. Et licèt Christus potuerit vitam suam sine cæde & sanguine invasorum tueri, at Petrus illam aliter tueri non potuit, cùm tamen tueri, famuli & discipuli officio, obstrictus esset. Num verò, si propriæ vitæ causa occidere invasorem licitum est, Petrus Christi vitæ defendendæ causâ, cùm videret se eam aliter tueri non posse, gladium in invasores stringens, meritus fuit ut in homicidarum numerum à Christo referretur, & gladio vicissim plectend⁹ pronunciaretur? Adde, quòd etiam Christiani homines, si debeant evadere, alia ratione, quàm per invasoris cædem, evadere semper possint. Eadem enim illa ratio in Christi fidelibus locum perpetuò habet, propter quam Christus vitæ suæ defendendæ causâ districto gladio non indiguit. Num eædem illæ angelorum legiones pro illorum salute, quoties opus est, & quandiu illam incolumem præstare vult Deus, non excubant? At Christus omnino rapi & occidi ex Dei decreto immutabili debuit. Verùm

ne hoc

ne hoc quidem Petro certum & exploratum erat: & si in hoc solo deliquißet, erroris tantùm à Christo accusari debuit, non verò homicidii crimine damnari. Num si quis divini decreti ignarus, quo ut ab invasore pereat destinatus est, distringit gladium, & vim vi repellere conatur, idcirco homicidii reus erit, secundùm placita tua Meisnere? Adhuc fortaße dices, istos, in quos gladium strinxerit pro Christo Petrus, non fuiße invasores, sed Magistratus legitimi famulos, contra quos vi uti non licuerit. At primùm non injuriâ quæri poßet, an Sacerdotes & seniores populi, Romano præsidi tùm subjecti, jus habuerint cujusquam quem facinorosum eße crederent capiendi? Cur enim non & morte plectendi jus habuerint? quod tamen sibi in Christo neci tradendo haud fuiße ipsimet faßi sunt. Deinde, ut hoc jus illis concedamus, unde id scire poterat Petrus, istos Magistratus autoritate ad Christum capiendum venire, & non facinorosorum hominum, qui in Christi vitam conspiraverint, catervam eße? & cur Christus non potiùs monuit Petrum, istos eße Magistratus famulos & publicæ autoritate mißos, ideoq́ adversum illos pugnandum nõ eße? Imò verò idem planè responsi à Christo audivißet Petrus, etiamsi non in publicos Magistratus ministros, sed in privatam graßatorum manum ferrum pro Christo strinxißet. Præterea quod jus Magistratus iste habere potuit ad hominem innocentißimum capiendum & occidendum? Profectò Magistratus in hoc negotio non Magistratus officium geßit, sed ini-

 quißimi

quiſſimi tyranni perſonam ſuſtinuit. Num verò contra tales defenſionem ipſi non conceditis? Adde, quòd Chriſtus, utpote Dei ipſius unicus Filius, omniumq́; Dominus ac hæres futurus, Magiſtratui, qui Dei miniſter eſt, verè ſubjectus non fuerit, præſertim ita, ut Chriſti capiendi & invadendi ullum jus habuerit. Quodſi ergo factum iſtud Petri, licèt intra omnes neceſſariæ defenſionis cancellos à Meiſnero poſitos ſteterit, & tale fuerit, ut nulla honeſtior ac juſtior pugnandi cauſa excogitari poſſe videatur, nihilominus homicidii à Chriſto damnatur: quæ tandem cauſa ab homicidii crimine abſolvere poterit privatum hominem, ferro in ullius vitam graſſantem?

VII. Ab exemplo centurionis in Capernaum, qui poſt ſuſceptum Chriſtianiſmum Matth. 8. ver. 10. manſerit centurio, quia non legatur, vel ipſum ſponte mutâſſe primum genus vitæ, vel Chriſtum, ut mutaret, ſuaſiſſe. *Vt omittam, à teſtimonio negato non valere conſequentiam, dico primùm, aliud eſſe credere Chriſtum poſſe aliquod miraculum facere, quod de centurione iſto legitur; aliud Chriſtianiſmum ſuſcipere, hoc eſt, Chriſti diſcipulum & ſectatorem fieri, quod de eo non legitur. Illud quidem hominem ducit ad hoc poſterius: ſed tamen hoc illo multò majus eſt et perfectius. Num putas, omnes, qui illud crediderunt, protinus etiam Chriſti factos fuiſſe diſcipulos, præſertim ethnicos, è quorum numero centurionem hunc fuiſſe, ex Luc. cap. 7. ver. 5. conſtat? Neminem enim tùm ex ethnicis in* diſcipulo-

discipulorum numerum allegebat Christus, qui etiam Apostolis suis præceperat, ne in viam Gentium irent, sed ad oves perditas domus Israëliticæ, Matth. 10. 5, 6. Deinde largiamur, centurionem istum suscepisse tùm temporis Christianismum, neque tamen militare istud munus deposuisse, aut, ut deponeret, à Christo monitum fuisse: non tamen hinc ulla regula, quid hac in parte Christianis liceat, peti debet. Qui enim pro eo tempore Christianismum susceperant, adhuc valde rudes in Christiana religione erant, nec omnia, quæ ad perfectionem pietatis pertinerent, audire à Christo merebantur. Ipsum Petrum aspice, qui non tantùm Christianismum susceperat, non tantùm Apostolus erat, sed etiam Apostolorum primus ac præcipuus: & tamen, ut paulò antè vidimus, in Christi periculo arma contra Christi disciplinam corripit, ignarus se militare illi, qui non venerat, ut cuiquam vitam eriperet, sed ut vitâ suâ omnium vitam redimeret.

IIX. Ab exemplo alterius centurionis Cornelii, Act. 10. quem (*ait,*) licèt in statu militari viveret, fuisse virum religiosum, *&c.* Vnde apparere dicit, militiam veræ pietati ac Christianismo non esse contrariam. *Tuum istud argumentum, Meisnere, hoc vitio laborat, quòd Christianismum à religiosa illa Cornelii vita, quam ante Christianismum egit, non distinguas. At si nihil illi suscepto Christianismo ad religiosam & piam vitam accedere poterat, cui bono per Angelum jubetur*

 mittere

mittere accersitum Petrum, ut ab illo discat, quid sibi facto sit opus? Cornelius religiosus erat & pius, secundùm normam legis inprimis Mosaicæ, cui militiam exercere non repugnabat: sed nondum erat secundùm normam legis Christianæ: postea demum talis evasit. Mansisse autem eum militem, postquam Christo sacramentum dixit, aut, si mansit, religiosum ac pium nihilominus ex Christi præscripto fuisse, quo argumento nobis planum faciet Meisnerus? Custos quoque carceris Act. 16. postquam Christi fidem amplexus est, non legitur deseruisse officium: nec tamen credibile est eum, si verè cordi ipsi fuerit pietas, in eodem officio sub ethnico Magistratu perdurasse, ejusq; iniquitatis sæpenumero executorem fuisse.

IX. A Pauli testimonio, qui 1. Cor. 9. 7. scribit: Quis militat suis stipendiis unquam? Quo dicto, *inquit*, haud obscurè ipsam approbat militiam, & stipendia rectè meritoq; solvi militibus innuit. *Acutum cernat oportet, qui videat hoc, quod tu non obscurè in verbis istis Apostoli contineri affirmas, nempe approbari in iis militiam. Vnde verò hoc colligis? An quia Apostolus similitudinem ducit à militibus, ostenditq; sibi non minùs licere alieno sumtu Evangelium prædicare, quàm milites faciunt, qui nunquam proprio, sed semper alieno stipendio militent? At tali argumento quid non concluderes Meisnere? Sic liceret Christianis etiam sacris illis Mosaicis operari, altari addictos esse, athletarum certaminibus vacare. Nam ab istis omnibus in*

eodem

eodem illo capite similitudinem sumit Apostolus. Et furari etiam licitum esse, eodem argumento concludi posset; quandoquidem Christus similitudine à fure sumpta dicat: veniam super te tanquam fur, & non cognosces, qua hora veniam super te: ecce venio tanquam fur. Beatus qui vigilat, & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem ejus. *Etiam œconomis dominos suos fraudare ac decipere licebit, quandoquidem Christus non similitudinem tantùm ab iniquo dispensatore ducit, sed imitari quoque illius factum discipulis suis imperat. Plurimæ aliæ similitudines in sacris literis extant, quibus variæ res confirmantur & illustrantur: quas si eam vim habere putamus, ut omne id, unde ducuntur, licitum sit, næ nos mirè inepti & absurdi sumus. Dices, te non simpliciter ex eo, quòd Apostolus similitudinem ducat à militibus, colligere licitam esse militiam: sed quòd eam ita ducat, ut militibus licere stipendia petere ostendat; hinc colligens, etiam sibi prædicationis Evangelicæ militiam exercenti idem licere. At primò non sic loquitur Apostolus: sed postquam dixisset,* num solus ego & Barnabas non habemus facultatem non laborandi? *subjungit:* quis militat propriis stipendiis unquam? *quibus verbis non quid juris militibus sit exprimit, sed quid illi faciant; ut ostendat, se quoque cum Barnaba idem facere posse. Deinde, ut demus tacitè significari milites habere potestatem & jus stipendia exigendi, adeoq; ut tu loqueris, rectè ac meri-*

rò illis persolvi stipendia, num idcirco approbatur in Christianis militia? illa præsertim, quam non sola publicæ salutis defendendæ necessitas expressit, sed ad quam quæstus, stipendia, præda invitârunt. num etiam de tali, seu de quavis verba Pauli accipi debent? Iure ac meritò publicis ministris stipendia persolvuntur: & tamen talia sunt quædam publica ministeria, à quibus suscipiendis non tantùm Christianus homo, sed & quivis honestatis amans abhorreat. Etiam *milites sunt publici quidam ministri, ad coërcendos hostes publico stipendio conducti. Quocirca licèt militibus meritò stipendia persolvantur, nihilominus tamen inter milites nomen suum profiteri Christiana vocatione indignum esse potest. Itaque milites qui sint facti, iis jus sit exigere stipendia; sed ut fierent milites, jus omnibus fuisse non sequitur.*

X. *Ratio, quia tantùm de Magistratu agit, & illi soli jus bello subditos defendendi, si aliter fieri nequeat, asserit, propterea Socino contraria non est.*

XI. A capitalibus privatorum pœnis. Quas, *inquit*, si Magistratui irrogare, præsertim homicidis, licèt multò magis publicos latrones & hostes, multum sanguinem innoxium effundentes, sumtis armis reprimere ac coërcere licebit. *Hæc quoque ratio, cùm similiter de solo Magistratu concludat, Socino non adversatur. Cæterùm, dum ad probationem antecedentis legem Mosaicam de capitalibus pœnis Meisnerus urget, quæ sæpe nimis rigida fuit, non meminit se sub Evangelio vivere.*

lio vivere, quod rigorem illum Legis ita temperavit, ut hostes ipsos, quos delere penitus Lex jubebat Deut. 7. 2. diligere jusserit. Quodsi autem erga istos charitate & misericordia Christiani uti debent, quantò magis in proprios cives? Idcirco Magistratus in pœnis irrogandis non rigidæ illius legis normam sequi debet, sed mitis & benigni spiritus Evangelici regulam. Lex enim charitatis est lex Evangelica, & judicium sine misericordia manet illos, qui misericordiam non faciunt. misericordia verò gloriatur adversus judicium. Nam si Deus, qui supremus & absolutus est nostrûm omnium Dominus, tantâ quosvis sine discrimine homines gratiâ complexus est, ut per unicum Filium veniam omnium etiam gravissimorum criminum publicare, eamq́ sempiterno fœdere per proprium ejusdem Filii sui sanguinem sancire voluerit: nonne Magistratibus Dei ministris conveniet, ut Deum quàm maximè imitentur, & homines erga homines clementiam exerceant? Et tamen (rem profectò Christianis indignam populis!) videmus longè severiùs quædam crimina puniri, quàm ipsa Lex rigoris plenissima ausa fuerit. Furibus enim ubique ferè crucem figi videmus, & humanum sanguinem, quo nihil pretiosius est, adeò vili æstimari, ut exiguum etiam furtum ad capitis pœnam sufficiat. Lex furem vel restitutionis dupli, tripli, quadrupli, vel, si eam facultatem non haberet, servitutis damnavit: in Christiano populo usu & legibus receptum est, furem non restitutionis, non servitutis pœna, sed capitis supplicio affi-

cere? Hoc autem non aliunde profectum eſt, quàm quòd populi Chriſtiani Doctores inter Legem & Evangelium, inter hæc & illa tempora diſcernere non nôrint, nec, quantum Evangelicus ſpiritus à Legali differat, intelligant. Vnde fit, ut populis ſibi commiſſis, & præſertim Magiſtratibus, non miſericordiam, non charitatem erga omnes, non ab humano ſanguine ſummam abſtinentiam, ſed leges Moſaicas ſeveras ac ſangvineas, imò his atrociores etiam inculcent. De loco Gen. 9. 6. ſuperiùs actum eſt.

XII. ratio à natura bellorum, quæ, *inquit*, ſi reſpectu omnium cauſarum conſiderentur, nihil iniquitatis includunt. Sunt illa *(ait)* inimicitiæ publicæ. quibus edicto Magiſtratuum vi & armis ſcelera reprimuntur, ut homines pacatè & tranquillè ex juſtitiâ poſſint vivere. *Cauſas igitur iſtas percurramus. Efficientem dicit eſſe Magiſtratum. Hîc nos iterum dicimus, bellum à Magiſtratu ſuſceptum eo fine, ut hoſtes graſſantes, cùm aliter non poteſt, reprimat, ſuos defendat, à Socino non fuiſſe impugnatum. Porrò, quòd bella populi Iſraelitici cum hoſtibus vocentur* prælia *vel* bella Domini, *&* ultio Domini, *1.Sam.18.17: 25.28.1. Par.5.22.* Num. 31. 3. *hoc non idcirco factum eſt, quòd à Magiſtratu legitimè fuerint ſuſcepta, ut Meiſnerus putat; ſed quòd expreßè jußu Domini, qui Iſraëlitis, ut populos illos conficerent, imperaverat, illiſq́; ad id efficiendum robur dabat, geſta fuerint: quod nunc inter Chriſtianos locum non habet, quibus*

Deus

Deus nullam gentem, nullum populum delere unquam imperavit, quin potiùs inter omnes gentes fraternum amorem, ac perpetuam pacem, sangvine Filii sui pro omnium populorum salute pariter effuso, sanxit. Itaq; hæc bellandi causa, nempe expreßum Dei præceptum, in populo Christiano penitus ceßavit, & loco illius jubentur Christiani omnes homines amare sicut seipsos, quandoquidem proximus, ad quem hoc diligendi præceptum spectat, nobis est, quisquis homo est, & à nobis ulla in re juvari potest. quemadmodum nos docet Samaritani illius in illa nobili Christi parabola exemplum, & exemplo huic subjectum à Christo, quo parabolam conclusit, præceptum, Luc. 10. 30, & seqq.

Causas impulsivas eße dicit scelera & injurias publicas, quas Magistratus omnino debet ulcisci. *Quæ verò sunt ista scelera, & publicæ injuriæ, quas Magistratus ulcisci debet?* In Scripturis, *inquit*, ut justa belli causa, nominatur idololatria, Deut. 13. v. 12: ut avertatur ira Domini, v. 17. & ne seducantur alii, cap. 20. 18: item violatio pactorum, 2. Reg. 3. v. 7. oppressio & abductio innocentum, Gen. 14: notoria contumelia, 2. Sam. 10. 2: publica violentia 2. Sam. 3. 1: transfugium ad hostes v. 5: neglectus justitiæ in notorio facinore, Iud. 20. v. 10. 11. possessionum ereptio, 2. Par. 20. v. 10, 1. Macch. 3. 20, &c. *Non dubium est, quin Meisnerus istas omnes bellandi causas approbet, quippe qui*

Legem

Legem cum Evangelio hac in parte confundat, ut jam sæpe vidimus. Quod igitur ad primam causam attinet, dicimus, leges, quas ea de re Meisnerus ex Veteri Fœdere citat, in Christiano populo antiquatas esse. Duplex ea de re lex fuit, & utramq; hîc citat Meisnerus: Prior, qua jubet Deus urbem Israëliticî populi, quæ in Deorum alienorum cultum prolapsa sit, penitus excindere, & ne brutis quidem animantibus in ea parcere, omne spolium illius sibi sacrum comburere, & urbem illam, tumulum seculi, non ampliùs ædificandam relinquere, Deut. 13. a v. 12. Quis hanc legem, vel ipso auditu, non statim à Christianæ Religionis lenitate multùm dissidere agnoscat? Ubi enim hîc est charitas, misericordia, summa æquitas, virtutes tantopere Christianis præceptæ & inculcatæ? Quid infantes, quid pecudes meruerunt, quòd parentes eorum, quòd domini à Deo defecerint? Nonne vides, hanc legem ex jure absolutæ dominationis, quod Deus in omnia habet, profluxiße, & ad terrorem populo tùm suo incutiendum latam fuiße? Quod vel minimum indicium est, Deum Christianum populum iisdem legibus obstrinxiße? Quodsi judiciales leges, quà judiciales sunt, & Iudaico illi foro conveniunt, abrogatæ per Christum fuerunt, ut ipse Meisnerus agnoscit, nonne hæ vel inprimis, quæ nullum aliud justitiæ fundamentum habent, quàm absolutum Dei jus in creaturas, abrogatæ eße censeri debent? in ea præsertim religione, in qua Deus cum hominibus non ampliùs ut dominus cum servis ac mancipiis

suis,

suis, sed ut pater optimus ac mitissimus cum liberis agit. Adde, quòd Deus peccata omnia, quæ solam conscientiam obstringunt, seu ex conscientia in errorem acta proficiscuntur, è quorum numero etiam idololatria est, suo proprio judicio sub Evangelio reservavit, nec Magistratibus alia, quàm aperta crimina & flagitia, communi societati noxia punire, idq; summa cum moderatione, concessit. Alia ratione nobis debellanda sunt ista vitia, quæ ad solius conscientiæ forum pertinent, non metu, non ferro aut igne, sed Dei verbo & invicta veritate Christiana, cui nulli errores possunt resistere. Conscientiis dominari nullus debet, nisi conscientiarum arbiter Deus. Itaq; non tantùm Civitati, aut alicui Reipublicæ parti bellum propter idololatriam inferre, eamq; tam atrociter plectere, sed etiam quemvis hominem separatim eo nomine persequi à Christiana religione alienissimum fuerit. Altera lex, quam hoc loco etiam citat Meisnerus, est de Palæstinis illis funditus extirpandis, sic ut nulli animanti in urbibus eorum parcatur, Deut. 20. v. 16, & seq. Quod licèt eo fine fieri debuerit, ne populus divinus ab illis idololatriam & falsorum Deorum cultum disceret, quemadmodum v. 18. additur: non tamen hic solus finis suffecisset ad tantam eorum cladem & calamitatem, nisi Deus Palæstinos eorumq; urbes Israëlitis penitus addixisset, & propter eorum gravissima scelera perdendos tradidisset. Vnde factum est, ut Israëlitis urbes à populorum istorum finibus remotas, licèt non minùs idololatricas, & falsorum

& falsorum Deorum cultui deditas, tam inclementer tractare fas non fuerit: sed, si inimicæ essent, & pacem illis priùs offerre Israëlitæ debuerint, licèt ea conditione, ut sibi tributariæ essent: &, si pace recusata bello subactæ essent, virorum tantùm cæde contumaciam suam luerent, cæterùm imbellis turba, mulierum, parvulorum, unà cum animalibus insons esset. At ubi de Palæstinorum urbibus bello petendis agitur, nulli in eorum incolas clementiæ locus relinquitur. ideo additur v.15,16,17: Sic facies (*nempe ut modò dictum est*) omnibus urbibus longinquis à te valde, quæ non sunt de civitatibus gentium istarum. Sed in civitatibus populorum istorum, quos Dominus Deus tuus dat tibi in hæreditarem, non patieris vivere ullam animam. Quia perdendo perdes eos, Chittæum, Emorræum, &c. quemadmodum præcepit tibi Dominus Deus tuus. *Non est igitur ullo modo par ratio illorum populorum, quos Israëlitis tradiderat Deus delendos, ac terras eorum occupandas, & aliorum, in quos nobis nihil juris fecit; nec ipsorum idololatriam pro juris titulo nobis occupare licet, ut in eos arma moveamus, eorumq; terras invadamus. Unde nec Israëlitis populos aut urbes extra Palæstinæ fines adoriri, & sibi tributarias reddere idcirco jus fuit, quòd idololatricæ essent, sed quòd essent inimicæ. Traduntur enim illo capite, quemadmodum ex ejus initio apparet, leges* super bello cum inimicis. *Itaq; si civitas ejusmodi pacem cum Israëlitico populo coluit,*

to coluit, & ab omni hostili facto abstinuit, ut maximè idololatrica & falsis Diis dedita fuerit, bello eam petere non licuit. Quod ad reliquas belli causas attinet, in genere respondemus, non debere nos spectare, quid sub Vetere Fœdere licuerit, ut hinc colligamus, id omne etiam licere sub Novo. Alia enim illius, alia hujus est ratio. Illius finis erat terrena felicitas, gloria, opes, voluptates, & ad hunc finem consequendum cuncta erant directa: hujus autem finis est cœlestis & æterna beatitas, cum omnium rerum mundanarum contemtu conjuncta, & ad hunc finem omnia ejus præcepta diriguntur. Illud inter populum Israëliticum & alias gentes maximum discrimen constituebat: hoc omnes Gentes pariter complexum est. Illud rigidum ac severum fuit: hoc nil nisi amorem & charitatem erga omnes homines spirat. Illud hostes odio prosequi, & partim sine misericordia funditus delere, partim servitute premere jubebat: hoc hostes diligere, & omni ope ac beneficio juvare præcipit. Vnde si Magistratus ob quamvis pactorum violationem, eorum etiam, sine quibus salus publica potest consistere, ad bellum prorumpat, & tum civium suorum sangvinem prodigat, tum hostilem appetat, rem prorsus à Christiano officio alienam facit, & graviter peccat. Similiter ob contumeliam, licèt vel maximè sit notoria, bellare Christianum non est. Quemadmodum enim privatim Christiani injuriarum & contumeliarum patientissimi esse debent, & cum omnibus pacem sectari, quantum in illis est: ita

multò magis publicè; cùm publica impatientia plus malorum dare possit, quàm privata. Idem dicimus de transfugio quorundam ad hostes, de aliquarum possessionum ereptione, sine quibus reipublicæ incolumitas minimè periclitetur. Præstat enim aliqua possessionum parte mulctari, aliquos transfugas negligere, quàm sese bello implicare, cui non nisi multorum hominum sangvine litatur. Neglectus etiam justitiæ in notorio facinore tanti esse non debet, ut Christianum Magistratum ad arma concitet. Satius enim est unum facinus sinere impunitum, quàm multos innocentes communi clade involvere. Cujus rei documentum habemus in hoc ipso exemplo, quod hic adducit Meisnerus ex histor. Iud. cap. 20. Ob facinus enim à quibusdam Gabaënsibus, oppidanis tribus Benjaminiticæ, commissum, tam sævo bello reliqui Israëlitæ cum Benjaminitica tribu collisi sunt, ut & Israëlitæ ingenti clade affecti fuerint, cæsis quadraginta Israëlitarum millibus, & Benjaminitica tribus ferè ad internecionem, unà cum omnibus mulieribus & parvulis, vix sexcentis viris superstitibus, deleta fuerit. Adde, quòd Israëlitæ clade sua admoniti non ausi fuerint Benjaminitas bello ultra persequi, nisi priùs consulto super ea re oraculo divino. Itaq; cum ejus rei præceptum, & tandem etiam victoriæ promissionem à Deo accepissent, Benjaminitas aggressi sunt. Quodsi autem illi sine expresso & speciali jussu non ausi fuerunt bellum prosequi, licèt jus, imò & præceptum legis haberent, pœnam tanti facinoris exigendi, Benjaminitis

minitis

minitis illud vindicare nolentibus: quanto minùs Chriſtianis populis & Magiſtratibus licebit, ob facinus aliquod non vindicatum, in eos etiam, quos ad vindicias iſtas adigendi nullum jus habent, parare ac movere bellum, & non minùs, quàm Iſraëlitæ fecerant, fratrum ſuorum (diſcrimina enim populorum à Chriſto ſublata ſunt) viſcera ſangvinemq́ hoſtili gladio haurire? Sanè, qui talia exempla ex Veteri Fœdere commemorant, ut hinc, quid Chriſtianis populis liceat, colligant & demonſtrent, eo ipſo oſtendunt, ſe naturam Chriſtianæ religionis nondum perſpexiſſe, quæ à cædibus & bellis tam abhorret, quàm ad amorem erga omnes exercendum, pacemq́ cum omnibus colendam propenſa eſt; ſic ut meritò illis objici poſſit, quod olim Chriſtus diſcipulis ſuis Moſaico ſpiritu adhuc imbutis dixit: Neſcitis, cujus ſpiritus ſitis. Non venit Filius hominis homines perdere, ſed ſervare. *Quod verò ad oppreſſionem & abductionem innocentum, ad violentiamq́ publicam attinet, in his etiam cauſis Chriſtiani Magiſtratus officium eſt, ſumma cum prudentia & moderatione, ſummaq́ cum religione rem gerere, ne vel plurium innocentum oppreſſioni occaſionem cauſamq́ præbeat, vel aliud quidquam, præter ſuorum liberationem, communemq́ Reipublicæ ſalutem, quærat.*

Cauſam formalem bellorum *dicit*, determinare bellandi modum, quia bella non tantùm ob juſtas cauſas ſed etiam juſtè ſeu legitimo modo gerenda ſint. *Noſti Meiſnere, in acci-*

dentium definitionibus, genus habere rationem formæ, contrà quàm in definitionibus substantiarum. Quocirca bellorum forma erit bellorum genus. Hoc autem tu ipse dixisti esse inimicitias publicas. Iam verò quid magis adversum charitati & amori esse potest, quàm inimicitiæ? quid porrò Christianæ religioni magis consonum & conveniens, quàm charitas? Num dices, privatim tantùm charitatem à Christianis exigi, non publicè, ideoq; privatas inimicitias prohibitas esse, non publicas? At si, Meisnere, ab unoquoq; Christianorum privatim charitas exigitur, quomodo non etiam in commune ab omnibus exigetur? quæ tantò validior erit, quanto plures erunt, qui amabunt. Num dices, charitatem quidem exigi & privatim & publicè à Christianis, sed non erga omnes homines? At si exigitur erga hostes ipsos, qui tandem erunt homines, quos odisse licebit? Quodsi dicas, omnes quidem homines, & hostes ipsos amandos esse, sed tamen statuendum esse charitati isti aliquem modum ex alia charitate, quam patriæ, parentibus, amicis ac domesticis debemus, nempe ne hostes ita diligamus, ut interim nostros prodamus, charitatemq; charitati non debere esse contrariam. Hoc autem fieret, si Magistratus hostibus irruentibus vim & arma non opponeret. Vt hoc ita sit, Meisnere, nonne tamen illa charitas erga omnes homines, proinde & hostes ipsos, quæ Christianorum animis perpetuò esse debet insculpta, jure suo exigit, ne Christiani, qui verè ex Christi institutis vivere volunt, operam suam ad cæ-

ad cædendos hostes ultrò & sine necessitate profiteantur? Porrò, quæ de bellandi modo ex Veteri Fœdere depromis, ea similiter indicant, te Novi Fœderis oblitum, omnem in Mosaica Lege cogitationem defigere. Nam quod ad primum attinet, offerendam esse pacem, *Deut. 20. 10. non satis est offerre hostibus pacem, si duris admodum conditionibus, quemadmodum lege, quam citas, promulgatum erat, offeratur, sed conditionibus quàm æquissimis pax offerri debet, ex quibus appareat, Christianum Magistratum non aliena concupiscere, nec dominationem quærere, sed tantùm sua conservare velle. Secundum esse dicis,* ut si pax negligatur, tùm fiat initium belli cum invocatione nominis divini, *Deut. 20. 2. 2. Paral. 20. 3: 1. Mach. 3. 44. In priore loco nihil ea de re dicitur, sed tantùm jubetur Sacerdos populum alloqui, & eis Dei nomine auxilium ac victoriam polliceri. Unde patet, quàm diversa sint Veteris Fœderis & Novi tempora. Quis enim nunc ausit victoriam Dei nomine alicui certò polliceri, cùm sub Novo Fœdere nullum ejusmodi promissum extet? In altero, quem ostendis, loco precatur Iosaphat Iudæorum rex, contra Moabitas & alios hostes iturus: sed ita precatur, ut hinc quoque appareat, quantum inter Christianos & Iudæos intersit. Illis Deus promiserat in bellis victoriam: illis terram, quam incolebant, hæreditate possidendam dederat. At Christiani quas victoriarum carnalium promissiones habent? quam in terris firmam ac stabilem hæreditatem?* Non habe- Heb. 13. 14.

 mus

mus hîc manentem civitatem, sed futuram inquirimus. *Quocirca in precibus nostris ad Deum, nullum istarum rerum jus, ex promissione divina manans, obtendere possumus aut debemus, sed potiùs cuncta divinæ voluntati & arbitrio permittere, scientes, nihil de felicitatis nostræ cumulo verè decessurum esse, etiamsi omnibus fortunis spoliati in hostium potestatem perveniamus. Et quia Iudæis in Fœdere promissa erat ex hostibus victoria, propterea etiam Deus frequenter per Prophetas suos testatus est, se illis contra insurgentes hostes opem laturum, victoriamq; concessurum esse. quemadmodum etiam tùm, post finitas Iosaphati & Iudæorum preces supplicationesq; contigit. Quod ipsum quoq; cùm nunc cessaverit, indicio similiter esse potest, Deum Christianis non victorias, non triumphos ex hostibus carnalibus, sed post devictos hostes spirituales cœlestem illam gloriam ac triumphum destinare. Vnde etiam non rarò videmus, meliores & justiorem causam habentes à deterioribus opprimi. quod Israëlitico populo, quandiu ex Legis instituto vivebat, metuendum non erat. Eadem spe, quæ ex Legis promissionibus pendebat, freti Iudæi, Maccabæorum tempore, qui tertius est à te adductus locus, Deum ante belli exordium invocant, & meli-* us esse, *dicunt*, mori in bello, quàm videre gentis suæ mala & sanctorum. *quæ vox Iudæorum quidem fortitudine digna erat; sed Christianæ patientiæ non respondet. Qui enim id dicunt, vel sola ho-*

stium

stium cæde contenti sunt, & id operam dant, saltem ne multi cadant, atque, ut Poëta dixit, animas in vulnere ponant. *At Christiani, si moriendum omnino est, in persecutione mori malunt, quàm in bello, tanquam martyres potiùs, quàm tanquam milites, animamq́ sine alterius vulnere, quàm in vulnere ponere longè pulchrius esse ducunt. Illud verò ridiculum est, Meisnere, adeò vos bellicis illis legibus à Mose latis addictos esse, ut illius etiam legis, quæ facultatem ab exercitu discedendi dabat iis, qui domum noviter a se extructam nondum incoluissent, vineâ recèns à se plantatâ nondum usi essent, uxorem desponsatam nondum duxissent domum, timido denique corde essent, rationem nunc quoque in bellis habendam esse ducatis. Vbi verò nunc Christianis dictum est, quod olim dictum erat Israëlitis?* Si videris equum & currum, populum multum præ te, ne timeas ab eis, quia Dominus Deus tuus tecum, qui te eduxit è terra Ægypti. Audi Israel: Ne mollescat cor vestrum, & ne timeatis, quia Dominus Deus vester ambulans vobiscum, ut pugnet vobiscum cum inimicis vestris, ut salvet vos. *Itaque cùm talem promissionem haberent Israëlitæ, meritò ab exercitu suo multos dimittere, & delectum à Lege præscriptum instituere & poterant & debebant.* Facile enim est concludi multos in manibus paucorum, *ut Iudæ illius Maccabæi verbis utamur,* & non est differentia in conspectu cœli salvare in multis, vel

in paucis. Quoniam non in multitudine potentiæ victoria belli est, sed à cœlo venit fortitudo. Ipse confringet eos ante faciem nostram: vos autem non timeatis ab eis. *Si dixisses Meisnere, non esse imponendum onus militiæ iis, qui à cæde hominum penitus abhorrent, quiq; hostibus benefacere malunt, quàm nocere, rectè omnino, & ex Evangelicæ disciplinæ normâ fuisses locutus. Porrò* ad intermittendam sævitiam non necessariam, *qui etiam unus justè bellandi modus à te constituitur, citas verba Deut.20. 19. quâ jubentur Israëlitæ, in oppugnatione urbis hostilis, arboribus frugiferis parcere. Quis non rideat, te Christiani populi doctorem tam solicitè arboribus cavere, sævitiamq; vocare, si quis arbores frugiferas excindat; superiores autem leges in eodem capite latas, quibus in remotioribus quidem urbibus omnes viri, in Palæstinorum autem civitatibus non viri tantùm, sed & mulieres, & in bellis parvulorum turba, & quidquid denique spirat, ferro trucidari jubetur, approbare?* Propter prædam *etiam* unicè militandum esse *negas. Ergo tamen propter quædam militandum esse concedis, dummodo non unicè propter prædam militemus. Et ad hoc confirmandum adducis Baptistæ verba, quibus omninò prædæ causâ militare prohibet. Ait enim militibus:* contenti estote stipendiis vestris. *Si stipendiis suis contenti esse debent milites, quomodo eis licebit prædam appetere, & illius causâ militare? Ergonè, ut video, tam vile tibi est pretium humani sanguinis,*

guinis, ut etiam præda in cenſum cauſarum veniat, ob quas ire in hoſtem licitum ſit? Nimirum *Legalis illius diſciplinæ afflatus te invaſerat, quippe memineras, in bellicis legibus Iſraëlitico populo latis ſcriptum Deut 20. ver. 13, 14.* ut hoſtili urbe per vim potiti, quæ ſcilicet extra fines nationum illarum eſſet, quas delere juſſerat Deus, trucidatis ferro viris ac juvenibus, mulieres & parvulos, & pecus, & quidquid eſſet in oppido, prædæ haberent, hoſtiumq; ſuorum ſpoliis ſibi à Iehova Deo ſuo conceſſis viverent. *Tali extante lege, quid mirum eſt, Iſraëlitas propter ſpem cupiditatemq́; prædæ arma hoſtibus intuliſſe? quippe qui ſcirent, inter ſervatæ Legis præmia eſſe, opima ex hoſtibus referre ſpolia. At Chriſtiani quam quæſo in Novo Fœdere de prædis ex hoſtibus agendis vel referendis legem promiſſionemvé habent; ut iis hoc etiam conſilio hoſtem aggredi fas ſit?* Militare, *inquit alicubi Auguſtinus,* non eſt delictum, ſed propter prædam militare peccatum eſt. *De cauſis finalibus agens, primo loco refers* conſervationem Eccleſiæ & cultus divini. *Cujus rei confirmandæ cauſâ citas aliquot ex Veteri Fœdere teſtimonia,* Ioſ. 22.31. Nehem. 4.9. *Dan. 11.34. At verò, quemadmodum aliis in rebus, ſic etiam hac in parte, magnum eſt inter Vetus & Novum Fœdus, inter hanc & illam Eccleſiam, inter hunc & illum cultum divinum diſcrimen. Legalis Eccleſia & carnalis ille cultus ſtare non poterat, cadente templo & Republi-*

ta, ideoq́, ut conservari posset, arma erant capienda. At novus iste & spiritualis cultus, Ecclesiaq́ Christiana, non certis locis, non ullis rebus externis adstricta, non timet rerumpublicarum regnorumq́ casum, & semper meliùs habet in persecutione, quàm in pace, nedum in bello. Primam illam veteremq́ Ecclesiam adspice. nonne magis crevit durissimis persecutionibus exercita, quàm pacem & tranquillitatem adepta, quâ constans illa & invicta virtus in vitia soluta est? Bellum verò adeò est scelerum & vitiorum ferax, adeoq́ hominum animos ab honestatis tramite transversos agit, ut vel ob id ipsum durissima persecutio bello præferenda esse videatur. Itaque non est, quòd bellis & cædibus conservationem Ecclesiæ & divini cultus prætendamus. Stare potest Ecclesia suis spiritualibus armis munita: ferro & flammis nec vincit, nec vinci potest. Quanquam primus, quem nominas ex 22. cap. lib. Iosue, locus non agit de bello hostibus, qui populum Dei & cultum illius oppugnârint, sed civibus inferendo, qui contra leges divini cultus deliquisse, & à Deo hac ratione defecisse visi fuerant, quod Deus internecione, ut suprà vidimus, istorum civium vindicari jusserat. Iam verò suprà ostendimus, istam legem nunc non ampliùs vigere, nec quemquam hodie mutatæ aut abjectæ religionis causâ persequendum, nedum tam malè mulctandum esse. Tùm temporis volebat Deus in cultu suo homines metu carnalium pœnarum, à Magistratu aut reliqua civium parte irrogandarum, retinere. Is tùm erat cultus, is

tus, ii homines, ea tempora. Nunc verò sola promissæ per Christum felicitatis spe, & venturi judicii metu, hominum animos religione sibi obstrictos esse vult Deus. Defendenda enim (*quæ verba pag. 238. ipse ex Lactantio adducis*) Christiana religio est non occidendo, sed moriendo; non sævitiâ, sed patientiâ; non scelere, sed fide. *Alterum finem constituis* cohibitionem eorum, qui resistunt justitiæ publicæ, *Iud. 20. qua de re, cùm causas bellandi à te allatas excuteremus, jam diximus. De reliquis finibus à te hîc recensitis, qualis est* depulsio servitutis ac violentiæ, conservatio libertatis, (*nam* de emendatione hostium *paulò pòst agemus*) conservatio vitæ & tranquillitatis publicæ, *de his, inquam, finibus non est quod agamus, quandoquidem de bello, à Magistratu pro publica salute urgente necessitate, suscepto non disputamus. Profani scriptores, quorum hîc meminit Meisnerus, multò moderatiùs de belli causis disserunt, & mali istius necessitatem intra arctiores cogunt limites, quàm ipse non profanus autor, & nil nisi Scripturas sonans, facit. Nam, ut ipse scribit, tres tantùm belli justè gerendi causas esse dicunt: 1. ad repellendam vim, & se suosq; tuendum: 2. ad res ablatas repetendas: 3. ad ulciscendas injurias. Hoc si profani homines ratione duce viderunt, quantò magis decet nos Christianos, illa cœlesti luce collustratos, moderatè agere, & intra angustissimas metas bellandi necessitatem concludere, si bellum prorsus excludere nequea-*

mus. Illis in vita hac præsenti omnes spes & fortunæ sitæ sunt, nobis haudquaquam: illis opes, illis privatæ publicæq; divitiæ, eximium quiddam & minimè contemnendum videntur; nobis verò nil eximium, nil pulchrum, nisi quod æternum & omnibus seculis durabile. Illis injurias tolerare & patienter ferre summum dedecus; nobis verò nil fortius, nil magnificentius magisq; gloriosum est. Post recensitas belli causas concludit Meisnerus, Jò militare simpliciter malum & Christiano indignum nō esse, quandoquidem omnes bellorum causæ sint bonæ, & Christianæ charitati minimè adversentur. *Atqui nos ostendimus, ipsam bellorum formam, nempe inimicitias & cædes hostium charitati, quam non minùs hostibus, quàm aliis omnibus hominibus debemus, planè adversari. Quodsi verò interdum à charitate erga hostes, alia charitate id requirente, discedere liceat, & charitatem in iram & odium convertere, hinc tamen apparet, quàm non usquequaque bellum Christianæ religioni, quæ nil nisi charitatem spirat, respondeat, ac proinde, quantopere veri Christiani à bellis hostiumq; cædibus abhorrere debeant.* Abusus, *inquis,* & vitia communiter accidentia discerni debent ab ipsa re per se considerata, neq; propter istos omnis legitimus bellorum usus negandus est. *Verùm meminiße debebas, nos in Platonis republica nequaquam versari, nec de bellorum ideis loqui. Adeò sunt corrupti hominum mores, Meisnere, ut bella nonnisi cogitatione à vitiis & abusu,*

abusu, quem vocas, discerni posse videantur. Ostende mihi bellum, vel olim, vel nunc in Christiano orbe gestum, quod non infinitam scelerum ac vitiorum lernam secum traxerit, ut ista belli remedia hominibus recto rem æstimantibus judicio ipso morbo videri possint pejora & graviora. Animus quippe in humanas cædes solutus & armatus ad quidvis audendum impellit, nec ullum scelus reformidat, stupra, libidines, comessationes, rapinas, veluti in pretium militiæ sibi deberi putat. Hinc jam olim celebratum est illud: Nulla fides pietasq; viris, qui castra sequuntur. *Huc pertinet & Tertulliani illud:* Dolus, asperitas, injustitia, propria bellorum negotia. Sæva res est bellum, *inquit Plutarchus,* cumulumq; secum trahit injuriarum & insolentiæ; *ut alia hujus generis innumera dicta omittam. Et profectò si improbanda sint in universum bella, vix alia ex causa magis improbari debent, quàm quòd homines sine plurimis vitiis ac sceleribus bellare non possint, pati possint.*

XIII. *Ratio sumta est* à commodo, quod in hostes ipsos redundet. Per bella, *inquis,* consulitur hostium utilitati, licèt non voluntati, quia coërcentur, ut peccare desinant, & pœnitentiam agant, quam alias non egissent. *Ita nunc de bello agis, acsi in nostra potestate positum esset hostes vincere. Quid si verò illi nos vincant? nonne armis nostris irritati tanto crudeliùs in nos sævient? Ideoq; illæ similitudines, quas adfers,* patris filium

lium castigantis, & medici phreneticum ligantis, lethargicum verò excitantis, *valde sunt rei propositæ dissimiles. Non enim æquè est in principis potestate hostes coërcere, & illis licentiam peccandi adimere, quàm in potestate patris filium castigare, & medici phreneticum ligare, & lethargicum stimulare. Quodsi tamen contingat Christianum principem reportare ex hostibus victoriam, ut demus ad illos commodum istud, quod dicis, redundare, qui bello ac cladi superstites fuerint, at quo commodo beati sunt illi, quorum viscera ac sangvinem hostilis hausit gladius? quam charitatem erga istos exercitam fuiße dices? num quia cum peccandi licentia etiam vita illis fuerit ablata? At sic filium ex charitate non castigat pater, nec medicus phreneticum aut lethargicum occidit, ut phrenesin & lethargum tollat.*

XIV. Ab exemplis Christianorum, qui militiam exercuerint, salva pietate & charitate. *Christianos olim militiam exercuiße, facilè concedimus, sed affirmare, quòd ea in re pietatem & charitatem Christianam non læserint, est petere id, quod in principio. Nec stringunt argumenta, quæ affert Meisnerus. quale est 1.* quòd Eusebius scribat, Christianos sub M. Aurelio Imperatore in Germania militantes in magna siccitate invocasse Dominum, & pluvias de cœlo impetrasse. *Nam primùm non omnia indubitata fide sunt accipienda, quæ historiis ejusmodi prodita sunt.*

Vtut

Vtut enim Eusebio consentiant Tertullianus in Apolog. cap. V. Gregorius Nißen. Orat. 2. in quadrag. Martyr. Ioan. Xiphil: Ethnici tamen Scriptores, Dio, Claudianus, Lampridius, Capitolinus, aut M. Aurelii pietati, aut Mago cuidam Arnuphi, id quod Christiani Christianis militibus, tribuunt. Epistolam Marci ad Senatum, quæ in hanc rem allegatur, multis argumentis suppositam probat Scaliger. in Animad. in Euseb. Columna Antonii quæ Romæ etiamnum visitur, Iovis pluvii beneficium hîc agnoscit. Legio fulminatrix, quam Christiani nomen hinc primùm accepiße dicunt, jam Trajani ævo ordine XII. erat, ut ex Inscriptione Tergestina patet: imò Augusti ævo, ut ex Dionis lib. 55. Deinde, ut id verum sit, fallax admodum est hoc intemeratæ pietatis Christianæ signum, si quis à Domino aliquid ad hanc vitam spectans impetret. Quàm multa talia sæpe impetrare solent homines non adeò probi & pietatis Christianæ memores? quid? ne impiis quidem & improbis sæpe res ejusmodi denegat Deus, utpote qui solem suum oriri faciat super malos pariter & super bonos, qui pluat super justos & injustos. *Poterat hoc beneficium concedere Deus non tantùm in gratiam Christianorum istorum militum, sed etiam aliorum hominum, quorum ut Creator optimus sæpe misereri solet. poterat etiam id dare solis Christianorum precibus, præsertim in Christi nomine (ut pote ab iis, qui Christi religionem profiterentur) fusis: poterat non ut vitam & militiam ipsorum, sed ut-*

quam

quam profitebantur religionem, approbaret. Quid? Achabus olim quamvis impius, an parum de severitate supplicii divini, precibus & animi corporisq; coram Deo abjectione imminuit? Quid Ninivitis, quid aliis contigit, quorum preces & supplicationes eousq; valuerunt, ut Deus non siccitatem, sed multo graviores pœnas, ipsumq; interitum, etiam post latam in eos sententiam, ab iis averterit? Quid si vel hoc ipso beneficio eos obstringere voluit Deus, ut militiam istam Christianis minimè dignam desererent? neq; enim frustra illos siccitate tanta terruerat. quid si in pœnam illis fuisset immissa, ut hinc appareat eos nec ita bonos ac pios fuisse, ut à pœna immunes essent, nec ita tamen improbos & profligatos, ut supplices Deo facti indigni prorsus salute essent. quod solum sufficere potest ad tale beneficium à Deo impetrandum. Thebææ legionis, quæ à Maximino Imperatore ob Christianam religionem fuit occisa, pietatem jure meritoq; laudamus, in eo, quòd non solùm summâ constantiâ propter Christi fidem occubuerit, sed etiam quòd armis numeroq; satis munita contra vim sese tutata non fuerit, & veluti grex ovium innoxia mactari, quàm non inulta perire maluerit. Verùm ex eo minimè sequitur, legionem istam militiam exercendo, & in hostes (idq; sæpe ad libidinem Imperatorum) pugnando, non læsisse Christianam pietatem & charitatem. Num enim is, qui eam certis in rebus haud lædit, confestim eam nullis aliis in rebus lædere dicendus est? At tanta fuit, inquis, eorum pietas, ut
pro

pro Christo mortem oppetierint. *Quid tùm? Poterant esse pii moriendo, licet pii non essent militando. Nonne fieri potest, ut aliquis summâ constantiâ pro Christo mortem oppetat, qui tamen in reliqua vita ab officio desciverit? Nonne & ipse Paulus ostendit, posse aliquem tanto in religionem Christianam flagrare zelo, ut flammis etiam corpus suum tradat exurendum, cæterùm charitate illa Christiana sit vacuus? Illius enim hæc sunt verba:* Si omnes meas facultates alendis pauperibus insumam, & si vel meum corpus comburendum tradam, & tamen charitate non sim præditus, nihil proficio. *Militabant isti in castris Imperatorum, stipendiis ad occidendos hostes, quos sæpè non necessitas, sed Imperatorum, ut antè diximus, libido fecerat, conducti: in hos, quoties imperatum erat, stringebant ferrum, & cædibus grassabantur. Hoccine Christianum erat? hoccine charitati illi, quæ sive amicos, sive inimicos, sive socios, sive hostes pariter complexa est, consentaneum? Quin potiùs existimandum est, eos in pretium istius militiæ in hanc à Deo calamitatem fuisse conjectos, ut aut abnegata religione Christiana dignam militiæ suæ mercedem ferrent; aut illâ constanti morte assertâ, tanta virtute ac patientia crimen superioris vitæ eluerent. Idem dictum esto de militibus in stagno Sebastæ martyrio affectis, ut ex Nicephoro & Sozom. refert Meisnerus. Ad illos quod attinet, de quibus Eusebii verba lib. 6. cap. 41. & 42. adducit; quòd tribunali astantes, cùm Christianus quidam*

1. Cor. 13. 3.

quidam judicaretur, & ad negandum inclinaret, ipsi ultro in medium proruperint, & se Christianos esse fassi fuerint, hi similiter, ut pietatis specimen aliquod edidisse meritò dici debent, sic inde minimè sequitur, eos militiam exercendo, Christianam pietatem non læsisse. Non enim sequitur, eum, qui pietatis aliquod opus patrat, in cæteris similiter pietatis observantem esse, sive sciat illa cum pietatis norma pugnare, sive nesciat. Isti ipsi milites, si modò jam antè Christi fidem amplexi fuerant, nullo pacto ad illud usq; tempus dissimulatæ Christianæ religionis crimine vacasse videntur. Si enim pro Christianis apertè sese gessissent, quomodo tùm demum in periculum damnationis sese conjecissent? quomodo omnibus, quòd Christiani essent, ignaris præsidem & adsessores abrupta & inopinata Christianismi professione perterruissent? Reliqua exempla Christianorum militum, militiam sectatos fuisse Christianos, docent, sed nulla pietatis eorum documenta continent, nedum ut, salva pietate & charitate Christiana militiam ab illis fuisse exercitam, evincant. Si exemplis veterum Christianorum placet agere, non desunt nobis exempla detrectatæ olim à Christianis militiæ. Cui bello (*scribit Tertullianus de Christianis sui temporis*) non idonei, non promti fuissemus, etiam copiis impares, qui tam libenter trucidamur, si non apud istam disciplinam magis occidi liceret, quàm occidere? *Origenes Celso Christianis objectanti militiæ detrectationem sic respondet:*

det. His, qui à fide alieni pro republica militare nos jubent, & homines occidere, ita reſpondebimus: Hi, qui ſimulachrorum veſtrorum ſunt ſacerdotes, & quos putatis Deorum flamines, dextras puras ſervant ſacrificiorum ergo, ut ea incruentis & nulla cæde maculatis manibus offerant his, qui creduntur Dii: neq; ſi quod exoriatur bellum, ſacerdotes adſcribuntur numeris. Quodſi id ratione non caret, quanto magis cæteris militantibus, illi quoq; ſuo modo cenſendi ſunt militare, tanquam Dei ſacerdotes atq; cultores, qui manus quidem ſervant puras, ſed precibus apud Deum certant pro his, qui juſtè militant, & pro eo, qui juſtè regnat? *Huc etiam referri poteſt Cypriani illud ad Demetriad:* Quamvis nimius & copioſus noſter ſit populus, non tamen adverſus violentiam ſe ulciſcitur, patitur. *Et, ut iterum Tertullianum laudemus, auctorem antiquiſſimum, nec ab Eccleſiæ Apoſtolicæ ſeculo longè remotum, vide quid hic de militia ſcriptum reliquerit libr. de coron. milit.* Etenim, *inquit,* ut ipſam cauſam coronæ militaris aggrediar, puto priùs conquirendum, an in totum militia Chriſtianis conveniat? quale eſt alioquin de accidentibus retractare, cùm à præcedentibus culpa ſit? Credimusne humanum ſacramentum divino ſuperduci licere? & in alium dominum reſpondere poſt Chriſtum, & ejerare patrem ac matrem

& omnem proximũ, quos & Lex honorari, & post Deum diligi præcepit. Hos & Evangelium, solo Christo pluris non faciens, sic quoq; honoravit. Licebit in gladio conversari, Domino pronunciante, gladio periturum, qui gladio fuerit usus? Et pretio operabitur, filius pacis, cui nec litigare conveniet? Et vincula & carcerem & tormenta & supplicia administrabit, nec suarum ultor injuriarum? *&c. addit porrò*, quanta alia in delictis circumspici possunt castrensium munium, transgressioni interpretanda? Ipsum de castris lucis in castra tenebrarum nomen deferre, transgressio est. Planè si quos militia præventos fides posterior invenit, alia conditio est, ut illos quos Ioannes admittebat ad lavacrum, ut centurionum fidelissimorum, quem Christus probat, & quem Petrus catechizat, dum tamen suscepta fide atq; signata, aut deserendum statim sit, ut multis actum, aut omnibus modis cavendum ne quid adversus Deum committatur, quæ nec ex militia permittuntur, aut novissime perpetiendum pro Deo, quod æque fides pagana condixit.

XV. A damnatione hæreticorum bella improbantium. *Hæc ratio à decretis Conciliorum vel Synodorum ducta exigui momenti esse debet apud eos, qui solius scripturæ sacræ auctoritate niti volunt. Ferè enim in conventibus istis non veritati, sed errori-*

sed erroribus patrocinium fuit quæsitum. Deinde verò id, quod affert Meisnerus de damnato Manichæorum errore, qui Magistratus civiles, & politias, tanquam à Deo malo constitutas, tollebant, & hinc bella illicita esse colligebant, & Mosen, quòd bella gessisset, reprehendebant, id, inquam, minimè ostendit, damnatos ab Ecclesia fuisse in genere omnes eos, qui bella improbabant. Aliter enim bella improbant, qui dicunt, Magistratus & politias à Deo malo esse constitutas, Mosen reprehendendum quòd bella gesserit, quod Manichæi fecisse dicuntur: aliter illa improbant, qui Magistratus ab ipso Deo constitutos, & gladio etiam armatos esse fatentur, qui Mosen jussu divino bella gessisse asserunt; cæterùm Christianos homines, quibus hostes diligere sit imperatum, à bellis & cædibus quantum possunt arcent, nec cuiquam privato, qui verè pius esse velit, ultro in bellum proficisci, & hostes occidere fas esse putant. Illud qui faciunt, & in Magistratus ac publicas potestates, & in Mosen Dei servum, & in ipsum deniq; Deum vehementer sunt injurii: Hoc verò qui dicunt, nec Magistratuum jura dignitatemq; ulla in re delibant, nec in Mosen aut Deum sunt impii: sed Christianos homines quàm maximè innoxios esse volunt, & humano sangvini parcunt. Est ergo in ratiocinatione tua paralogismus, qui vocatur à dicto secundùm quid ad dictum simpliciter. Et sanè, cùm semper in Ecclesia à militia abstinere pro majori quadam sanctitate fuerit habitum, unde hoc & à clericis, & à pœnitenti-

bus, diu exactum fuit, cæteris verò omnibus valde commendatum, & in Eccleſia Græca diu obſervatus eſt canon, quo ſacris ad tempus arcebantur, qui hoſtem in qualicunq; bello interfeciſſent, fieri haud potuit, ut ſimpliciter omnes, qui Chriſtianis bello ſeſe immiſcere fas non putant, damnarentur. Num ergo *damnandus eſt Tertullianus, cujus verba paulò antè citavimus? num Ambroſius? cujus illud eſt:* Chriſtianus etiamſi in latronem armatum incidat, ferientem referire non poteſt, ne, dum ſalutem defendit, pietatem contaminet. *Idem alibi de ſeipſo:* Coactus repugnare non novi, dolere potero, potero flere, potero gemere; adverſus arma, milites, Gotthos quoque, lachrymæ meæ arma ſunt: aliter nec debeo, nec poſſum reſiſtere. *num Lactantius damnari debet, de quo ipſe Meiſnerus ſtatim aſſerit, quòd videatur omnem damnare militiam?*

XVI: A teſtimoniis orthodoxæ antiquitatis. *Primùm meminit Meiſnerus quorundam, qui ſuam autoritatem contra bella commodâſſe videantur, ut Lactantii, & Nicœnæ Synodi, quæ aliquot annorum pœnitentiam injunxit illis, qui ad fidem converſi rediiſſent ad militiam, can. 11.* Sed videntur, *inquit,* Patres intellexiſſe militiam Ethnicam, & cum abnegatione fidei Chriſtianæ cõjunctam. *Ita tibi videntur, Meiſnere, ſed quo pacto iſtud tuum* videntur *perſpicuum facies? Nonne poterant militiam iſtam circumſcribere, ſi non mili-*

tiam

tiam ipsam damnabant, sed adjuncta tantùm militiæ? Quid? aut militia necessariò tùm fuit conjuncta cum Ethnicis superstitionibus & abnegatione fidei, aut non fuit. Si fuit, non quòd militâssent, (si quidem militia per se est licita) sed quòd Ethnicos ritus ac superstitiones sectati essent, quòd fidem abnegâssent, pœnitentiam agere isti debuerunt. Si non fuit, quomodo simpliciter, qui post conversionem militâssent, tot annorum pœnitentiæ subjici jure potuissent? Manifestum igitur est, tum ex hoc Canone, tum ex aliis veterum Christianorum monumentis, ex quibus etiam nonnulla paulò antè adduximus, non defuisse in illa antiquitate, qui Christianis bella ac militiam haudquaquam concederent. Quam verò antiquitatem orthodoxam esse dicet Meisnerus? an eam, quæ bella prohibet Christianis, an eam quæ concedit? si illam, causâ cadet; si hanc, ipse in sua causa sententiam dicet. Sed nos facilè illi remittemus autoritatem istorum, qui stant pro nobis. Nolumus enim hominum dictis ac sententiis nostra tueri, dummodo nec ille nos cõtrariis urgeat autoritatibus. Quãquam quæ affert testimonia ex Basilio, Cyrillo, Synesio, ea nobis minimè sunt contraria, quippe quæ de bellis agunt ab ipso Magistratu pro communi salute susceptis. Nos verò nunc reprehendimus eos, qui, Christiani cùm sint, in militiam sponte se dant, & operam suam occidendis hostibus addicunt. Augustinus, licèt frequenter urserit illud, Date Cæsari, quæ sunt Cæsaris, *id est, date tributum; non tamen hinc consequitur, Christi-*

anis concessam esse militiam. Si enim dare tributum & militare necessariò sese consequuntur, non solùm hinc colligendum erit, licere Christianis ire in militiam, sed etiam, ut id faciant, Christi præcepto adstringi. Tributum enim pendere non tantùm Christianis licet, sed etiam præceptum est. Imò sequitur, Christianos, exigente Magistratu, etiam ad injustum bellum debere proficisci, quandoquidem etiam tùm, cùm bellum vel maximè injustum geritur, tributa nihilominus pendere teneantur. At, *inquis,* tributa sunt media & nervi bellorum: Ergo, qui illa dare jubet, hæc approbat. *Num igitur etiam injusta bella, num luxum, num inanem vitæ fastum, num lustra & ganea approbavit Christus, cùm tributa non minùs horum omnium, quàm necessariorum bellorum, ut tu loqueris, sint nervi & media? An ignoravit Christus, quàm præclarè Romani illi Imperatores, quibus tùm tributum jussit pendere, pecuniâ ex tributis collectâ uterentur? Magistratus suo jure tributa exigit; quæ dare cùm per se peccatum non sit, imò nisi dentur injustum sæpe sit, propterea non debent Christiani imperium Magistratus in dandis tributis detrectare, ne, dum levem pecuniæ jacturam subire nolunt, Magistratum irritent, doctrinamque Evangelii in odium adducant. Reliqua, quæ ex Augustino pro tua sententia adducis, partim jam suprà refutavimus, partim talia sunt, ut nullam in hoc argumento vim habere facilè deprehendantur, ut* quòd olim sanctus David in armis bellicis militarit,

militarit, & plures illius temporis justi. *Distingue enim, ut idem nisi fallor Augustinus dixit, tempora, & conciliabis Scripturas. Sanctus David & alii* illius temporis, *ut rectè addit Augustinus, justi arma tractârunt, quia illud non tantùm permiserat Lex, sed etiam jußerat, & cædes ac ruinam hostium pro justitiæ præmio proposuerat. At in Evangelica disciplina ne vestigium quidem istorum omnium apparet: Imò & promißionum, quæ cœlestes sunt, non terrenæ, & præceptorum, quibus summa charitas erga omnes, & expreßè etiam erga hostes, summa mansuetudo & injuriarum patientia, maximum pacis cum omnibus hominibus, quantum in nobis est, sectandæ studium Christianis imperatur, ratio ac norma, haudquaquam cum bellis ac cædibus, & cum militari vitæ genere consentit; partim denique nobis contraria non sunt, quale est,* eos, qui Deo autore bella gesserunt, nihil contra illud præceptum fecisse: Non occides. *nam & nos idem fatemur. Deus enim non sibi, sed hominibus leges fixit. Itaque si quis illius jußu & autoritate occidat, contra præceptum, quo homicidia vetantur, peccare non potest. Sed unde probabit Meisnerus, Christianos autore Deo bella gerere? Sanè ubi hoc demonstratum fuerit, non est quod ultrà disputemus. Vltimum etiam Augustini dictum de bello, quod Magistratus ipse pro salute civium gerere cogitur, accipi debet, cùm ait:* Apud veros Dei cultores etiam bella pacata sunt, quæ non cupiditate aut crudelitate, sed pacis studio ge-

runtur, quibus mali coërcentur, boni sublevantur,

XVII. A defectu expressi interdicti. *Hæc ratio num vera sit, videbimus mox, cùm argumenta Socini contra Meisnerianas impugnationes asseremus. Et, ut expressè bellum ac militia Christianis nō fuerit prohibita, sufficit, quòd talia & prohibita & imperata esse ostendantur, quibus prohibitis, aut imperatis, nullus supersit bellandi militandiq́ licentiæ locus.*

III. Argumenta Socini, contra bellandi licentiam allata, ab impugnationibus Meisneri vindicantur.

I. A*Dducit Socinus illud Christi dictum:* Audivistis, quòd dictum sit: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuū. Ego verò dico vobis: diligite inimicos vestros, benedicite devoventibus vos, benefacite iis, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos. *Quomodo enim cædes hostium & inimicorum, proinde bellum militiaq́, nobis erit permissa, si odium erga hostes & inimicos non permittitur, si charitas, & quidem eximia prorsus, imperatur? Illorumne viscera & sanguinem nobis haurire licet, quos & beneficiis variis cumulare, & precibus assiduis apud Deum Patrem nostrum adjuvare obstringimur? Num plus dixisset Christus, si expressis verbis, ne bellum in eos moveremus, ne gladium ad-*

versus

versus eos stringeremus, prohibuisset? Annon, odio omni prohibito, simul etiam cædes ac laniena prohibetur? An benefacere hostibus, precibusq; apud Deum pro eorum salute contendere, non longè plus est, quàm à bello in eos & cædibus abstinere? Nam si dicamus, hoc Christi præceptum non simpliciter, sed restrictè & cum limitatione intelligendum esse, quæcunque tandem ista limitatio sit, tam potuisset expresso belli interdicto adhiberi, quàm nunc istis Christi verbis adhibetur. Itaque non est, cur Meisnerus expressum interdictum, ne Christiani hostes suos armis impetant, requirat, cùm plus etiam, quàm hoc est, à Christo exigi videat.

Sed expendamus, quomodo hoc Christi præceptum restringat Meisnerus. Primò dicit, Christum hîc informare privatos, non exarmare Magistratum publicum. Atqui nos, ut videre potuisti, de privatis, non de publico Magistratu nunc quærimus. Si igitur hoc præceptum, tuâ ipsius sententiâ, ad privatos pertinet, quomodo licebit Christianis in Magistratu nō positis gladium in hostes distringere, si eos ne odisse quidem illis licet? si beneficiis in eos certare debent? præsertim si alii sint qui in bellum duci possint. Præterea haudquaquam tibi cōcedimus, præceptum hoc Christi nō æquè ad Magistratus & publicas personas, quàm ad privatos homines pertinere. Licèt enim Christus cum turbis & hominibus privatis tùm temporis loqueretur; cum discipulis tamen suis, ut ipse addis, loquebatur. Aut ergo dicendum est, Magistratus non

poſſe eſſe Chriſti diſcipulos, quod falſum eſt; aut ſi diſcipuli Chriſti eſſe poſſunt, non minùs ejus præceptis, quàm reliquos obligari confitendum. Quemadmodum enim omnibus diſcipulis ſuis unum & æquale præmium æternæ vitæ Chriſtus propoſuit, ſic una & æquali pietatis & innocentiæ lege cunctos obſtrinxit. Nusquam Chriſtianus aliud eſt, *inquit Tertullianus, quem auctorem aliquoties jam in hoc argumento laudavimus:* Vnum Evangelium, & idem Ieſus. Non admittit ſtatus fidei, allegationem neceſſitatis. Nulla eſt neceſſitas delinquendi, quibus una eſt neceſſitas non delinquendi. *Adde, quòd Chriſtus præceptum ſuum veteri præcepto opponat, quo proximus diligi, hoſtis odio haberi jubetur. Iam verò non privatos tantùm præceptum illud obſtringebat, ſed etiam Magiſtratum: imò hujus partis, qua de nunc agimus, reſpectu Magiſtratum magis, quàm privatos. Quocirca etiam Chriſti præceptum veteri oppoſitum, de diligendis hoſtibus, ſi non magis, ſaltem æquè ſpectat ad Magiſtratum, quàm ad privatos; & quidem optimo jure, cùm Magiſtratus longè magis nocere poſſit hoſtibus, quàm quiſque privatus. Quod non eo fine dicimus, ut Magiſtratui gladium, quem à Deo gerendum accepit, ad plectendos improbos, & bonos defendendos, è manibus extorqueamus: ſed ut videat Magiſtratus, quantopere debeat à bellis & cædibus abhorrere, & gladium iſtum, quo armatus à Deo eſt, in charitatis, ut ſic dicam, vagina, ſi non prematur neceſſitate, reconditum geſtare. Iam ſi quis*

hinc,

hinc, quod de Magistratu concedimus, colligat, privatis similiter non omnino hoc præcepto cædium & fundendi sanguinis jus adimi, is cogitare debet, aliam esse rationem Magistratus, aliam privatorum. Ille enim tale à Deo accepit officium, quod sine gladii potestate consistere non potest. Vnde unà cum officio censenda est & gladii potestas illi à Deo esse tradita; ita ut per hanc & charitas illa in hostes à Christo præcepta, & vicissim potestas gladii per charitatem illam moderanda sit: hoc verò in privatis locum non habet.

Secundò dicit Meisnerus: in Veteri Testamento eandem charitatis regulam viguisse, & pios non minùs obligatos fuisse ad benefaciendum inimicis, Exo:23.45. Levit.19.17,18. Prover.15.21. neq; tamen hinc colligi potuisse, à bellis omnino abstinendum esse. *Respondeo. Eandem charitatis regulam, quam hîc Christus tradit, sub Veteri Fœdere viguisse, apertè falsum est. Opposita enim sunt,* odio habebis inimicum tuum, *quod Legis est;* &, diliges inimicum tuum, *quod Christus hîc præcipit. Dices* Christum præceptum hoc suum non Legis alicui præcepto, sed Pharisaico instituto opponere. *Sed quo argumento? Num ergo &* diligere proximum, *quod unà cum* odio inimici *conjunxit Christus, & utriq; simul sua verba opponit, Pharisaicum erat, non verò ipsius Legis institutum?* At Lex, *inquies,* inimicos diligere, iisq; benefacere jubebat. *Audio. Sed quos inimicos? Eos*

scilicet,

scilicet, quos jam sub proximi nomine comprehenderat, quod ex altero, quem citas, loco Lev. 19. 17, 18. manifestum est. Vbi is, qui Ex: 23. 45. (qui prior est à te citatus locus) inimicus, & odiens te, *vocatur;* frater tuus, filius populi tui, proximus, *nominatur. Idem fit Deut. 22. 1. ubi præceptum Exo: 23. 4. 5. datum repetitur, & fratris nomine inimicus includitur. Amicus enim sub Lege vocabatur non solùm qui erat, sed qui debebat esse: esse verò debebat is, qui Israëlita erat. Itaq; iste, qui Exo: 23. 45. inimicus vocatur, amicus erat. Amicus, quia Israëlita; inimicus, quia odio alterum prosequebatur, ut ibi statim additur. qui enim priùs* inimicus *dicitur, postea* odiens te *nominatur. At cùm inimicus proximo opponitur, quemadmodum fit in istis verbis, quibus Christus præceptum suum opposuit, eum Lex diligere minimè præcepit, quin potiùs odisse & insectari jussit. Nam quod attinet ad septem illos populos, in quorum possessiones missi fuerant à Deo Israëlitæ, iis parcere non debuerunt, nec ullum cum iis fœdus percutere, sed internecivo bello eos persequi. Septem istis populis addendi sunt Amalecitæ, de quibus Moses:* Amalecitarum memoriam de rerum natura aboletote, néve hoc oblivioni mandatote. *De remotioribus verò hostibus eam acceperant Israëlitæ legem, ut non alia conditione belli finem facerent, quàm aut hostibus, si pacem inire vellent, in servitutem redactis; aut, si bello experiri mallent, omni eorum pube viriq; deletis. En charitatem Legalem erga eos, quos*

Lex proximorum nomine haud censebat, quiq; inimico erant in Israëlitas animo. Isti ergo legi, quæ solos proximos, id est, Israëlitas diligere, inimicos verò seu hostes odisse jubebat, suam legem Evangelicam hîc opponit Christus, jubens, contrà quàm faciebat lex, hostes & inimicos diligere. Quomodo igitur dicere audes, eandem charitatis regulam sub Lege viguisse? At enim inquis, etiam contra fratres, quos diligere Lex jussit, multi sanctissimi viri bella gesserunt, *Iud. 20. Vnde concludes, posse cum dilectione, sive proximi, sive hostium, bella consistere? Hîc primùm, si ex sanctitate eorum, qui bella contra fratres Iud. 20. gesserunt, ut videris, argumentum ductis, id sumis, quod nec à te probari, nec probatum quidquam te juvare possit. Quo enim argumento nos docebis, non solùm sanctos, sed etiam sanctissimos viros fuisse istos, qui Benjaminiticam tribum penè deleverunt? Et ut demus, sanctos, imò, ut tu vis, sanctissimos fuisse, sanè nõnisi Legalis disciplinæ respectu sanctissimi fuerunt. At nunc, utrum Evangelicæ pietatis mensuram sanctitas Legalis expleverit, vel maximè ambigimus. Si verò ex ipsa Legis disciplina, quæ bella in fratres concedebat, imò sæpe etiam jubebat, colligis, posse bella cum charitatis isto præcepto consistere, nihil agis. Magnum enim hac in parte inter Legem & Evangelium discrimen est. Nam primùm, quoties aliqua Israëlitarum pars hostis reliquorum evaserat, jam eo ipso charitatis isto jure excidebat, licitumq; in eam, tanquam communem hostem, erat odium. Quod*

sub Evan-

sub Evangelio locum non habet, ex cujus disciplina etiam hostibus amor debetur. Deinde lex ista generalis, de diligendo proximo seu fratre, multis specialibus legibus restringebatur, sive respectu publicæ, sive respectu privatæ charitatis. Sic publicè lex extabat, ut si civitas aliqua Israëlitica ad falsorum Deorum cultum deficeret, funditus everteretur: variis præterea sceleribus varia erant destinata supplicia per Iudices omnino exigenda: unde fiebat, ut si pars aliqua reipublicæ vel ipsa se scelere quopiam obstrinxisset, vel sontes punire recusaret, quod Benjaminitica tribus Iud. 20. fecerat, reliquum reipublicæ corpus pœnas de ea sumere jure potuerit, imò debuerit; pœna autem de multis armatis, qui, ut rei fiant, acie vincendi sunt, non nisi bello sumi potest. Privata etiam charitas in proximum multis in Lege concessionibus arctabatur. Licebat illic, ut vidimus, Magistratus ope injurias ulcisci: licebat oculum pro oculo, dentem pro dente exigere: licebat vim vi in quavis injuria repellere, & iram iræ opponere: licebat semper res raptas & raptores judicio persequi: licebat sive donum, sive mutuum absq; pignore petenti non dare, nec mutuari: licebat in ingratos beneficia non conferre; licebat in furto deprehensum ante solis exortum etiam ad mortem plagis concidere. At verò præceptum istud de diligendo proximo nullis specialibus legibus, nullis ejusmodi concessionibus sub Evangelio restrictum ac coarctatum legimus, quin potiùs Christianæ Religionis ratio postulat, ut quàm latissimè, quemadmodum

admodum ipſam proximi appellationem, ſic etiam charitatem proximo debitam extendamus. Itaq; præceptum diligendi proximi ſub Evangelio non ſolùm in majori latitudine, quàm olim, ſed etiam in perfectiori, imò, quantum res ipſa patitur, in perfectiſſimo charitatis gradu accipiendum eſt. Vnde videre eſt, diligendos nobis nunc magis eſſe hoſtes ipſos, quàm olim ſub Lege diligi jubebantur fratres. Nam quod *ad eos attinet, qui noſtri nunc fratres ſunt, id eſt, qui Chriſti diſciplinam unà nobiscum amplectuntur, illis tanta charitate obſtringimur, ut non ſolùm creberrimas injurias ex animo illis condonare, & ab omni adverſum eos vindicta abſtinere, ſed etiam animas noſtras, quibus nil nobis carius eſſe poteſt, pro iis, quoties eſt opus, exponere debeamus. Hinc jam perſpicis Meiſnere, quantum Lex Moſaica ab Evangelica perſectione in hoc diligendi præcepto diſtet. Ideoq; non ſequitur, poſſe bella & cædes hominum, cum diligendi proximi præcepto, æquè ſub Evangelio quàm olim ſub Lege, cõſiſtere. Præceptum Exo: 23. v. 4 5. de reducendo errante, aut ſublevando ſub onere concidente bove inimici, non merebatur in medium adduci; cùm hæc res adeò eſſet exigua, ut humanitatis ſit expers & amens odio, (odium autem proximi in Lege prohibitum fuit) qui id facere detrectaret. Quòd verò Levit: 19. 17, 18. præcipitur,* ne odio habeas fratrem tuum in corde tuo, non ulciſceris te, & non obſervabis filios populi tui, & diliges proximum tuum ſicut te, *ſimiliter multo minus eſt,*
quàm

quàm quod in Evangelio exigitur. Hic enim tantùm odium erga fratrem, sub Evangelio etiam ira, quæ in voluntate nocendi consistit, vetatur, Hic obsoletarum injuriarum tantùm, sub Evangelio etiam maximè recentium omnis ultio, sive privata sit, sive publica, prohibetur. Ex istis porrò specialibus de proximi dilectione præceptis constare potest, quo sensu generalia accipi debeant. Generalia enim præcepta accommodatè ad specialia, quæ propriè præcepta sunt, debent intelligi, ita ut generalia nihil amplius includant, quàm omnia specialia simul sumta. Quod ex proverbiis Solomonis citatur, non debet habere vim præcepti divini in Lege traditi, sed tantùm præcepti, seu potiùs consilii à sapiente viro profecti. Ideo etiam postquam dixisset: Si esurierit odio te habens, ciba illum pane, si sitiverit, propina ei aquam, *nō eam subjicit istius præcepti observandi causam, quæ ostendat, Deum id omnino velle & exigere; sed tantùm quæ nos ad illud observandum invitet & alliciat:* Quia, *inquit*, prunas colliges super caput ejus, & Dominus reddet tibi. *Sed etiamsi hoc quoq; Lex jussisset, num idcirco paria faciet charitas ista, qua cibo & potu reficimus inimicos, illi charitati, quam erga inimicos à nobis exigit lex Christi?* Videte, *inquit Paulus*, ne quis malum pro malo alicui reddat; sed semper quod bonum est sectamini alii in alios, & in omnes. *Quæ major & perfectior charitas nobis imperari potuit?* Non *solùm malum malo rependere vetamur, sed etiam pro inju-*

tia

ria beneficium reddere, idq́, omni & temporis & hominum diſcrimine ſublato, jubemur. Quàm longè ab hac perfectione abfuit diſciplina Moſaica, quæ non ſolùm erga hoſtes publicos, cædes & bella, ſed etiam erga privatos inimicos, eosq́, fratres, vim & iram, in vi & injuria repellenda, vindictæ per Magiſtratum exactionem, permittebat, nedum ut beneficiis cum maleficiis, certare eaq́, vincere nos juſſerit. Deniq́, quod concludens ais, ſic eſſe intelligendam hanc legem de diligendis inimicis, ne tollatur vindicta publica, *nihil nobis contrarium concludis. Neque enim, ut ſæpe jam monuimus, id agimus, ut Magiſtratui jus puniendi adimamus, ſed ut Christianos homines, qui Magiſtratus non ſunt, à bellis & cædibus, ab accuſationibus etiam capitalibus, aut aliam aliquam vindictam ſpirantibus arceamus.*

Tertio loco dicis: magnam eſſe differentiam inter inimicos. Quosdam enim privatos eſſe, quosdam publicos. Illis condonandum & benefaciendum: his reſiſtendum, ne periclitetur tota Eccleſia. *Ex iis, quæ ſuperiùs ſunt dicta, intelligere potuiſti, præceptum hoc Chriſti de diligendis inimicis maximè ad publicos inimicos ſeu hoſtes ſpectare. De iſtis enim dictum in lege erat,* Odio habebis inimicum tuum. *Huic verò dicto opponit Chriſtus ſuum præceptum, & quos Lex damnavit ad odium, hos Chriſti diſciplina amandos pronunciavit. Obſtringi autem hoc præcepto non privatos tantùm, ſed & Magiſtratus, ſuprà docuimus. Unde etiam perſpi-*

cere licet, Scripturam, quæ severitatem à Magistratû in vindicandis & propulsandis injuriis requirit, quod statim Meisnerus subjicit, ad ea tempora pertinere, quibus hostes publico odio devoti fuerant. Magistratum Christianum clementia & lenitas, summaq́; à cædibus abstinentia maximè decet.

Quartò, Addimus, *inquis,* charitatem utrumq; postulare, tum ut benefaciamus inimicis, tum ut defendamus innoxios; præsertim si accedat officii ratio. Defendi autem quandoq; haud posse pios, nisi per arma resistatur manifestæ violentiæ. Hîc igitur teneri debet medium, ne ita diligantur inimici & peccatores, ut deserantur amici & innocentes. *Si est aliqua ratio, quæ doceat, hoc Christi præceptum de diligendis hostibus cum limitatione aliqua & exceptione intelligi debere; hæc esse, quam hic affers, (licèt eam obiter & additamenti tantùm cujusdam loco afferas) videri posset. Verùm etiamsi Christus disertis verbis bello & hominum cædibus nobis interdixisset, nihilominus eadem ista limitatio adhiberi potuisset. Et de Magistratu quidem non est quod disputemus, cujus hoc est munus & officium, innocentes tueri, improbos coërcere: de eo, quid privatim Christianis hic liceat, quærimus. Et defendere quidem innoxios, charitas à quovis postulat: verùm, num ea defensio etiam ad cædem nocentis progredi debeat, ambigitur. At,* nisi id fiat, *inquis,* deseruntur amici & innocentes. *Imò verò non deseruntur, si quidquid extra cædem hostium*

hoſtium poßumus, etiam propriam vitam periculis objectantes, pro eorum ſalute facimus. Num ſi quis, ut innocentem & amicum conſervaret, turpe quidpiam facere recuſaret, deſertor amici & innocentis dicendus eßet? Itaq; non antè deſertionem amicorum & innocentum objicere potes iis, qui à cæde inimicorum puras manus ſervant, quàm eorum cædem cum Chriſti præceptis haud pugnare viceris. Nam ſi Chriſtianum non eſt, cædem cæde occupare: minimè contra charitatem amico & innocenti debitam Chriſtianus peccabit, qui hoc facere noluerit. Chriſtianum verò id eſſe idcirco non videtur, quòd cum charitate inimici, quem diligere juſſi ſumus, conciliari non poſſit. Et quemadmodum non ſic diligendi ſunt hoſtes, ut charitatem, quam amicis & innocentibus debemus, violemus: ſic viciſſim non ita amandi ſunt amici & innocentes, ut charitatis hoſtibus debitæ obliviſcamur. Et hoc erit verè medium, ſi ita & amicos & innocentes defendamus, & hoſtes arceamus, ut utrorumq; charitati conſulamus. Alteram autem alterius cauſa deſerere, eſt à medio ad alterum extremum deflectere. Pertinet huc Ambroſii illud: Chriſtianus etiamſi in latronem armatum incidat, ferientem referire non poteſt, ne, dum ſalutem defendit, pietatem contaminet. *itemq; illud:* Coactus repugnare non novi, dolere potero, potero flere, potero gemere: adverſus arma, milites, Gothosquoq; lachrymæ meæ arma ſunt. Aliter nec debeo nec poſſum reſiſtere. *Divus e-*

Iac. 5. 6. *tiam Iacobus ait, justum à potentibus & divitibus occisum, iis non restitisse: eo ipso indicans, quanta sit justorum lenitas ac mansuetudo, ut etiam occidi sese impunè instar ovium patiantur.*

Quintò ais: ipsam cohibitionem & resistentiam esse quoddam benefactum, quia sic licentia peccandi malis adimitur, & per violenta remedia multi curantur. *Ego verò neutiquam ambigere te puto, Christum, cùm hoc præceptum daret, minimè de isto benefaciendi genere cogitasse. Sanè nimiùm acuti videntur, qui ad charitatem & beneficia hostibus lege Christi debita, enses, cædes, mortes referunt. Nos ita ingeniosi non sumus, ut ignem & aquam uni arundini includere norimus. Verùm hac de re plura diximus in responsione ad argumentum decimum tertium.*

Sextò & ultimò dicis: Christum, quoad dilectionem inimicorum, remittere nos ad exemplum Patris cœlestis, v. 45. qui sic diligat inimicos suos, ut nonnunquam freno & hamo coërceat, &c. *Psal. 32. 9. Rectè dicis, Christum nos remittere ad exemplum Patris cœlestis, quod attinet ad* dilectionem inimicorum. *Non ergo nos remittit, quod attinet ad eorum ultionem & pœnam. Neq; enim sequitur, si Deo licet inimicos suos punire & ulcisci, nobis etiam idem facere licere.* Non *si quibusdam in rebus nobis Deus proponitur imitandus, idcirco imitandus est in omnibus. Quædam enim sunt, quæ ab ipsius summo in omnes creaturas dominationis ju-*

nis jure proficiſcuntur, quale eſt jus pœnæ & ultionis de inimicis ſuis ſumendæ. Et in talibus nemo eum imitari debet aut poteſt, niſi is, cui Deus ipſe jus hoc poteſtatemq́; conceſſit. Veterum, quas hîc citas, ſententiæ nihil de occidendis hominibus agunt, tantùm oſtendunt, adhibendam interdum erga homines eſſe aſperitatem & ſeveritatem quandam, cùm id correctio eorum poſtulat, correctio, inquam, Meiſnere, quæ certè non fit occidendo. Itaq; non quævis ſeveritas & aſperitas intelligenda eſt, ſed, ut in his ipſis, quas affers, ſententiis dicitur, charitate & benevolentia, lenitate, benignitate temperata.

II. Socini argumentum ſumtum eſt ex antiquiſſimo illo & ſeveriſſimo Dei præcepto Noacho ſtatim poſt diluvium dato, de ſangvine humano non fundendo, Gen. 9. 6. Quod præceptum cùm ſub Evangelio nihil inveniatur immutatum, aut de eo quidquam remiſſum, hinc concludit, illicitum eſſe ita vim vi repellere, ut humanus ſangvis fundatur. Regerit Meiſnerus, ut ſolet, multa. Primò præceptum iſtud ſub Veteri Teſtamento viguiſſe: Magiſtratum tamen ſine illius violatione facinoroſos vitâ privaſſe, & bella publica geſſiſſe. ideoq; hanc legem non abſolutè & prorſus illimitatè eſſe accipiendam. *Reſpondeo primò, nos non agere de Magiſtratu, ſed de privatis. Secundò, jam hoc ſuſtulit Socinus, dum dixit, Deum ſub Veteri Teſtamento multis modis declaraſſe, ſe tùm hoſtium cædem non improbare. Huc pertinet, quod promiſerit Iſraëlitis,*

 fore,

fore, ut, si Legem servaßent, hostes suos ante se cæsos corruere visuri eßent. Et nos suprà ostendimus, Deum multis expressis & specialibus legibus hoc antiquum suum præceptum olim limitâße ac restrinxiße. At verò in Evangelica disciplina nihil tale apparet, quod præceptum istud restringat ac limitet. Si dixerit, Abrahamum hujus præcepti divini optimè procul dubio gnarum, quamvis nulla speciali lege edoctus esset, poße aliquando fundi sanguinem, nihilominus bellum moviße in regulos Chananæos, & in eorum exercitu stragem ediδiße, neque tamen hoc factum Deo displicuiße: respondemus, Abrahamum istud feciße dictante lege naturæ, quæ hostem & invasorem invadere, & vim vi repellere permittit. Concedimus autem libenter, temporis illius respectu non debuiße hoc præceptum tam latè extendi, ut etiam naturæ istam, quam diximus, legem excluderet. In illa enim tempora tanta perfectio non cadebat. Verùm cùm Evangelicæ pietatis præcepta ulteriùs nos obligent, quàm jura naturæ, idcirco huic præcepto, ut Mosis, sic naturæ leges non debent quidquam derogare. Dicit secundò, ipsum Deum limitationem addidisse, cùm dixit: per hominem fundetur sanguis ejus, *nempe,* qui sanguinem humanum effuderit. *His enim verbis,* per hominem fundetur sanguis ejus, *putat à Deo decerni & juberi, ut homo homicidam perimat, in pœnam homicidii. Fateor non paucos eße, qui hæc verba hoc modo accipienda putent, licèt per istum hominem, per quem homicidæ*

sanguis

sanguis fundi debeat, non omnes Magistratum, sed aliqui quemvis hominem intelligendum esse contendant, sic ut Deus decrevisse censendus sit, ut insons esset quisquis homicidam occidisset. Hac enim ratione cædium licentiam maximè cohiberi potuisse putant. Verùm non videtur esse verisimile, Deum promiscuam cuivis occidendi homicidas fecisse potestatem, quæ facilè in cædium multiplicationem verteret. Magistratum etiam inter paucos illos homines diluvio superstites his verbis institutum fuisse, adhuc minùs est probabile. Quocirca, etiamsi daremus, Hebraicum beadam *ita esse interpretandum, ut vult Meisnerus,* per hominem, *non tamen hinc colligi posset, Deum his verbis constituere, ut ab homine sanguis homicidæ fundatur, qua de re superiùs egimus in examinatione sexti argumenti Meisneriani. Verùm Hebraicum* beadam *propriè significat* in homine: *ideoq; Hebraica verba, quibus præceptum istud continetur, commodissimè sic verti possunt:* Qui effuderit sanguinem hominis, (qui est) in homine, sanguis ejus effundetur. *Hebraicum enim illud* ascher, *quo pronomen relativum significatur, crebrò omitti solet. Hoc si fiat, jam videt Meisnerus frustra se istis verbis* per hominem *tantopere niti. Ista enim interpretatione admissa, tantùm homicidis denunciatur, quid eos maneat, nempe sanguinis eorum effusio, cæterùm à quo, seu per quem sanguis illorum fundendus sit, reticetur. Facilè autem intelligi poterat, Deum ipsum fore vindicem. Cur enim non æ-*

què seipsum in homines homicidas, quàm in bestias vindicem constitueret? Tertio loco dicis, distinguendum esse inter sanguinis innocentis effusionem temerariam privatamq;: & inter sanguinis noxii ob perpetrata maleficia effusionem necessariam publicam & judicialem. *Dicere potiùs debebas, distinguendum esse inter sanguinis nocentis & innocentis; inter privatam & publicam effusionem. Dum enim solius innocentis sanguinis mentionem facis, tacitè concedere videris, posse nocentem sanguinem privatim fundi. At quemadmodum innocens sanguis non tantùm privatim, sed neq; publicè fundendus est, sic nocens, etiamsi publicè fundi possit, privatim fundi neutiquam debet. Verùm quid hinc infers Meisnere?* Illam Deus prohibet, *inquis,* hanc præcipit: ab illâ abstineant privati; hanc judices non intermittant. *Atqui non de judicibus agimus, sed de privatis. Tuâ igitur sententiâ abstinere debent privati à cædibus. Adeo autem veteris, ne judices & magistratus segniores fiant in capitalibus pœnis irrogandis, & gladio vibrando, ut dicas præceptum id illis à Deo esse, sic ut non debeant noxii sanguinis fusionem intermittere. Non sufficit tibi vitæ necisq; potestatem judicibus tribuere, nisi etiam eâ non utendi libertatem iis eripias. At ubi quæso istud præceptum judicibus datum in Evangelio legisti? Ex hoc ipso dicto, inquies, id apparet,* quo nullum fortius pro vobis, & pro publico jure gladii allegari à Socino potuisse *existimas. Num*

id ex

id ex hoc dicto appareat, numq́; per illud jus gladii aßeratur, paulò antè vidimus.

Quartò denique affirmat Meisnerus, istam legem Gen. 9. de pœna capitali homicidarum, sub Novo Testamento à Christo esse repetitam & confirmatam in illis verbis, Matth. 26. 52: Qui gladium acceperit, gladio peribit; & ab Apostolo, Apoc 13. 10: Qui gladio occiderit, oportet eum gladio occidi. *Nondum ostendisti, in isto loco Geneseos cap. 9. agi de pœna capitali homicidarum per Magistratum irroganda, nec si ageretur, Christum Matth. 26. 52. & Iohannem Apoc. 13. 10. ad istum locum respicere. Imò si respiciunt, non magis in illo loco de pœna capitali per Magistratum homicidis infligenda agetur, quàm in istis agitur. At verò in duobus istis locis de pœna capitis, quæ decreto Magistratus ab homicidis exigatur, agi, nullum indicium extat; quin potiùs posterior locus contrarium ostendit. Postquam enim prædixißet Iohannes, Bestiam illam horrendam sanctos superaturam, id est, maximis afflictionibus vexaturam, subjungit hæc verba:* Si quis captivitatem *(id est, captivorum turmas)* congregat, in captivitatem abit: si qui in gladio occidet, oportet ipsum in gladio occidi. Hic est patientia & fides sanctorum. *Quibus verbis vel pœna denunciatur servis Bestiæ, quorum operâ plurimi sanctorum capti, plurimi interfecti fuerunt; vel sanctis interdicitur prorsus, ne vim vi repellant, nec hostes persecutores suos*

vicißim vel capiant, vel cædant. Si illud, quemadmodum plerique interpretibus videtur, quivis videt, hanc pœnam captivitatis & gladii, servis Bestiæ propterea, quòd in sanctos graßati fuerint, per judices irrogandam minimè fuiße. Per quos enim judices, Imperatores illi Romani, qui procul dubio per hanc Bestiam significantur, aut eorum servi, puniti fuerunt, quod sanctos vexârint? Nonne Deus ipse fuit istius gravißimi peccati vindex, qui Imperatoribus illis, eorumq́; servis tantam hostium vim immisit, ut eadem, quæ ipsi sanctis fecerant, pati cogerentur? Et ideo dictum est non simpliciter, gladio occiditur, *sed* oportet eum gladio occidi, *ut indicetur, Deum ipsum cædium istarum certum fore vindicem, non verò Magistratum aliquem, cujus manus innumeri homicidæ effugiunt. Si verò dicamus, his verbis interdici sanctis, ne adversum hostes & persecutores suos bellum moveant, & cædes cædibus, captivitatem captivitate repellant, futurum alioquin, ut eos certò captivitas cædesq́; maneant; quem sensum suadere videri poßent addita verba,* Hic est tolerantia & fides sanctorum: *jam non solùm inde perspicuum est, agi hìc de clade ac cædibus bellicis, quæ sanctos justo Dei judicio maneant, si vim vi, arma armis opponant, non verò de pœna capitis per Iudices irroganda: sed etiam minimè conceßum eße sanctis vim hostium à cervicibus suis vi & armis depellere. Hinc Cyprianus, quæ verba etiam superiùs alicubi citavimus:* Quamvis nimius & copiosus noster sit populus, non

lus, non tamen adversus violentiam se ulciscitur, patitur. *Ex hac pietate profectum etiam est, quòd Thebæa legio, licèt armata, licèt in bellis exercitata, numero etiã haud exigua, sponte abjectis armis, impune sese cædendum hostibus præbuerit, ut imitaretur Christi ducis & regis sui exemplum, qui* ut agnus ad mactationem ductus est, & coram tondente non aperuit os suum. *Unde & Paulus de Christiano populo illa Psalmi verba meritò usurpat:* Propter te occidimur totum diem, reputati sumus ut oves mactationis. *Innumera istius pietatis & patientiæ exempla in prima illa Ecclesia extiterunt. Neque id ea de causa factum est, quòd Christiani non possent hostium suorum crudelitati resistere, quemadmodum olim Iudæis ab Antiocho oppressis vexatisq́ue usu venit; sed quòd nollent, nec pietati Christianæ ullo pacto consonum id esse crederent.* Cui bello *(ut Tertulliani verba iterum hîc citemus)* non idonei, non prompti fuissemus, etiam copiis impares, si non apud istam disciplinam magis occidi liceret, quàm occidere? *Itaq́ue perspicuum est, in hoc loco nihil agi de exactione pœnæ capitalis Magistratibus à Deo injuncta: quin potiùs agi de summa sanctorum (id est, Christianorum omnium) patientia, quâ fiat, ut ab omni adversum hostes violentia abstineant, & non secùs ac grex innoxiarum ovium laniari sese & occidi impunè permittant.*

Dixerat Socinus, Deum sub Lege multis modis decla-

dis declarasse, se non improbare bella & cædes hostium. *Hic duo reponit Meisnerus. primò patere hinc ait*, bella gerere non esse simpliciter legi naturæ, vel charitati proximi contrarium. quia ἀνοσιωδῶς malum, & legi morali per se cō-trarium, Deo semper displicet. *Quod ἀνοσιωδῶς malum est, & legi morali (si ea non ultra legem naturæ extendatur) contrarium, istud Deo semper displicere, verum est: Sed primò quædam sunt talia, quæ, si Dei jussus, approbatio, aut etiam permissio accedat, eo ipso turpitudinem suam deponant. Atq; in horum numerum referimus bella & hominum cædes, si à Deo vel jubeantur, vel approbentur, vel permittantur. qua de re superiùs in responsione ad II. argumentum Meisneri egimus. Eos actus, qui, etiamsi Dei jussus aut permissio accederet, turpitudinem suam moralem retinerent, à Deo unquam vel juberi vel etiam permitti negamus: sed tale non est, hominem quemcunq; nedum hostem occidere. Secundò minimè dicimus, bella gerere simpliciter esse legi naturæ contrarium, neq; ex hoc fundamento contra bella pugnamus. Dicimus id contrarium esse illi præcepto, quo jubemur proximum (proximi nomine etiam ad hostes prolato) diligere, ei benefacere, Deum deniq; pro eo orare.* At, *inquis*, Deo semper displicet, quidquid charitati proximi contrarium est. *Hoc falsum esse suprà ostendimus, præsertim si de charitate in suo genere summa & perfecta, qualis sub Novo Fœdere requiritur, loquamur. Multa enim*

Deus

Deus & permisit & jussit olim, quæ cum tali proximi charitate pugnabant. Hoc quidem verissimum est, Deo minùs ea placere, quæ charitati proximi non undiquaq; & ad amussim respondent. patet hoc evidenter ex eo, quòd noluerit Deus, ut David sibi templum extrueret, quia vir sangvinum eßet, id est, multum humani sangvinis fudißet, cùm tamen David non alia, quàm Dei bella gessißet; verùm non idcirco Deo planè displicere, aut ab illo approbari, vel etiam juberi non poße dicenda sunt illa, quæ ipsi minùs placent, id est, quæ summum sanctitatis & innocentiæ apicem non attingunt. Itaq; nequaquam, ut tibi videtur, cadit illa nostra thesis, qua dicimus, omnem sangvinis effusionem dilectioni proximi adversari. Hinc verò nequaquam concludimus, quod tu nos concludentes facis, nempe Deum illimitatè *omnem sangvinis effusionem prohibuiße, sed eam tantùm, quæ nullo speciali jure & privilegio, quod aliquem isti generali charitatis legi eximere possit, nititur. Alterum est, quod affert, nempe Deum sub Novo Fœdere similiter multis modis declaraße, se simpliciter bella non improbare, ad quod probandum refert sese ad superiora sua argumenta, quæ quia à nobis jam diluta sunt, non est cur hîc diutiùs hæreamus.*

Dixit, ut vidimus, Socinus, Deum olim sub Veteri Fœdere multis modis declarasse, se hostium occisionem non improbare; *istius rei causam etiam attulit, nempe* quòd Deus Israëlitis terrenum regnum & possessionem dedisset,

quam

quam ab ipsis defendi ac conservari voluerit. quod fieri non potuisset, si hostes irruentes armis propulsare & occidere non licuisset. *Hanc causam reprehendens Meisnerus*, neq; universalem eam esse dicit, neq; sibi adversam. *Non illud*, quia & Abrahamus, & ipsi Israëlitæ alia etiam ex causa sæpe pugnassent. *Non hoc*, quia & Christianis suæ sint possessiones ac regiones, quas meritò contra vim hostium tueri debeant. *Vtrumq; videamus, & prius primum. Ignoras hîc elenchum Meisnere, qui Socinum causam bellorum in universum hanc, quam diximus, afferre statuis: cùm ille 1. nonnisi de Israëlitis, seu iis, quibus disciplinam Moses dederat, loquatur; unde Abrahami pro Loti liberatione expedientis arma, & in hostes irruentis exemplum ad rem non facit. 2. cùm loquatur non de quovis Israëlitarum bello, sed de eo, quod adversum hostes regnum ipsorum invadentes illis gerendum eßet. Vnde neq; secundo exemplo belli Israëlitici adversus tribum Benjaminiticam, aut alios fratres, locus relinquitur. Adversus hostes externos ea de causa potissimùm bellum gerebant Israëlitæ, ut regnum suum firmarent & defenderent: adversus fratres verò alia ex causa, quam etiam Lex expreßerat, nempe quoties alia ratione, quàm bello, facinus ex Israëlitis tollere (tollere autem jussi à Deo fuerant) non poßent. Adde, quod Israëlitæ, antequam Benjaminitas aggrederentur, præsertim clade suorum moniti, Deum consuluerint, num id sibi faciendum*

endum

endum eßet, & jussi demum bello eos adorti victoriamq; consecuti sunt. Accedamus ad secundum. Ais, & Christianis suas esse possessiones ac regiones, quas meritò contra vim hostium tueri debeant. *Sunt quidem, Meisnere; sed à Deo illis assignatæ, & tanquam proprium patrimonium ac hæreditas traditæ non sunt, quas omnino tueri ac defendere debeant. Itaq; magna hîc est inter Christianum & Israëliticum populum diversitas. Unde non sequitur, si Israëlitis licuit hostes irruentes ferro prosternere, idem & Christianis licere.* At omnia bona, *inquis*, quæ licitè possidentur, qualiacunque & ubicunque sint, tueri etiam licet, aliàs latrociniorum & publicarum vastationum nullus esset futurus finis. *Hæc jam est alia ratio, Meisnere, cur Christianis bella concedenda sint, non verò quòd utriusq; populi, & Israëlitici & Christiani, par sit ratio, sic ut causa à Socino assignata, cur Israëlitis hostem armis impetere licuerit, non sit Christianis contraria, sed æquè in Christianis & Israëlitis locum habeat. Deinde ista ratio nequaquam cogit ad inducendam bellandi licentiam. Illa verò, quam Socinus de Israëlitis affert, talis est, ut neceßariò secum bellandi licentiam trahat.* At, non propterea bellandi licentiam tolli, *inquies*, quia nunc talis bellandi causa Christianis non sit, qualis Israëlitis fuerit, cùm aliæ præter hanc esse possint, nempe ut nostra, quæ optimo jure possidemus, tueamur, & latrociniis ac publicis vasta-

tionibus

tionibus occurramus. *At verò nihil hoc contra Socinum, qui hîc non de simplici bellandi licentia, quocunq; ex jure profecta agit; sed de tali licentia ad quam Deus ipse sua declaratione jus dedißet. qualem populus Israëliticus habuit. quod sanè non aliunde profectum erat, quàm ex assignata illis à Deo possessione, regnoq́; terreno, quod ipsimet divino freti auxilio propugnarent ac defenderent. Quod verò ad istam causam, ob quam bella, etiam sine divina declaratione, licita eße contendis, attinet, ad hanc in argumentorum tuorum examinatione jam responsum est. Hoc tantùm hîc dicimus, bellis latrocinia & publicas vastationes sæpenumero non cohiberi, sed augeri & exerceri; videturq́; citiùs latrociniis & vastationibus finis imponi, si non sint qui resistant, & ferrum ferro, ignes ignibus opponant, sed pelli sese, & occidi etiam, quoties Deus permiserit, impunè ferant. Quia enim ex una tantùm parte vis eßet, non ex utraq;, idcirco minor, minusq́; noxia eßet; & sæpenumero pios sua innocentia magis tutaretur, quàm ferrum & arma. Verè enim à Davide dictum est,* mansuetos terram hæredituros: *quod sanè non solùm de futuræ illius novæ terræ, & novi cœli, sed etiam de istius, quam nunc incolimus, terræ hæreditate debet intelligi. Tanta verò patientia & mansuetudo in quibusvis injuriis perferendis, quos homines, quem populum magis deceret, quam Christianos? qui in hac terra non secùs ac peregrini quidam degunt, qui hîc civitatem permanentem non habent, sed*

eorum

eorum patria, civitas, ac respublica in cœlis est: unde etiam servatorem expectant, Iesum Christum. Adeonè magnum est res terrenas omnes & vitam ipsam despicere, nullos tumultus, nullas turbas eorum causa dare, non ferrum jugulis hostium intentare & imprimere, si cœlestia illa gaudia & regna nullis unquam seculis casura nos expectant? Nulla est, *inquis*, consequentia. Deus in Novo Testamento jussit cœlum inquirere, posthabitâ terrâ. Ergo hostium propulsationem non approbat. *Non erat tibi fingenda consequentia, Meisnere, & sic minimè nullam, sed firmam esse vidisses. Socinus enim ex eo, quòd Deus sub Novo Testamento nullam populo suo terrenam possessionem dederit, sed posthabitâ terrâ cœlum eos inquirere jusserit, non colligit Deum idcirco bella non approbare, id est, improbare: sed* propterea (*ut ipsius verba disertè habent*) nulla ratione unquam, vel per Christum, vel per ejus Apostolos declarasse, se hostium invadentium propulsationem cum ipsorum nece conjunctam approbare. *Atqui longè aliud est, non approbare, id est, improbare cædem hostium; aliud, nuspiam declarare, se illam approbare. Illud planè cædem hostium excludit: hoc nondum, nisi aliquid aliud accedat. Verissimum autem est quod dicit Socinus, nempe nec uspiam in N.T. Christum declarâsse, se hostium cædem approbare, quin potiùs jussisse ut hostes diligamus, iisq; benefaciamus; quod multò plus est, quàm sangvinem eorum non fundere: & idcirco id*

factum esse, quòd ratio & analogia Novi Fœderis *postulet, ne quidquam in eo dicatur, quod rebus terrenis precium aliquod conciliare, & earum curam animis nostris inserere possit. quod certè factum fuisset, si Deus nobis sub* N. F. *bellandi jus aperta declaratione indulsisset. Necesse enim est, ut magno in pretio habeamus id, cujus causâ multorum hominum vitam appetere, nostramq; vicissim pari discrimini objicere, & cuncta cædibus ac tumultibus miscere fas sit. Quæ hîc ad evertendam illam, quam tute finxisti, consequentiam, subjungis, ea, ut jam perspicere potes, nihil ad rhombum.* Subordinata, *inquis*, sunt ista, (nempe posthabita terra cœlum inquirere, & hostes occidere) nec unum tollit alterum. *At subordinata non sunt, præcipere hujus vitæ & terræ contemtum, solum cœli amorem hominibus inserere, à rerum mundanarum cura eos avocare, hostes, idq; tùm cùm nos persequuntur, diligendos jubere: & tamen iisdem, ut bella gerant, ut hostes irruentes occidant, apertè permittere. Etiamsi enim liceret aliquando ferrum stringere, minimè tamen consultum fuisset, illorum generalium præceptorum vim ac religionem, quibus summus cœli & hominum omnium amor à nobis exigitur, bellandi ista permissione infringere. Ipsa namq; res, locus, tempus, & reliquæ circumstantiæ, adhibita in consilium recta ratione indicant, quousque sese generalia præcepta extendant, ubi locum habeant, ubi necessitatis interpretationem, ut sic dicam, admittant. At verò, si ipsa sibi limites ponant,*

tes ponant, multum de sui veneratione ac religiosa observatione imminuunt. In Vet. Fœdere generalium præceptorum vis multis specialibus præceptis promissionibusvé restringebatur, quia non hæc erat tùm Dei intentio, non ea fœderis natura, ut ad summam pietatis perfectionem homines vocaret. At sub Novo Fœdere omnes ad tantam sanctitatem, & præsertim erga homines charitatem invitamur, quanta in terris & inter homines mortales summa esse potest. Vnde meritò factum est, ut generalia ista præcepta, nullis limitibus circumscripta, nulla concessione arctata legantur.

Pii Iudæi, *inquis*, ante omnia salutem æternam cœlique possessionem quæsiverunt, & quærere debuerunt: neq; tamen hinc inferri potest, quòd iis bella gerere & vim manifestam propulsare non licuerit. *Vnde hoc habes, Meisnere, pios Iudæos non tantùm ante omnia salutem æternam cœliq; possessionem quæsivisse, sed etiam quærere debuisse? Cur illius exemplum, hujus verò præceptum aliquod ex Lege Mosaica non attulisti? Nam ad primum quod attinet, aut pios intelligis secundùm disciplinæ Mosaicæ normam tantùm; aut, quæ Christianorum est pietas, longè supra illam. Si prius; nequaquam tibi concedimus, eos ante omnia salutem æternam cœliq; possessionem, terrâ posthabitâ, quæsivisse: quandoquidem istud Legis disciplina non continet. Si posterius; eo ipso bella gerere & vim vi propulsare non potuerunt, quòd longè supra Legis di-*

sciplinam sanctiores essent. Ad alterum quod attinet, debuisse Iudæos ante omnia salutem æternam cœliq́; possessionem terrâ posthabitâ inquirere; hoc adeò est à Veteri Fœdere alienum, ut vix quidquam alienius ab eo dici potuerit. Illiné cœli possessionem ante omnia quærere debuerunt, qui nullā apertam cœli promissionem acceperant? Illiné terrenam felicitatem contemnere, qui nō aliam quàm terrenam fœdere sibi pactam videbant, & ad quam cuncta præcepta & universa Legis disciplina erat directa? Tantum igitur abest, ut Iudæi ex Mosaicis institutis viventes, ante omnia cœli possessionem quæsiverint, ut vix eam aliqua ratione quæsivisse dici possint. Sanè, mirum non est, quòd nolitis majorem à nobis vitæ sanctitatem sub Novo Fœdere exigi, quàm olim requisita fuerit sub Veteri; quandoquidem easdem utrobiq; promissiones, eandem cœlestis hæreditatis spem hominibus propositam fuisse contenditis. Vnde fit, ut in angustam Legis Mosaicæ normam augustissima sanctissimaq́; Christi præcepta cogatis.

Imò resistendum ideo est hostibus, *inquis*, ut pacem habeat Ecclesia, publicum religionis exercitium vigeat, quo plures, posthabitis terrenis, ad Christum converti, & ad vitam æternam præparari possint. *Malum Ecclesiæ & pietatis Christianæ patronum constituis bellum. Rectiùs habent Christiani & Ecclesia, quoties duris exercetur, quàm cùm lascivit pace: publicumq́; religionis exercitium ardet in persecutione, frigescit in otio; in bello*

in bello autem penitus extinguitur. qua de re jam ſuprà dictum eſt.

Affert tandem ipſe Meiſnerus cauſas, propter quas in Novo Teſtamento nihil de rebus bellicis inveniatur ſcriptum: & primùm oſtendit cauſam, cur hoc non idcirco fieri dicendum ſit, quaſi Deus bella improbaret. Quia, *inquit*, Deus naturæ legem non mutat, ad quam pertinent bella neceſſaria. *Reſpondeo, legem naturæ eße duplicem; vel quâ aliquid omnino exigitur; vel quâ tantùm permittitur. Priorem non mutat Deus: poſteriorem cur mutare nō poßit, & ulteriùs nos obligare, quàm obligent jura naturæ? Et ad hanc poſteriorem bellum neceßarium pertinet. Quæ jure naturæ licent tantùm, ea & vetari à Deo poßunt, & præcipi. Verùm dicat nobis Meiſnerus cauſas tanti de rebus bellicis in Novo Teſtamento ſilentii. Prima:* Quia, *inquit*, in Veteri Teſtamento ea de re ſatis multa fuerunt propoſita. *Indicandum ergo fuerat, iſta in Novo Teſtamento approbari. Cur verò tale eſt nobis præceptum datum, quod adverſa fronte repugnat illi, ad quod ſub Veteri Fœdere omnes bellicæ leges pertinebant; nempe,* odio habebis inimicum tuum? *Huic enim fundamento innitebantur bella & cædes hoſtium. Si nihil eßet, Meiſnere, in Novo Teſtamento dictum, quod bellis ac cædibus repugnaret: ſi non alia eßet ratio Novi Teſtamenti, quàm Veteris: ſi non multa, quæ ſub Veteri Teſtamento fuerunt licita, in Novo fuißent prohibita, poteras fortaſſis illius auctoritatem hac in*

parte allegare. Nunc verò, cùm illi hic standum non esse contendamus, & adversum illius auctoritatē jure merito excipiamus, ridiculus es, qui illud nobis opponas. Adde, quòd bellicæ illæ Veteris Testamenti leges, quemadmodum antea ostendimus, adeò sint severæ, ut Novi *Fœderis naturæ & rationi prorsus repugnent. Vnde perspicuum est, ad illas in* Novo *Testamento minimè respici: &, si ad eas respiceretur, non tantùm bella gerere Christianis licitum esset, sed etiam omnino debitum. Secunda:* Quia, *inquit*, Christiani in illis Ecclesiæ initiis non habuerunt rempublicam aut suos magistratus, ideoq; cùm temporis injurias tantùm pati poterant, propulsare non poterant. *Dubium est, quid tibi velis his verbis; an quòd Christianis tùm temporis vires tantùm, an, quòd jus etiam ad resistendum deesset. Si prius intelligis, (ut innuisse videris in exemplo quod affers populi Israëlitici) non debuit idcirco prætermitti, id quod ad jus ipsum pertinet, qualis est bellandi concessio. Ius enim semper manet, etiamsi vires desint; præsertim cùm non ignoraret Christus & Apostoli, Ecclesiam vires cum tempore sumturam. Si posterius; jam eo ipso à Legis disciplina diversus abis. Innuis enim, privatis absq; magistratus autoritate, & multò magis contra ipsum magistratum, non licere bella suscipere. quod utrūq; sub Lege licuisse, si vel magistrat⁹ contra hostes cessaret, vel tyrannidem exerceret, inter alia, Davidis & Maccabæorum exempla demonstrant. Nam ille, cùm privatus adhuc esset, quāvis alio-*

1. Reg. 22. 23. 5.

vis alioquin jā unctione Dei jussu consecratus, jus succedendi in regnū haberet, & Palæstinos adortus cecidit, nullo à Magistratu accepto imperio, sed Deo tantùm consulto, quem certè in re legibus ejus prohibita consulere non fuisset ausus, & contra ipsum Saulum Regem vitam suam injustè appetentem, copiis sese tutatus est. Hi verò adversus Antiochi tyrannidem, Iudæis tùm temporis imperantis, arma sumserunt. Hinc ergo vides, bellandi illa jura sub Lege tradita ad populum Christianum non pertinere, & priorem illam tuam rationem per hanc posteriorem labefactatā esse. Verùm nec ipsa ratio alicujus esse momenti videtur. Etiāsi enim Christiani tùm temporis adversus Magistratū vel etiam cives alios bella suscipere ac gerere non possent, quòd propriā rempub. piosq; magistratus non haberent: erat tamen locus & occasio adversum publicos hostes militandi. Vnde suprà Meisnerus multa exempla veterum Christianorum sub signis Imperatorum militantium commemoravit. Itaque tùm temporis non tantùm pati injurias, sed etiam propulsare Christiani poterant. Quocirca Meisneri ratio nō obstat, quominus, an militare Christianis sit licitum, definiendum esset. Adde, quòd cùm Christus & Apostoli eam doctrinam traderent, quæ ad omnia secula & omnes in Ecclesia mutationes pertineret, non debuerunt in ea tradenda ad illa tantùm tempora & afflictum Ecclesiæ statum respicere; sed quid quoque tempore & quovis in statu Christianis agendum vel non agendum esset, æternis legi-

bus definire. Israëlitis in Ægypto à Pharaone oppressis, quorum hîc exemplum, ut diximus, commemoras, ad servitutem excutiendam non jus defuit, sed vires; ideoq; opus fuit, ut ipse Deus suo robore & dextera illis subveniret. At verò nos Christiani, quoties à regibus ac magistratibus premimur, non quòd non possimus, sed quòd nolimus resistere, injurias ferre debemus. Et, si populus Israëliticus, licèt Pharaoni resistendi jus vel ipsius naturæ lege conceßum haberet, non tamen duces ipse sibi legit, quorum sub signis & auspiciis adversum Ægypti regem pugnaret; sed patienter expectavit, donec ipse Deus sibi redemtorem daret, ac duces mitteret: sic multò magis Christianis injusta servitute oppreßis faciendum est; non sibi ipsis bellorum duces ac magistratus contra magistratus ac reges proprios creare, sed solius Dei Christiq; auxilium expectare debent; qui regum animos vel flectere, vel sævis & crudelibus amotis, justos ac benignos gubernaculis admovere novit; tandemq; per Christum regem regum & dominum dominantium, omni inimica potestate abolitâ, suos in cœleste regnum ac pacem sempiternam translaturus est.

Miratur Socinus, eò ab hac bellandi licentia deventum esse, ut Evangelici tunc potissimùm humanum sangvinem fundere permittant, vel potiùs præcipiant, cùm maximè homines Christiani non carnalibus, sed spiritualibus armis præliando, non alienum, sed suum sangvinem fundere parati esse debent, nempe cùm

cùm divinæ veritatis hoſtes vi & armis illos ad impios cultus adigere volunt. *Reſpondet Meiſnerus*, oriri hanc admirationem ex confuſione officii privati & publici. In perſecutione, *inquit*, parati omnino eſſe debent Chriſtiani, ut libentiùs moriantur, quàm ut vel fidem abnegent, vel privato auſu reſiſtant. Sed longè, *inquit*, alia eſt ratio magiſtratus publici. *Atqui Socinus, ut ab initio monuimus, non aliud hic miratur, quàm quòd Evangelici adverſus Magiſtratum, vim conſcientiis ipſorum inferentem, arma capiant; idq; ipſorum religione non tantùm liceat, ſed etiam deceat. Num verò iſtius rei non edita ſunt totius Europæ in ſcena funeſtiſſima exempla? Aut ergo hîc, Meiſnere, omnia bella contra proprium Magiſtratum religionis causâ ſuſcepta unà cum Socino damnas: aut privatam defenſionem nimiùm reſtringis, & eam tantùm intelligis, qua ſigillatim quisq;, aut pauci quidam, non verò magna aliqua populi pars, ſub ſignis ac ducibus ſuis, Magiſtratui proprio reſiſtit. Hoc ſi ſentis; mirantem talia Socinum habes: non quòd confundat officium privatum cum publico, ſed potiùs quòd privatum & publicum officium à vobis confundi videat. Neq; eſt tibi quidquam, quod illi opponas. Quidquid enim hîc de Magiſtratu publico diſſeris*, quòd ſit à Deo gladio armatus, quòd ſit malefactorum vindex, tutor Eccleſiæ & ſubditorum, pater patriæ, paſtor fidelis: *iſtud ad populum, adverſus Magiſtratum publicum tumultuan-*

tem, quæcunq; tandem illius sit multitudo, nihil pertinet. Quæ ex Lege Mosaica citas, de excidio urbis nostræ ditionis, quum Deos alienos colit, Deuter. 13. 14. de meditato adversus Rubenitas & Gadditas bello, quòd in suspicionem idololatriæ & impietatis venißent, Jos. 22. 12. de altaribus nostræ terræ evertendis: ea ad Christianos nihil pertinent, utpote specialia jura Israëlitis per Mosen tradita. Adde quòd ex iis, populi adversus regem ac magistratum proprium bellum eße licitum, concludi nequeat. Imò, si Israëlitas contra impios reges, falsorum Deorum cultores & idololatras, etiam ad eandem impietatem populum adigentes, arma nunquam sine speciali Dei jußu sumsiße legimus; quantò minùs Christianos id facere convenit. Lex naturæ, quæ nos omnia nostra Deo debere admonet, *non hoc à nobis requirit, ut alios divini cultus causa occidamus, sed ut nos occidi patiamur; nedum ut adversum Magistratum ab ipso Deo institutum, quoties nos ad impios cultus adigere conatur, arma capiamus.* Nec *tantùm spectandum est ad quid nos instiget natura, sed etiam quid permittat Christiana pietas & patientia. Atheniensium illa lex,* qua cives suos juramento publicè obstrinxerant, ut pro diis & sacris soli & cum aliis pugnarent, *non tam ex naturæ lumine quàm ex gentili superstitione profluxit. Neq; enim nos aut Deos habemus ullos aut sacra talia, quæ à nobis præsidium expectent.* Non *indiget nostris armis Deus & sacratissima Christi religio, quæ nulla re defenditur*

meliùs

meliùs quàm patientiâ, præſertim quoties ab ipſis regibus & magiſtratibus noſtris oppugnatur. Ad hiſtoriam Maccabæorum quod attinet, ex qua utriusq; regulæ, nempe, & privatis defendendam eſſe religionem patiendo, & magiſtratibus pugnando, exempla ſumi ais; *In eo valde falleris. Neq; enim duces Maccabæi, publicus, ut tu putas, Magiſtratus fuerunt, & pro ſubditis ſuis adverſus Antiochum, tanquam invaſorem, ſumſerunt arma; ſed tanquam ſubditi contra tyrannum injuſtè ſe opprimentem. Hinc fit, ut in tota illa hiſtoria Antiochus non alio quàm regis nomine à Maccabæis, quiq; eorum partibus ſeſe adjunxerant, compelletur. & ſanè meritò: quandoquidem Iudæi jam dudum in Macedonum jura tranſierant, in quæ Antiochus ſucceſſerat. Itaq; aut tibi Maccabæi Chriſtianis pro exemplo conſtituendi non ſunt: aut dicendum, licere privatis etiam adverſus Magiſtratum, verum Dei cultum oppugnantem, arma ſumere: quod & Socinus ab Evangelicis permitti, imò præcipi, jure meritoq; miratur; & tu adhuc improbare viſus es, aut ſaltem ita ambiguè locutus, ut an diverſum ſentias, non aperueris. Maccabæi, Iudæi erant, non Chriſtiani; nec in tantum externis principibus, quorum in ditionem conceſſerant, Legis diſciplinâ obnoxii, ut, ſi poſſent, præſertim quoties ad Legis violationem adigerentur, jugum iſtud excutere non deberent. Pugnare potiùs pro ſe quàm pati lex jubebat, quippe quæ ſuos cultores nihil mali paſſuros eſſe promiſerat. Evangelica eſt illa vox, qua*

piis hominibus & denunciantur afflictiones, & fe-
2. Tim. 3. 12. *rendæ imponuntur. Vnde Paulus:* Omnes, qui volunt piè vivere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur.
Act. 14. 22. Per multas afflictiones oportet nos ingredi in regnum cœlorum.
Rom. 8. 17. Hæredes ſumus Dei, cohæredes Chriſti; ſi unà patimur, ut & conglorificemur.
2. Tim. 2. 11, 12. Fidelis ſermo: ſi unà morimur, & unà vivemus; ſi ſuſtinemus, & unà regnabimus: ſi abnegamus, & ille abnegabit nos.

Membrum III.

De capitali hæreticorum ſupplicio.

O*Bjicit Socinus Evangelicis, quòd hæreſes diſſeminantes, ſi ab incœpto deſiſtere nolint, interficere Magſtiratus officium eſſe ſtatuant: & oſtendit, quàm ſententia iſta immanis ſit, adeoq́ non ſolùm à Chriſtiana religione, ſed etiam ab omni æquitate alieniſſima. Damnat & ipſe Meiſnerus hanc ſentẽtiam, eamq́* barbaram ac truculentam *appellat*, ac ſuis eccleſiis ſemper diſplicuiſſe *dicit*, ſi usq; ad mortem in quempiam hæreticum ſæviatur. eundem eſſe ſpiritum mendacii & homicidii, quemadmodum etiam ex adverſo veritatis & longanimitatis *aſſerit:* prolatum eſſe, *affirmat*, de Eccleſia Novi Teſtamenti, quòd ſine cæde & ſangvine propagatum ſit Evangelium, Eſa. 11. v. 6, 9. nullum extare Chriſti & Apoſtolorum de necandis hæreticis mandatum, *fatetur:*

tur: ad fidem neminem cogi vel poſſe vel debere *contendit:* hæreticorum culpam ſpiritualem non politicam eſſe, *ſtatuit:* errare multos ex mentis infirmitate, & poſtmodum converti ad veritatem poſſe, *concedit: Calvinianos deniq; monet,* ut quum omnia reformare velint, ſuam præcipuè doctrinam reforment, quippe in qua tam multas foveant hypotheſes erroneas, qualis etiam ſit iſta de occidendis hæreticis. *Ceterùm & Socinum graviter reprehendit,* quòd Evãgelicis in genere doctrinam hanc objiciat, Lutheranisq; doctoribus injuriam faciat, quibus tale quid in mentem non venerit, qui ab omni crudelitate penitus abhorreant: *& nos monet,* ut in poſterum meliùs diſtingvere diſcamus, nec errores Calviniſticos ſub communi Evangelicorum nomine proponamus; prodituri alioquin, ſecùs ſi fecerimus, ad exemplum Socini Patriarchæ noſtri, noſtram vel craſſam ignorantiam, vel malitiam.

Nos quid ad hæc? Gratulamur primò Meiſnero & Lutheranis doctoribus, quòd ab iſta ſententia impia & immani tantopere abhorreant. Atq; utinam verè penitusq; abhorrerent. Contrarium enim docent exempla. Nam licèt fortaſſis usq; ad cædem & ſangvinem ſævitum non ſit à Lutheranis in eos, quos ipſi hæreſeos damnârunt; ſævitum eſt tamen. Nam, ne multa alia exempla commemorem, vidimus iſtius rei ſpecimen nuper in Ioachimo Stegmanno, viro doctiſſimo,

ctissimo, qui nostram in religione sententiam amplexus, cùm eam intra pectoris sui latebras continere pium non putaret, instigantibus Lutheranis Pastoribus catenis constrictus & domo in carcerem abreptus est: ex quo etsi postmodum nostris precibus ac supplicationibus liberatus fuit; patriâ tamen exactus, solum vertere coactus est. Similem annis aliquanto superioribus calamitatem ejusdem veritatis causa experti sunt duo juvenes Ioannes Vogelius & Ioachimus Peuschelius, literarum studiosi: quorum ille Witebergæ primùm, ipso Meisnero aliisq; professoribus inspectantibus, in carcerem conjectus fuit; pòst Senatus Norimbergensis missu, cujus e ditione fuerant, ambo catenis onerati vinctiq; Noribergam abrepti sunt, & tamdiu, nobis in vicina Noribergensium Academia tùm temporis agentibus, in squalido carcere detenti, tamdiu minis ac terroribus vexati, donec expugnatâ eorum constantiâ, ad abdicandam quam susceperant veritatem adigerentur. Minùs quidem peccatur, cùm in eos, quos putamus hæreticos, ad cædem & sangvinem non sævitur: sed tamen & vincula, catenæ, carceres, bonorum confiscationes, proscriptiones, exilia, ipsa etiam morte aliquando tristiora, à quibus Lutherani in eos, quos hæreticos credunt, non abstinent, multum profectò ex crudelitate & injustitia trahunt.

Nam primùm, quod nos vobis videmur, ô boni, idipsum & vos nobis videmini. Num ergo, si penes nos esset rerum potestas, æquum censeretis, vos à nobis proscribi,

proscribi, capi, aliisq; modis, quamvis citra cædem & sangvinem, religionis vestræ causâ vexari? At hæc est humanæ societatis continendæ lex, ut quod in nos iniquum putamus, nec in alios æquum arbitremur. Pertinent huc illa Salviani de Arianis: Hæretici sunt, sed non scientes: denique apud nos sunt hæretici, apud se non sunt. Nam in tantum se Catholicos esse judicant, ut nos ipsos titulo hæreticæ pravitatis infament Quod ergo illi nobis sunt, & hoc nos illis. Nos illos injuriam divinæ generationi facere certi sumus, quòd minorem Patre Filium dicunt: illi nos injuriosos Patri existimant, quod æquales esse credamus. Veritas apud nos est: sed illi apud se esse præsumunt. Honos Dei apud nos est: sed illi hoc arbitrantur honorem divinitatis, quod credunt. Inofficiosi sunt: sed illis hoc est summum religionis officium. Impii sunt, sed hoc putant veram esse pietatem. Errant ergo, sed bono animo errant, non odio, sed affectu Dei, honorare se Dominum atque amare credentes. Quamvis non habeant rectam fidem, illi tamen hoc perfectam Dei æstimant charitatem, & qualiter pro hoc ipso falsæ opinionis errore in die judicii puniendi sint, nemo potest scire nisi Iudex. Interim idcirco eis, ut reor, patientiam Deus commodat, quia videt eos etsi non rectè credere, affectu tamen piæ opinionis errare.

Deinde

Deinde, non omnes sunt hæretici, non omnes errant, qui nobis hæretici esse & errare videntur. Quid si nos potiùs erremus, & illi, quos nos errare credimus, vera doceant? Alterutra enim pars ut erret oportet, cùm tamen utraq; veritatis opinione sibi blandiatur. Cur ergo non subit animos vestros cogitare, fieri posse ut erretis. Homo sum, ajebat ille, humani à me nihil alienum puto. Quid magis humanum est, quàm errare, quàm decipi, præsertim in rebus tam abstrusis, & ab omni sensu remotis? Nonne tot errantium & cœcutientium greges, qui nobis errare & cœcutire, sibi verò ipsissimam tenere veritatem videntur, infirmitatis nostræ nos admonebunt? Nonné Ioh. 16 2. *ab ipso Christo moniti sumus, fore ut, qui discipulos ejus occisuri sint, Deo se cultum præstare arbitrentur? Quantus error! quanta deceptio! Itaq; facilè fieri potest, ut quemadmodum olim Ismaël Isaacum; sic nunc hæreticus persequatur Apostolicum. Imo vix aliter fit unquam. Veri enim Christi discipuli, & spiritu ejus præditi, neminem religionis causâ persequuntur. Sciunt enim Christum venisse, non ut perderet homines, sed ut servaret. Sciunt eum pro quovis homine vitam impendisse. Sciunt eum oves perditas summâ cura & studio quærere. Sciunt* servum Domini debere esse mansuetum erga omnes, tolerantem malos, in mansuetudine erudientem eos qui sese opponunt; si fortè det ipsis Deus pœnitentiam in agnitionem veritatis. *Sciunt, hæresibus nulla ratione melius occurri posse, quàm doctrina*

ctrinâ veritatis, quâ imbuti facilè contradicentes redarguunt. Sciunt, opus esse, ut etiam hæreses Ecclesiam invadant, ut qui probati sunt, manifesti fiant. Sciunt, non aliam pœnam hæreticis esse imponendam, quàm ut, posteaquam semel atq; iterum fuerint admoniti, vitentur, & quisq; ab eorum consuetudine sibi temperet. Hæc omnia, qui verè Christi sunt discipuli, explorata habent, & idcirco nulla vi carnali vel olim persecuti sunt hæreticos, vel hodie persequuntur. At divinæ veritatis hostium, à primis Ecclesiæ temporibus hic perpetuus mos fuit. Quocirca caveant sibi, qui alios tanquam hæreticos persequuntur, ne in ipsum Christum sæviant; & dum putant se rem Deo facere gratissimam, maximo scelere sese obstringant. Inprimis autem spectandi sunt eorum quos hæreticos ducimus mores; qui si sancti sint & innoxii, si verè Christiani, facilè sese ab hæreseos crimine vindicant. Omnis namq; hæresis pietati inimica est. Tit. 1. 9. 1. Cor. 11. Tit. 3. 10.

Sed esto, exploratissimum mihi sit, hunc errare, hæreticum etiam esse; tam in eo sim certus, ut fallē non possim: num idcirco vinculis constringendus, in carcerem condendus, aut pellendus è patrio solo, & omnibus facultatibus exuendus est? At errore mentis lapsus est miser. Num alicui sui errores, in quos nemo nisi insanus volens se conjicit, fraudi esse debent & miseriæ causa? qui eo ipso quòd jam graviter erret miserrimus est. Quin potiùs dolere illius vicem convenit, tantò magis quantò obstinatior est error, adeò ut pro illo etiam mori non dubites. An tu irreligio-

sum esse putas, qui adeò conscientiæ suæ, & religioni obsequitur, ut sese pro ea diris objiciat, quiq; ad mortem, aut ad carcerem, aut ad aliam aliquam pœnam damnatus præmium in cœlis sibi despondeat, illiusq; spe cuncta sustineat? In hunc tu sævias, & in homine tam religioso religionem ipsam violes? Num hic non *ultro ad veritatem accurret, errorem q; abjiciet, si in errore sese versari agnoverit?* Num verò menti *errores eximit carcer, exilium, ferrum, & illud,* Vre, seca?

At præfractus est, αὐτοκατάκριτος, *sciens prudens fallit, sua agit. Verùm istius rei judicium nemo sibi facilè usurpare debet; cum nemo animi recessus tacitaq; mentis consilia noverit. Quocirca de animo non aliter divinandum est, quàm si mores congruant: ex quibus etiã Christus ipse pseudoprophetas cognoscendos esse docuit. Fieri enim non potest, quin sese actionibus suis prodant. Prava mens, prava opinio, tandem in pravos mores degenerat.* Non colligunt, *inquit Christus,* ex spinis uvas, neq; ex tribulis ficus. Non potest arbor mala bonos fructus ferre. *Vnde & D. Petrus ac Iudas falsorum doctorum, i.e. hæreticorum mores ita descripserunt, ut homines isti latere non possint. Paulus etiam monet, finem eorum fore secundùm ipsorum opera, indicans, eorum opera esse mala, cum finis eorum futurus sit pessimus, 2. Cor. 11. 15. Hæc opera alibi exprimens,* Videte, *inquit,* canes, videte malos operarios, *Phil. 3. v. 2. & infrà v. 18, 19.* Multi ambulant,

lant, quos sæpe dixi vobis, nunc autem & lachrymans dico, inimicos crucis Christi; quorũ finis perditio, quorũ Deus venter, & gloria in confusione ipsorũ; qui terrena sapiunt. *& alibi:* Isti Domino nostro Iesu Christo non serviunt, sed proprio ventri. *Igitur nõ antè pro hæretico, eoq́; præfracto, quiquã damnandus est, quàm pravum animũ pravis moribus testatũ fecerit; qui, utut alia vitia dissimulet, crucem certè Christi nunquam feret.*

Verùm, manifestò in fraude ac scelere teneatur, sua eũ vita & mali mores, deceptoribus familiares, apertè redarguant: nũ vis idcirco adhibenda est? num advocandus magistratus? Nonne *tu ipse fassus es, culpam: hæreticorũ spiritualem esse, non politicam?* Nonne *eũ sua improbitas ac fraus apertis detecta indiciis & moribus, piis omnibus & veritatem amantib⁹ prodet? unde fiet, ut eum nõ secùs ac oves lupum defugiant. Atq; hoc est quod de talibus dixit Paulus:* Non procedent amplius: nam eorum dementia erit omnibus conspicua. *At multos simplices seducent. Ergone tollendi sunt, aut vinculis coërcendis quin potiùs refellendi, redarguendi, verbo Dei, non catenis constringendi: alii verò diligenter ac assiduè, ut ab illis sibi caveant, monendi, & imminente periculo, ad divinæ veritatis studium tantò magis inflammandi. Sæpè enim profuit, habere hostem; præsertim si in nostra potestate sit, dummodo cauti ac circumspecti simus, vincere. Quis saluti nostræ infestior, quis perniciosior est hostis, quàm diabolus, omnium*

hæreticorum pater? & tamen hunc tollere noluit Deus; ut tantus hostis ad maximam salutis curam nos excitaret: qui semper frustra est, quoties nos in excubiis invenit. Hæc est unica ratio, qua exterminandi sunt hæretici. Illa verò quæ fit per ferrum, ignes, vincula, exilia, auctoritate quadam errores armat, dum pro illis dura sustinentur. Indignæ profectò sunt hæreses, indigni hæretici, ut exercendæ patientiæ materiam habeant, & eo quod soli veritati convenit argumento fidem sibi concilient, nullam alioquin habituri, si persecutiones defuissent. Sed, ut diximus, alios religionis causâ persequi, qui verè Christi sunt discipuli, & veritatem liquidam habent ac solidam, suis propriis viribus undiquaque communitam, nec ullas hæreses metuentem, nunquam solent: adeò ut meritò statui debeat, nunquam nisi bonos à malis, aut saltem meliores à deterioribus, persecutionem fidei causa sustinere.

Dicta Augustini & Lactantii, quæ citas, quorum illud est, Diligimus homines, interficimus errores, & sine sævitia pro veritate certamus: *hoc verò,* Defendenda religio est, non occidendo, sed moriendo; non sævitiâ, sed patientiâ; non scelere, sed fide: *hæc, inquam, dicta, non tantùm cædibus hæreticorum adversantur, sed omni in eos sævitiæ & violentiæ. Et profectò* Christianæ *religionis naturam evertunt, qui homines ad eam hujusmodi pœnis earumq; metu adigunt: cùm Christi religio non alio quàm solius Dei metu contineri debeat.*

Nec quid-

Nec quidquam magis voluntarium eſſe debet, quàm Chriſti fidem amplecti, & perpetuò ſequi. Hinc Athanaſius: Dominus non cogens, ſed libertatem ſuam voluntati permittens, dicebat quidem vulgò omnibus: Si quis vult venire poſt me: Apoſtolis verò; Nunquid & vos abire vultis? *Populus Chriſtianus*, populus eſt voluntatum; *ut Pſal. 110. de eo prædictum fuit. Quid magis liberum eſſe debet, quàm aliquid dicenti credere vel non credere? cùm fidei natura omnem coactionem repudiet. Quis enim, ut aliquid revera credat, vi cogi poteſt? Ut credere ſe ſimulet, cogi quidem poteſt; ſed ſimulare fidem, tam exoſum eſt Chriſto, quàm non credere; adeò ut qui ad ſimulationem & mendacium adigunt, non pro Chriſti fide, ſed contra fidem & religionem depugnent. At quid aliud eſt Chriſti religio, quàm Chriſto credere? Nam licèt hæc fides in facta exire debeat; non minùs tamen & illa, quatenus ad ſolam fidem referuntur, illiusq; reſpectu tantùm fiunt, libera ac voluntaria eſſe debent, quàm ipſa eorum mater, fides. Sed de factis minùs eſſe poſſumus ſoliciti; cum rerum cauſâ, quatenus fidei tantùm repugnant, neminem plecti videamus: imò etiamſi facta ſint planè Chriſtiana & ſancta, & fidei Chriſtianæ maximè congrua; tamen & ipſa confeſſio ac fides, ſi ad alienum libitum ac arbitrium concepta non ſit; & is qui eam habet, unà cum omnibus virtutibus ſuis pro hæretico damnatur, & pœnæ ſubjicitur. Sed hæc de hæreticorum perſecutione dicta ſufficiant.*

Veniamus ad Meisneri de Socino querelam, quâ Lutheranis Doctoribus injuriam ab ipso fieri dicit, illiq́; vel craßam ignorantiam, vel malitiam objicit, dum indistinctè omnibus Evangelicis hanc barbaram atque truculentam (ut ipse Meisnerus eam vocat) de necandis hæreticis sententiam tribuit. Hanc tantam Meisneri accusationem & querelam jam antè explosimus. In regno enim Poloniæ & Magno Ducatu Lithvaniæ non alii vulgò Evangelici vocantur, quàm qui Calvini de rebus sacris sententiam sectantur. Non ergo Socinus, sed Meisnerus potiùs ignorantiam suam hîc prodidit, si hoc nescivit; malitiam, si scivit.

Conclusurus hoc caput Socinus, tria notat. Vnum, poße fortaßis, si quis diligentiùs inquirat, alia inveniri, quæ à Christo vetita in Evangelicorum disciplina permittantur, aut etiam jubeantur. Sed his se velle eße contentum. Alterum, se nolle de erroribus ipsius Evangelicorum doctrinæ agentem ea nunc reprehendere, quæ non ad doctrinam ipsam, sed ad mores ipsorum pertinent, id est, quæ sibi Evangelici passim permittunt; licèt ea magistri illorum præcipuè non approbent: ut sunt, connubia cum idololatris, luxus & splendor in victu & vestitu, ludicræ multæ ac variæ in vita actiones. Tertium est, istos Evangelicorum mores nihilominus satis justam eße causam, ut quisque pietatis studiosus ab iis sese segreget, & puriori cœtui adhæreat.

Ista omnia taxat Meisnerus, quantum potest. De primo

primo scribit, Fortasse Socini refutari per Non fortasse. *Esto sanè, non recusat Socinus, qui si certò putâsset plura talia in Evangelicorum doctrina reperiri, non dixisset* fortasse, *sed simpliciter id affirmâsset.* Prodit, *inquit,* suam oscitantiam, quòd diligentiùs non inquisiverit. *At si diligentiùs quàm fecit ipse inquirere non potuit? Nec enim dicit de seipso, si diligentiùs inquirerem, sed de alio, si quis diligentiùs inquireret. At unus altero diligentiùs inquirere potest, licèt uterque tanta, quâ par est, diligentiâ inquirat. Vnde jam sponte ruunt, quæ subjicis:* Cur, si plura in nostra religione latent Christi doctrinæ adversa, ista non indicavit? cur in inquirendo tam negligens fuit, in re tam gravi, & ad salutem scitu necessaria. Certè oblitus est hic toties jactatæ pietatis & charitatis erga proximum. *Ex musca elephantum, Meisnere. Num & hoc pietatis est, & erga proximum charitatis? Non indicavit plura, quia ipsi plura tunc temporis non occurrebant. Cur non quæsivit? Quæsivit, sed plura tùm non reperit, aut quæ reperit, sufficere putavit. Pietatem etiam & erga proximum charitatem quando jactavit Socinus, nedum ut eam toties, ut tu dicis, jactaverit? Num & hoc charitatis est Meisnere, alteri immeritò pietatis & charitatis jactationem objicere?*

Sed, quandoquidem Meisnerus tantopere salutis suæ & aliorum satagit, & tantùm non irascitur Socino, quòd plura non aperuerit, quæ in Evangelico-

eum diſciplina, tanquam Chriſti præceptis contraria, damnaret: addamus nos unum. Hoc autem eſt illa damnandi alios, atque ab Eccleſiæ corpore ſejungendi licentia, cùm à veſtra credendi formula diſſentiunt, quamvis interea Ieſum eſſe Chriſtum & credant & profiteantur, nec quidquam rurſus iſti fidei contrarium vel dicant vel faciant. Tales autem damnandos, & ab Eccleſiæ communione ſejungendos haudquaquam eſſe, D. Iohannes diſertis verbis docuit, cùm inquit: Omnis qui credit Ieſum eſſe Chriſtum, ex Deo natus eſt: & omnis, qui diligit eum qui genuit, diligit etiam genitum ex ipſo. *quibus in verbis, & notam teſſeramq; nobis tradit, ex qua cognoſcendus ſit is, quem pro fratre ducere debeamus: & ſimul amandi illius ſummam neceſſitatem nobis imponit. Cum amore autem fraterno adverſa fronte pugnat, ſi eum damnemus, & Chriſtiana ſocietate indignum cenſeamus, tantoq; magis, ſi in eum odio incitati feramur. Cum hac regula conſentit & illa ab eodem Iohanne tradita cap. 4. ver. 2.* In hoc cognoſcite ſpiritum Dei: Omnis ſpiritus, qui confitetur Ieſum Chriſtum, qui venit in carne, ex Deo eſt. *Et illud Apoſtoli Pauli:* Nemo in ſpiritu Dei loquens, dicit anathema Ieſum; & nemo poteſt dicere Dominum Ieſum, niſi in ſpiritu ſancto. *Sed maximè inſignis & illuſtris eſt ille locus Rom. 10.* Si confeſſus fueris in ore tuo Dominum Ieſum, & credideris in corde tuo, quòd ipſum Deus reſuſcitavit ex mortuis, ſalva-

is, salvaberis. *Quod sanè meritò ab Apostolo dictum est. Qui enim Iesum ex mortuis à Deo resuscitatum esse credit, is fidei istius vi simul credit, eum esse Christum ac dominum cœlestem effectum. Vnde porrò fiet, ut & promissionibus illius credat, & præceptis obtemperet. quod qui facit, quomodo vel salute excidet? vel ab Ecclesiæ consortio sine gravissimo crimine sejungi potest? At tanti criminis affines vos facitis. Nam ne de aliis cœtibus loquamur, in quos Christi Ecclesia isto vestro summo seu errore seu vitio dissipata est; nostri cœtus vel maximè fatentur, Iesum esse Christum, id est, unctum illum Dei, summa in cœlis & in terra potestate præditum: & tamen à vobis vel maximè damnantur, & Christianâ Ecclesiâ indigni judicantur. Christum, inquies, summum illum unicumq; Deum esse non creditis. Sanè non credimus. Sed nec Iohannes, ut vides, ista fide eos, qui ex Deo nati sint, quiq; à nobis pro fratribus haberi diligiq; debeant, definivit. Quid? Si Iesus est ille summus Deus, cur non hoc ipsum credendum cuivis Christiano Iohannes proposuit, & hac nota veros Christianos ab aliis discrevit? Cur non id, quod summum de Iesu dici potuit, de eo credendum docuit? Cur hoc tantùm, Christum eum esse, id est, Dei unctum, & in cœleste solium à Deo evectum, credendum præcepit? Nonne, summum esse Deum, omnem illam dignitatem & majestatem, quæ Christi nomine significatur, continet? Apparet ergo, nihil majus ac sublimius de Iesu credi ac dici posse, quàm illum esse Christum Dei, hoc*

est, cœlestem omnium regem ac dominum, à dextrâ Majestatis in sublimibus considentem. Hæc est illa fides, quæ mundum vincit, ut paulò pòst subjicit D. Iohannes versu quarto. Qui enim ex Deo natus est, vincit mundum. At omnis, qui istam fidem habet, ex Deo natus est ver. 1. Vnde & mundum, si velit, vincere potest. Ideoq; addit Apostolus: Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit Iesum esse illum filium Dei? *Quod antea dixit Iesum esse Christum, nunc dicit Iesum esse illum Dei filium: alio nomine rem eandem exprimens. qua de re alibi. Quî fit ergo Meisnere, quòd ecclesias nostras ea fide & confessione imbutas damnetis, & fraterno amore ac societate indignas judicetis? Symbolum Nicenum, &, quod illi revera contrarium est, Symbolum Athanasii, quorum illud Christum Deum de Deo, hoc ipsum esse Deum statuit, non recipimus. At scripturas sacras, at Symbolis istis antiquius, quod Apostolicum vocant, recipimus, at illud de Christo confitemur, quo solo D. Iohannes in eo, qui pro fratre agnosci debeat, contentus est. Num enim quidquam est, quod huic fidei contrarium rursus statuimus, ut illi faciunt, qui jura majestatis Christi trahunt ad alios? num vel Christi præceptum ullum, ut illi qui idola colunt, vel promissiones rejicimus? Imò, si res ex vero æstimanda veniat, vos una confessione alteram tollitis, & dum Iesum summum esse Deum dicitis, eo ipso Christum esse negatis. Et tamen nos adeò à vestrî damnatione abhorremus, ut aperta vestra de Iesu, quòd Christus*

sit, confes-

sit, confessione contenti, tacitam illius negationem, pacis & concordiæ causâ vobis remittamus. Graviter ergo peccatis, dum nos pro fratribus & membris Ecclesiæ Christianæ non agnoscitis, & agnoscendos non esse docetis. Nam non solùm fratres non diligitis, quod unicè Christi disciplina requirit, sed etiam Christi ecclesiam, quæ ejus corpus est, hoc pacto miserè laceratis; quæ in tot partes dissecta communi charitatis spiritu non regitur, nec pacis illo & concordiæ Christianæ vinculo continetur. Unde quid aliud expectandum est, quàm communis Ecclesiæ clades & exitium? Si *enim* alii alios editis & mordetis, *inquit Paulus,* videte ne alii ab aliis consumamini. *Quantò magis præstaret, si alii alios ferremus, alii aliorum onera portaremus, si quisque nostrûm proximo suo, non sibi placere studeret ad ædificationem communem: si, qui se plus profecisse in fide putant, alios præ se non contemnerent; & quibus priorum temporum opiniones adhuc animo sederent, diversum sentientes non damnarent; dummodo omnes communem Dominum Christum secundùm illius præscripta colerent.* Tu enim quis es, qui alienum famulum judicas? Domino suo stat aut cadit. Statuetur autem: potens enim est Deus statuere ipsum. Tu quis es, qui judicas fratrem tuum? aut & tu quid contemnis fratrem tuum? Omnes enim statuemur ante tribunal Christi. *Verùm hæc surdis auribus canimus. Adeò enim penitus κενοδοξία illa ab Apostolo damnata hominum ani-*

Gal. 5. 15.
Rom. 15. ℣ 1, 2.
Rom. 14. ℣ 4.
℣ 10.

mis inolevit, ut ferre non poßint eos, qui vel latum ungvem ab eorum placitis recedunt.

Ad secundum quod attinet, à Socino in hujus capitis conclusione positum, duo hîc notari vult Meisnerus. Vnum, quòd ipse Socinus testetur, Evangelicorum magistros vitia quædam Evangelicis usitata, & ab ipso enumerata, *(quibus addi poßunt comeßationes, compotationes, non auditoribus tantùm, sed etiam ipsis Doctoribus, inter Lutheranos inprimis, familiares & usitatæ, itemq; lingva juramentis & imprecationibus perpetuò aßueta)* non approbare. *Vnde concludit,* magistros istos coram Deo & hominibus excusatos esse: quandoquidem, ipso adversario teste, illa non approbent, sed detestentur. *Etiamne approbare deberent? Nimium est quod hinc concludis, Meisnere. Non enim tantùm Christianorum magistri docendo vitia damnare & reprehendere debent; sed alia etiam remedia adhibere, puta, unumquemq; vitio alicui deditum, quà privatim, quà publicè, monere & castigare: exemplo omnis generis virtutum auditoribus prælucere: contumaces & in vitiis perseverantes à reliquorum consuetudine, sic ut ne cibum quidem cum illis capere fas sit, arcere. Hæc sunt, Meisnere, quæ à Christianæ pietatis magistris præter doctrinam ad extirpanda vitia adhiberi poßunt, & omnino debent. Hæc si facitis, si omni studio exercetis, sanè auditorum vitia vobis nullo jure objici poßunt. Si verò nullâ istarum rerum aut exiguâ curâ tangimini, fru-*

stra

stra à vobis omnem vitiorum in auditoribus culpam amolimini.

Alterum est, quod hîc observari vult Meisnerus, nempe, Socinum, cùm peccata ex Evangelicorum doctrina profluentia taxare vellet, excessus tantùm ratione vindictæ vel privatæ vel publicæ, qui ab Evangelicis in judiciis & in bellis committantur, taxasse, & sibi probandos sumsisse. *Hoc quàm longè à vero absit, ex iis, quæ de judiciis & bellis unà cum Socino disseruimus, quivis perspicit. Ea enim à Christo minimè concedi ostendimus, quæ ab Evangelicis in bellis & judiciis non tantùm committuntur, sed etiam conceduntur, seu non illicita esse docentur.*

Ad tertium quod attinet, in hujus capitis conclusione à Socino positum, ista videlicet Evangelicorum vitia satis esse caussæ, ob quam sese ab illis segregare debeat pietatis studiosus, & illis cœtibus hominum Iesum Christum colentium, qui sibi talia non permittunt, adhærescere, quod statim duplici argumento, ut paulò pòst videbimus, confirmat. Adversum hoc tria regerit Meisnerus. Vnum est: ob peccata Christianorum non esse deserendam veram Ecclesiam. *At quid hoc ad rem? Num cœtus hominum Iesum Christum colentium vera Ecclesia non sunt? num, qui sese illis associant, veram Ecclesiam deserunt? Non enim Socinus veram Ecclesiam illis cœtibus opponit, qui Ecclesia Christi non sint, sed ecclesiam magis à vitiis repurgatam, ecclesiæ vitiis magis infe-*

gis infectæ. Vtraq; sit Ecclesia Christi: utraq; salutarem doctrinam teneat, seu Iesum Christum colat: hoc tantùm intersit, quòd in una pietatis studium magis vigeat, in altera frigeat, vitiaq́; passim regnent. Hîc ergo quæritur, utri ecclesiæ pietatis studiosus sese potiùs adjungere, seu, ut rectiùs dicam, annon ab ecclesia vitiis corrupta sese segregare, & illi alteri sese aßociare debeat? Nonne *res ipsa loquitur, Meisnere, & additæ à Socino rationes, ut paulò pòst videbimus, id fieri debere evincunt?* At tritico, *inquis*, semper admixta manent zizania. Christus ipse innuit, vix quartam partem agri domini afferre fructus debitos, Luc. 8. 15. In vera ecclesia plures inveniuntur mali & hypocritæ, quàm boni & constantes Christiani. *Vt ita sit, potest nihilominus in una plus, in altera minus eße zizaniorum. Potest in una quarta pars agri debitos ferre fructus: in altera ne quidem centesima. Potest in una minus eße malorum & hypocritarum; plus verò bonorum & constantium Christianorum, quàm in altera. Vtram ergo alteri præferemus, & cui potùs pietatis studiosi sese addicent?* Nonne *eligendum id erit, in quo plus boni, minus mali? Deinde verò, cum ecclesiam ecclesiæ, ratione pietatis, præferendam eße dicimus, non de alia pietate loquimur, quàm quæ in externis cernitur actionibus. Scitum enim est illud, de occultis non judicare Ecclesiam. Quid autem prohibet, quo minus, si externam morum honestatem spectes, pleriq; probi in ecclesia appareant?* Tritico semper

semper admixta manere zizania, *nusquam scriptū est; multò etiam minùs dici potest, innuisse Christum,* adeò paucos esse verè pios, ut vix quarta pars agri domini afferat fructus debitos. *Per* agrum *enim* domini *intelligere debet Meisnerus Ecclesiam, si hinc colligere vult, in Ecclesiæ multò plures esse malos quàm bonos. Iam verò primi illi, qui similes sunt viæ aut semitæ in agro, qui audiunt quidem sermonem Dei, sed illum in animum non recondunt, hoc est, illi non credunt, ad Ecclesiam non pertinent; ideoq; nec Christus agrum dixit esse Ecclesiam, sed mundum. Reliquæ ergo sunt tres tantùm agri partes, quæ solæ Ecclesiam constituunt. Quocirca non quarta demum, sed tertia agri dominici pars fructus fert debitos. Tertia autem pars dicitur, non ratione magnitudinis & mensuræ, sed ratione generis & qualitatis; cùm fieri possit, ut ista pars sit longè major quàm duæ reliquæ. Deniq; nec eam intelligit Socinus ecclesiam, in qua nulla sint, aut appareant vitia, sed quæ ea sibi non permittit, id est, acriter in illa censurâ Ecclesiasticâ animadvertit, & secundùm Christi legem punit. Vnde apparet, quàm vanus sit Meisneri metus, ne, si propter solutam sanctè pieq; vivendi disciplinam nos ab aliqua segregemus ecclesia, nullus ampliùs in mundo locus piis sit relictus.* Nec *illud ad rem facit, quod subjicis:* Multi Pontificii religiosiùs vivunt, quàm quidam Evangelici. Num autem propterea remeandum est ad Papatum, & abjiciendum Evangelium? *Nam nec*

Socinus,

Socinus, ex eo quòd quidam Evangelici vitiis quibusdam indulgeant, ab Evangelicorum cœtibus pietatis studiosos vult segregari, sed quòd Evangelici passim & promiscuè id faciant: nec ad quemvis cœtum eos vocat, sed ad eum qui Iesum Christum colit, nempe ex illius præscripto, quiq; nulla sibi vitia permittit; quales certè Pontificiorum cœtus non sunt. Neq; *nobis quidquam obstat, quod infers:* non primò ad vitam, sed potiùs ad doctrinam esse respiciendum, si alicui cœtui nos debemus associare, *dummodo verum sit, etiam ad vitam respici debere.*

Quæ deinde dißeris de eo, an sanctitas externa sit veræ ecclesiæ nota, *similiter sunt præter scopum: cùm nunc non de agnoscenda ex notis ecclesia agamus, sed potiùs de jam agnita sequenda & amplectenda. Et ut demus, externam vitæ sanctitatem non eße infallibilem veræ ecclesiæ notam; quippe quòd illa etiam ab hypocritis simulari possit: (quanquam nulla simulatio constans & diuturna esse queat; hac enim ratione verteretur in virtutem) tamen, si externa vitæ sanctitas ejusq; ardens studium ab aliquo cœtu exulet, indicium hoc infallibile est, eum veram & vivam ecclesiam haudquaquam eße: cùm ad illam constituendam non tantùm requiratur, ut salutari Christianæ veritatis cognitione & professione imbuta sit, sed etiam ut pietati & vitæ sanctitati, qua cunctis hominibus præluceat, unicè sit* Ephes. 5. *dedita.* Christus enim dilexit Ecclesiam, & se i- ℣25. & seq. psum pro illa tradidit, ut ipsam sanctificaret, purificans

purificans lavacro aquæ per verbum; ut exhiberet ipſam ſibi ipſi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut quippiam iſtorum, ſed ut ſit ſancta & immaculata. *Et alibi:* Chriſtus tradidit ſe ipſum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret ſibi ipſi populum peculiarem, ſtudioſum bonorum operum. *Quocirca ſi quis cœtus vitiis in commune pollutus eſt, &, ut ipſe loqueris, corruptiſſimè vivit; etiamſi tandem vel maximè veritas Chriſtiana in illo prædicetur; (quod tamen fieri vix videtur poſſe: Chriſtianæ enim veritatis ad renovandos homines maxima eſt vis. unde etiam fit, ut illi, qui peccatis non valedicunt, nec vitam ex Chriſti præceptis componunt, Dei Chriſtiq́ cognitione prorſus deſtitui, in ſacris literis dicantur;) Eccleſia Chriſti vera vivaq́ dici non meretur. Nec uſpiam in ſacris literis Eccleſiæ Chriſti nomen aliter uſurpatur, quàm ut ſemper vel includat vel tacitè ponat vitæ ſanctitatem, & Chriſtiana veritate dignos mores. Itaq́ fruſtra tantopere defugis, Meiſnere, cenſuram & examen externæ vitæ in illis, qui Eccleſiæ Chriſti nomine gaudent, & ſolo veritatis inter illos præconio vis eſſe contentus. Nonné tu ipſe hic aſſeris, fidem Chriſtianam nunquam eſſe ſterilem, ſed per bona opera ſemper efficacem? Eccleſia ergo, quæ iſta fide conſtat, te ipſo judice, ſemper erit bonorum operum ferax, eorumq́ uberrimo proventu conſpicua. Quocirca ſi hic abſit; ſi bonorum fructuum loco, malis exundet operi-*

Tit. 2. ỳ 14.

bus; quid aliud statuendum est, quàm fidem illic non esse, ac proinde nec verè Ecclesiam esse. Alia ratio Iudaicæ Ecclesiæ, (vestros enim loquendi modos nunc imitemur) cujus exemplum hîc commemoras, fuit; quæ licèt corruptissimè vixerit, nihilominus Ecclesiæ nomine poterat non penitus excidere; quippe quòd ad illam constituendam multa carnalia concurrerent; qualis erat, ex Patriarchis illis ortus, circumcisio, varii externi ritus, privilegia etiam quædam divina, quæ Deus Genti illi, ob id tantùm quòd Israelis stirps eßet, indulserat; propter quæ etiam obliteratâ interdum in animis eorum magna ex parte divinæ Legis notitiâ, Ecclesiæ divinæ nomen retinere potuit. At Ecclesiam Christi nihil aliud constituit, quàm fides per charitatem efficax, quàm nova creatura, quàm observatio mandatorum Dei. In Christo Iesu enim nihil valet circumcisio, nihil præputium, *nihil ex hoc vel illo genere satum eße, nihil externi ritus & ceremoniæ. Christi spiritu regi & impelli, hoc solum est quod nos illius, proinde & Ecclesiæ, vera vivaq; membra efficit. Adde quòd crebrò populus ille Israëliticus, habita ratione impietatis, in quam prolapsus fuerat, populus Dei, imò Abrahami aut Israëlis progenies eße negatur.* Mater

Ezech. 16. 3, 45. Vestra Cethæa, *inquit Deus*, & Pater vester Amorrhæus.

Quæ de Essenis, Manichæis, Donatistis *subjicis*, in quorum cœtibus viguerit externæ pietatis studium, nec tamen propterea consultum fuisse

fuisse iis sese adjungere, spretâ desertaq; vera Ecclesia: *ad ea quid responsuri simus, jam vides. Non disputabimus, an isti fuerint vera Ecclesia, &, si non fuerunt, quomodo inter illos studium externæ pietatis vigere potuerit magis quàm in vera Ecclesia. Id tantùm dicimus, nolle nos, ut quispiam propter externæ pietatis studium veram Ecclesiam spernat & deserat; sed ut veræ Ecclesiæ sese adglutinet & associet, desertâ illâ, in qua etiamsi veritatis notitiam videat, studium tamen pietatis non videat.*

Secundò, non concedit Meisnerus verum id esse de Evangelicorum Ecclesia, quod illi objicitur à Socino. Mixturam quidem bonorum & malorum in illa agnoscit; cæterùm ab illa ad totalem & omnimodam Ecclesiæ corruptionem argumentandum haud esse affirmat. *Mixtos bonis esse malos non est mirum, cum probum esse res sit ardua: malitiæ verò pronum & declive sit iter. Itaq; non ex mixtura ista Socinus argumentum ducit, sed ex communi, ratione istorum quæ recenset vitiorum, corruptione. Quotusquisq; enim est inter Evangelicos, qui, si res ferat, à connubio cum idololatris abstineat, qui luxum & splendorem in victu & vestitu desugiat, qui ab alea, à tripudiis & saltationibus, ab intempestivis jocis, aliisq; carnis lascivientis lusibus sibi temperet? Quid de juramentis dicemus? quibus adeò assuevit hominum lingva, ut ad tertium quodq; verbum dejerantes audias. Imprecationes item ac diræ, planè in morem verterunt.* Num *hæc vera esse negabis,*

Meisnere, in vestra præsertim ecclesia, in qua adeò dimanaverunt hæc mala, ut aliquibus in locis non indecorum putetur Ministrum ecclesiæ publicè saltantem, cæterisq; præeuntem, imò in conviviis compotantem probeq; appotum spectare? Licèt verò dolendum sit, talia promiscuè passimq; fieri, & abiisse in morem: pejus tamen adhuc est, quòd malis istis, præter conciones interdum aliquas, quibusdam in locis, nulla adhibeatur medicina, nec rectores ecclesiarum hæc cura tangat, ut vitia tam latè graßantia disciplinâ & censurâ ecclesiasticâ, ab ipso Christo & Apostolis institutâ, coërceantur. Vnde factum est, ut non solùm ista peccata, quæ leviora videntur, sed etiam alia graviora, puta comeßationes, compotationes, ebrietates, scortationes, libidines, iræ, inimicitiæ, rixæ, obtrectationes, cædes ac bella diluvio quodam Ecclesiam inundârint.

Præterea, falsum est quod Socino objicis, eum indefinitè cœtus Euangelicorum accusare, & varia illis scelera objicere. *Nam nec scelera, sed tantùm vitia quædam & peccata sceleribus minora illis objicit; nec indefinitè omnibus, sed, ut ipsemet addit,* illis, propter quos nominatim hunc libellum conscripsit. *Isti autem quinam sint, jam sæpe dictum est. Inter quos an vitia ista à Socino recensita latè graßentur, illi sciunt, qui quotidie talia oculis usurpant.*

Tertiò dicit, vanam esse gloriationem de Cœtus Photiniani sanctitate. Distingvendum esse

esse inter speciem & inter virtutem pietatis, 2. Tim. 3. 5. illam, non verò hanc Ecclesiæ Photinianæ competere. Similes nos esse jactabundo illi Pharisæo. *Gloriari de re aliqua, si & verè & non temere id facias, cuivis licere, & recta ratio & Apostoli exemplum docet; idq; maximè tùm, cùm quispiã in Domino gloriatur, id est, de iis rebus, quas verè à Domino ex summa illius benignitate consecutus sit. Præterea, dicere id quod verum est, etiamsi laudem aliquam contineat, non semper gloriari est; cùm scilicet non gloriam ac laudem, sed alium omnino finem tibi habeas propositum. Ita hoc loco Socinus, id quod verum est de cœtibus nostris innuens veriùs quàm dicens, non gloriam aliquam quæsivit, & cœtus sui laudem, sed tantùm causam exposuit, cur illi potiùs sit adhærendum. Unde apparet, quàm meritò hanc* jactantiam nostram vocet Meisnerus, eamq; cum Thrasonica confidentia & contemtu aliorum conjunctam. *In eo etiam injurius est in Socinum, quòd illum de sanctitate cœtus sui gloriari dicat, cùm tamen ille nihil aliud de cœtu suo hîc innuat, quàm, eum talia (nempe connubia cum idololatris, luxum & splendorem in victu & vestitu, ludicras multas ac vanas in vita actiones) sibi non permittere, id est, illa non ferre, & qui talia faciunt, eos prout merentur, censurâ ecclesiasticâ notare. Num verò illico de sanctitate sui cœtus gloriatur, qui istud ab ipso fieri affirmat?* Num *sanctitas tam angustis conclusa continetur limitibus? Vanam autem*

hanc eße sive aßertionem, ut res est, sive gloriationem, ut Meisnerus vocat, de cœtibus nostris, quòd talia sibi non permittant, dicere credo non fuißet ausus, nisi Socinum simpliciter de sui cœtus sanctitate gloriantem finxißet. Nunc verò, cùm Socinus nihil aliud de cœtibus suis affirmet, quàm eos talia sibi non permittere, quid ad rem facit ista inter μόρφωσιν & δύναμιν pietatis distinctio? Quemadmodum nemo facilè quenquam verè sanctum eße pronunciare debet; cùm veræ sanctitatis fundamentum intus in animo lateat abditum: sic multò minùs decretorio stylo adimenda est alteri interna sanctitas, nisi eum externa facta priùs coarguant. Cur tibi tantum sumis, Meisnere, ut nos externæ sanctitati studere, sed interna carere, *tam audacter pronuncies? At si interna est, si oculi tui in animos nostros sese non penetrant, cur de rebus ignotis sententiam feras? Oblitusné es præcepti illius:* Nolite judicare, ne judicemini. In quo enim judicio judicaveritis, in eodem judicabimini: & quâ mensurâ metimini, eadem contrà metietur vobis, *Matth. 7. ver. 1, 2.* Neminem, *inquis*, moveat schema illud sanctimoniæ Photinianæ; pars est ovinæ vestis, quâ tegitur lupina. *At cur schema tantum vocas externam, si quæ est, cœtus nostri pietatem? Cur lupos nos facis, lanâ ovium contectos? Cujus nobis, quæso, rapacitatis es cõscius?* Ex fructibus, *inquit Christus*, cognoscetis eos. *Profer ergo hos fructus, qui lupos nos eße prodant.* Intus, *inquis*, in ipsorum

cordibus

cordibus regnat incredulitas. *Tam audacem de cordibus nostris & incredulitate in illis latente sententiam! fructus, fructus, qui aperti sint, qui in oculos & sensus incurrant, incredulitatis istius profer. Nam alioquin incredulitatem nobis objectanti tibi non credemus. Fallor, an ideo nobis incredulitatē objicis, quòd dogmatis vestris non credamus? quò pertinet, quod adjicis,* Scripturarum detorsio, meriti & majestatis Christi extenuatio. *Magnum ab adversario crimen. Atqui hoc est & accusatorem simul agere & judicem. Iterum dico; fructus profer Meisnere, quos omnes malos esse videant; non controversa dogmata. Estné aliquid aliud?* Tumor Pharisaicus, & profunda hypocrisis. *Iterum interna vitia nominas, quæ tam facilè negari possunt, quàm objici.* Planè, *inquis,* similes sunt illi Pharisæo. *Explica, quæso, similitudinem.* Separatum se putabat à peccatoribus. *Quasi hoc crimen sit ullum, si quis separatum se à peccatoribus putet, etiamsi id verè, non falsò putet. Sed age, quam causam dedimus, ut hanc tibi de nobis ipsis opinionem fovere videremur? Vtinam nos à peccatoribus esse separatos verè de nobis & sentire & dicere possemus, à peccatoribus, inquam, qui adhuc in peccatis hæreant, non verò, qui aliquando hæserint. Nam à talibus, quis est qui separatus sit?* Si enim dicamus, quòd non peccaverimus, mendacem facimus ipsum, & sermo illius non est in nobis, *1. Iohan. 1. ver. ult.* Publicanum longè stantem contemnebat. *Nos verò*

quos publicanos, quos peccatores, quæso, contemnimus? Num dicere, nostras ecclesias non permittere sibi talia, qualia Evangelici sibi permittant, est Evangelicos contemnere? Num ergo verum dicere sine aliorum contemtu non licebit? Suas laudes & opellas prolixè satis decantabat. *Opera sua & virtutes, cùm opus est, etiam coram Deo commemorare, dummodo verè tibi insint, in vitio poni non debet. Quoties David suæ pietatis coram Deo meminit, & hac fretus ipsius auxilium invocat? Ipse Apostolus Paulus, quot quantarumq́ suarum virtutum commemoratione, commendare sese Corinthiis voluit? Non ergo in eo peccavit Pharisæus iste, quòd suas virtutes commemoravit, sed quòd illis fretus, ut ex scopo parabolæ, quem v. 9. Christus constituit, apparet, & ipse superbierit, & alios præ se contemserit: cum tamen proculdubio multorum & ipse criminum reus esset; ad quorum remissionem obtinendam, non fastu & superbiâ, non aliorum contemtu, sed humilitate & vitæ emendatione opus erat. Quid huic simile in nobis deprehendisti? Num si quid, quod commendatione dignum sit, verè de cœtibus nostris affirmamus, idq́ modestè prorsus facimus, non laudis aliqua cupidine aut temeritate, sed justa prorsus causa ac necessitate quadam adducti, idcirco laudes nostras & opellas cum Pharisæo decantare, alios despicere, nosmet ipsos efferre, & ob opera nostra, idq́ coram Deo, superbire dicendi sumus? Scimus quantum nobis desit, Meisnere, quamq́ meritò Deus, si misericordiâ*

2. Cor 6. à ℣ 3. usque ad finem.

cordiã uti nollet, ſummoq; jure nobiſcum agere, nos cum quibuſvis peccatoribus & publicanis damnare poſſet. Itaq; tantum ab omni faſtu & ſuperbia abeſſe ſemper cupimus, quantum ab operum meritis coram Deo abſumus. Addis prolixè decantatas laudes; *cum tamen ne expreſſè quidem dixerit Socinus, cœtus noſtros talia ſibi non permittere; nec, ſi dixiſſet, prolixa iſta fuerat laudatio. Quæ iſta iniquitas eſt, Meiſnere, non poſſe pati, ut quidquam ad eccleſiæ noſtræ commendationem, vel maxima cum modeſtia, dicamus? Nec ſatis erat tibi, ſimiles nos Phariſæo feciſſe in moribus, niſi etiam eundem nobis deſtinâſſes exitum.* Audite, *inquis*, quale judicium tulerit Servator: Dico vobis; deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam præ illo. Ita certi ſumus, Deo plus placere noſtram contritionem, humilitatem cordis, & quotidianam orationem, quâ cum Publicano exclamamus: Domine eſto nobis propitius; quàm jactantiam illam Photinianam cum Thraſonica confidentia & contemtu aliorum conjunctam. *At Meiſnere, Deo placere haudquaquam poteſt, ſi quis alteri jactantiam Thraſonicam, confidentiam, aliorum contemtum, immeritò prorſus objiciat; quod te facere jam oſtendimus. Vtri verò magis Deo placeamus, non tuum eſt definire. Quid? ipſe hic Phariſæum iſtum agere videris, quem tantopere deteſtaris. Nam & tibi tuisq; virtutes, nobis vitia attribuis, & vos Deo præ nobis placere ambitioſè præſumis: quorum utrumque*

Phariſæus iſte fecit. Quid ſi nos quoque, Meiſnere, variorum peccatorum nobis conſcii, contritione & humilitate cordis vobis non cedimus, & eadem illa oratione cum Publicano quotidie utimur, ac divinam miſericordiam imploramus? quid, ſi hoc non contenti, huc omni ope contendimus, ut non ſolùm Phariſæorum ſuperbiam, ſed etiam publicanorum vitam ac flagitia vitemus, id eſt, omnes noſtras actiones ſecundùm divina præcepta conformemus; ut ſic non tantùm magis quàm Phariſæus, h.e. quàm ſuperbi & elati homines, ſed etiam magis quàm Publicani, id eſt, verè & in ſolidum divinâ gratiâ juſtificemur?

Iam argumenta Socini videamus, quibus oſtendit, Evangelicorum vitia juſtam cenſeri debere cauſam, unicuique pietatis ſtudioſo ſeſe ab illorum cœtibus ſegregandi, & aliis cœtibus Chriſtianis, qui talia ſibi non permittunt, adhærendi. Vnum argumentum eſt, quòd Paulus Apoſtolus jubeat, ut nos ab omni fratre inordinatè ambulante ſeparemus, ac ne cibum quidem cum talibus ſumamus, *2. Theſ. 3.6: 1. Cor 5.11. Ad hoc argumentum reſpondet Meiſnerus,* dicta iſtá non probare id, quod in quæſtione eſt. Debemus nos, *inquit,* ſubtrahere ab omni fratre inordinatè ambulante, non deſerendo veram eccleſiam & ſuſcipiendo aliam religionem, ſed fugiendo intimius conſortium, ne participemus de peccatis talibus, vel errantem in iis confirmemus. *Dicta iſta omnino probant id, quod in quæſtione eſt; ſed*

Meiſnerus

Meisnerus quæstionem mutavit. Nec enim, ut jam anteà monuimus, Socinus id vult, ut quispiam propter fratrum vitia veram ecclesiam deserat, & religionem mutet; sed ut conversationem & consortium eorum fugiat, & illi cœtui, qui ratione doctrinæ non minùs sit vera ecclesia, cæterùm ratione vitæ magis pietati & sanctitati sit deditus, sese agglutinet. Itaq; fallitur Meisnerus, cùm paulò pòst dicit, hanc esse Socini intentionem, ut fidem antiquam abnegemus, & peregrinam novamq; assumamus. *Quibus verbis Socinum non solùm gravi calumnia onerat, sed etiam stolidum facit, ac si apertè ad antiquæ fidei abnegationem, & peregrinæ novæq; susceptionem homines solicitaret. Nec tam impius, nec tam stupidùs fuit Socinus, ut istud vel cogitaret unquam vel diceret.* At enim, *inquies,* Socinum velle, ut Evangelici cœtibus suis relictis Photinianis cœtibus adhæreant, quorum nova peregrinaq; doctrina sit. *Imò verò, si nostrorum cœtuum nova peregrinaq; doctrina est, primævæ illi Christianorum fidei opposita; si nostri cœtus vera ecclesia non sunt; nequaquam vult Socinus, ut quispiam illis adhæreat. Si verò contrario modo sese res habet, profectò quicunque Evangelicus nostris cœtibus sese adjungit, nec veram ecclesiam deserit, nec aliam quàm Christianam religionem suscipit, nec denique antiqua fide abnegatâ peregrinam novamq; doctrinam aßumit. Nam si dicas,* multa in ecclesia nostra dogmata damnari, quæ in vestra vigeant, id-

eoq;

eoq; neminem poſſe eccleſiæ noſtræ adjungi, quin protinus veterem, quam ſecutus fuerat, doctrinam damnet. *Reſpondemus, minimè nos velle, ut quivis veſtrùm ſententiis imbutus non alia lege ad cœtum noſtrum accedat, quàm ut eas priùs abjiciat. liberum unicuique veſtrûm hac in parte ſenſum relinquimus, dummodo ſummo ſtudio, quid hic verum, quid falſum ſit, inquirat, & quod verum eſſe agnovit, etiam profiteri non dubitet. Vides ergo, Socinum propè nil aliud his Apoſtoli verbis concludere velle, quàm quod tu ipſe ex illis conſequi agnoſcis, nempe fugiendum eſſe cum fratribus inordinatè ambulantibus conſortium, familiaritatem, & converſationem: niſi quòd tu nimiam tantùm & intimiorem; nos verò cum Apoſtolo omnem converſationem ac conſuetudinem intelligamus. Nam ne cibum quidem cum iis capere debemus, idq; ea in re, ut confundantur ac pudefiant, quærentes. Atqui latiùs patet, cibum cum aliquo capere, quàm ei intima familiaritate conjungi; nec protinus in ruborem datur, qui ad intimiorem amicitiam non admittitur. Unde apparet quàm multum tibi permittas, cum Apoſtoli verba,* ne commiſceamini cum illo, *interjectâ parentheſi ſic explicas,* familiariter colloquendo, omnia approbando. *Itane verò? Num commiſceri cum aliquo non poſſumus, etiamſi non omnia illius approbemus? Imo verò, ne tandem omnia adprobemus, & mores illius imitari diſcamus, aliive, quibus fortè faciliùs vitiorum iſta ſcabies affricari poſſet, malo exemplo*

ſimus,

simus, idcirco cum illo commisceri non debemus. Atque hoc est quod Apostolus monuit 1. Cor. 5. ver. 6. & seqq. An nescitis, quòd parum fermenti totam massam fermentet? Expurgate igitur fermentum vetus, ut sitis nova massa. *quod qua ratione fieri debeat, sequentibus exponit verbis, quibus prohibet ne commisceamur cum fratribus vitio aliquo infectis, adeò ut ne cibum quidem cum illis capiamus: & tandem rem hanc concludens jubet, ut Corinthii malum illum fratrem, qui se incestu polluerat, è medio sui tollant. Num his verbis nimiam tantùm & penitiorem familiaritatem ac consuetudinem, quaque fiat ut omnia appprobemus, prohibuit Apostolus? annon potiùs, ut istiusmodi corruptos fratres tanquam scabiem quandam fugiamus?* At enim, *inquis,* addit Apostolus *ver. 15. 2. Thess. 3.* Nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem. Quodsi frater est, utique professio fidei mutari non debet; & si corripiendus à nobis est, non cœtum in quo vivimus deserere, sed potiùs in illo manere, & deviantes quotidie hortari debemus. *Iam diximus minimè velle Socinum, ut professionem fidei mutemus, sed ut mutemus consuetudinem ac conversationem, proinde & cœtum: (cœtus enim mutua conversatione & consuetudine constat) id est, vult ut cœtu eorum, qui scandala faciunt, & Christiana vocatione indignam agunt vitam, deserto, piorum cœtui nos associemus. Neque enim sequitur, si corripiendi sint fratres*

mali,

mali, idcirco oportere ut in eodem cum illis cœtu maneamus; cùm non minùs corripi admonerique possint à nobis alteri cœtui adjunctis: imò hoc ipsum, quòd cœtu illorum ob corruptos mores deserto alteri nos meliori adjunxerimus, incitamento illis erit ad vitæ correctionem.

Altera Socini ratio est, quòd certum sit, unumquemque ad bene maleve agendum plus exemplo quàm hortationibus commoveri & impelli. Vnde sequitur, pietatis studiosum illi potiùs cœtui adhærere debere, in quo non tantùm adhortationes audiat, sed etiam exempla videat bene vivendi. Hîc iterum eandem cantilenam canit Meisnerus, non debere nos ob corruptos hominum mores ab ecclesia protinus discedere, fidem mutare, novam religionem assumere. Decipi facilè aliquem posse, si maximè alium cœtum putaret sanctiorem: imò fore ut omnis fides sit abjicienda; quum nulla inveniatur ecclesia, in qua non plures degant mali quàm boni. *Ad quæ omnia jam responsum est antea. Hoc addendum hîc est, nolle Socinum, ut ob corruptos communiter ecclesiæ alicujus mores protinus ab illa discedamus; sed cùm videmus non posse nos ulla ratione malis istis mederi; tùm enim ultimo isti consilio locus est, quo si non alios, saltem nos ipsos faciliùs conservabimus.* Decipi aliquem facilè posse, *inquis,* si putet alium cœtum sanctiorem. *At si sensibus ipsis credat, decipi non poterit: si viderit cœtum aliquem ita sanctitati deditum,*

ditum, ut scandala facientes aut emendet, aut elimi-net; num decipi poterit? Num verò talis ecclesia inve-niri nō poßit? Neq; enim hîc agitur de sanctitate illa, de qua solus Deus, qui arcana cordium scrutatur, & occulta quæque novit, aliquando sententiam feret; sed quæ in externis actionibus hominumq; oculis con-spicuis cernitur. Quocirca, non fallax stolidumq;, ut Meisnero visum est, sed sapiens ac salutare Socini consilium est, quo tertium hoc caput conclusit, nem-pe, vitia ista, quæ sibi Evangelici permittunt, uni-cuiq; pietatis studioso satis justam eße caußam, ut ipsorum cœtibus desertis, illis se cœtibus adjungat, (præsertim ubi tales sunt) qui Iesum Christum colentes vitia hæc non ferunt.

Errata sic corrigantur.

pag.	vers.	
21.	25.	Pro *quispiam* lege *quippiam*.
26.	14.	post *correxit* dele interpunctionem, & post *in posterum* colloca.
46.	2.	pro *sit* lege *sis*.
53.	12.	pro *manifestus* lege *manifestius*.
58.	3.	pro *immortali* lege *immutabili*.
60.	17.	post *mentis* punctum colloca.
78.	29.	ita sensum imple: *Qui enim ab omni pecca-ti specie abstinet, eum neceße est abstinere à peccato in universum.*

96. 20. pro *præterea* lege *propterea*.
100. 8. pro *illius* lege *ullius*.
113. 19. pro καρδιογνωςίαν lege καρδιογνωσίαν.
124. 18. pro *alterultrum* lege *alterutram*.
178. 13. post *renatorum* pone punctum interrogationis.
16. post *impedimento* colloca punctum.
181. 22. pro *Voluntatis* lege *Voluptatis*.
217. 2. pro *proponat* lege *præponat*.
245. 23. pro *non* lege *num*.
268. 27. pro *nunquam* lege *unquam*.
290. 23. Verba illa: *Quid in Evangel:* &c. *improbet*, antiquo typo.
336. 12. pro *moliri* lege *amoliri*.
342. ult. pro *punire* lege *puniri*.
356. 2. pro *expiaverant* lege *expilaverant*.
380. 15. pro *parvum* lege *pravum*.
392. 4. pro *num* lege *nam*.
5. post *debent* pro puncto interrogationis aliud punctum substitue.
22. post *homicidis* dele interpunctionem & post *licet colloca*.
405. 2. pro *multi* lege *inulti*.
406. 19. pro *in bellis* lege *imbellis*.
489. 22. pro *quædam* lege *prædam*.
413. 9. pro *Antonii* lege *Antonini*.
459. 21. pro *improbare* lege *non improbare*.
471. 15. post *neceßaria* pone interrogationis punctum.

Index locorum Scripturæ, qui in hoc libro vel toti explicantur, vel ex parte tantùm illustrantur.



INDEX RERUM PRÆCIPUARUM hoc libro contentarum.

in pris

Funda-

Pecca-





